



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Controversia Secunda De Amissione Gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

Controversiæ Generalis Secundæ
DE
AMMISSIONE GRATIÆ
ET STATV PECCATI,
LIBRI PRIMI
DE
PECCATO IN GENERE,
CAPUT PRIMUM,
DE
Peccati definitione.

Quamvis hic ad Augustinum, duas ex Eo proponit Bellarminus peccati definitiones, unam, quam vocat generalissimam, quæ peccatum dixit *transgressionem Legis*; alteram aliquantò specialiore, peccatum in moribus atinentem, quæ Sanctus Pater peccatum definitivè legitur omne *dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem æternam*. Addit Lib. 22. Bellarminus, *Hanc definitionem Theologi magno adplausu receperunt, nec contra. Fauit. cap. 27.*

*nam cum duo quædam reperiantur in peccato, substantia, quæ est materiale, & ratio ipsa, quæ est formale peccati, utrumque Augustinus eâ definitione est complexus. Substantia peccati est actio aliqua voluntaria, vel voluntaria actionis omisso. Ratio peccati est ipsa declinatio & recessio à regulâ in illâ actione vel ejus ommissione. Et quoniam tria sunt generalia actionum instrumenta, cor, lingua & manus, & rursus tria sunt actionum genera, unum planè spirituum, ut desideriorum, aliud planè corporali, ut factorum, aliud partim spirituum, partim corporali, ut verborum; propterea Augustinus, ut comprehenderet, quidquid est in peccato materiale, dixit, peccatum esse vel dictum, vel factum, vel concupitum. Non meminit autem ommissionis, quia definitiones debent esse breves, & negatio colligitur ex affirmatione. Porro rationem, atque adeo ipsum formale peccati indicavit Augustinus, cum ait, contra Legem æternam, nec dicere voluit, contra rationem, ut loquuntur Philosophi, neque contra Legem Dei, ut loquitur Ambrosius, neq; contra Legem simpliciter, sed contra Legem æternam, nimirum, ut omnes comprehenderet Leges, & ipsam Legum radicem; siquidem omnis Lex tum naturalis, tum positivæ, & positivæ tum Dei, tum hominum, idè est Lex, quia congruit cum Lege æternâ, quæ est ipsa Ratio Dei summa ac perfectissima Regula. Neg. est aliud quælibet vera Lex, nisi adumbratio quædam atq; participatio Legis æternæ. Subjungit autem porro Bellarminus: *Vnum desiderari videtur in Augustini definitione, ut videlicet voluntariamentio fieret in eo. Non enim quodvis dictum, factum, concupitum; sed dictum, factum, concupitum VOLUNTARIUM contra Legem æternam est peccatum, Augustino teste, dum scripsit: Vsq; adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Bellarminus addit, sed non sine causâ hoc loco Augustinus voluntarium prætermisit, poterat enim ex aliis parvibus definitionis facile colligi, siquidem non est propriè contra legem, nisi id, quod est voluntarium; neq; enim Lex propriè datur, nisi iis, qui habent usum liberi arbitrii. Nondum verò satis de hæc peccati definitione Augustinianâ egit Bellarminus, Evangelici etiam simul erant perstringendi, peccantes nimirum, quod eâ non sine exceptione utantur. Ita autem ulterius scribit: *Illud obiter observandum est, tantam esse aliquid ex Lutheranis imperitiam vel impudentiam, ut Augustini definitionem tacito Eius nomine inter errores numerare non vereantur, idque non aliâ de causâ, nisi quia eam apud Scriptores Catholicos (Romano-Papæos) invenerunt. Tilemannus enim Heshusius, qui se Episcopum Sambiensem vocitat, in libro de sexcentis erroribus Pontificiorum scribit, Pontificii hoc modo definiunt plerumque peccatum, quod sit vel dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei. Et iterum, Tanquam immotam urgent regulam, usq; adeo voluntarium est peccatum.***

rum, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium. Deinde enumeratis aliis aliquot ejusmodi Sententiis, antidotum subjungit, tanquam contra venenum. At, ita Bellarminus, vel ignorabat Heshusius, has esse Augustini Sententias, vel non ignorabat. Si ignorabat, valde imperitus sit, necessarium est, cum hæc sint Sententiæ celeberrimæ, ac ferè omnibus notæ. Si non ignorabat, imprudentissimus est, cum Doctorem tantum contemneret non dubitaverit, ac præsertim in eâ re, in quâ, ut ipse idem Augustinus ibidem loquitur, nulla Doctorum paucitas, nulla in Doctorum turba dissentit. Ut quam iniquè hanc rem tractârit Bellarminus, & non solum Evangelicis, sed ipsi etiam Augustino gravem intulerit injuriam, Lectori Veritatis & Sinceritatis studio constet, sequentia debent observari. Et primò quidem, non ita ægè terri posse vel debere, etiam si definitio peccati Augustiniana, quàm Bellarminus tanto commendat opere, tanquam insufficientis & perfecta minus ab Evangelicis habeatur, quia Bellarminus ipse licitum sibi putavit, priorem peccati definitionem ab Augustino alibi propositam, quâ peccatum esse dixit *Legis transgressionem*, repudiare quasi generalissimam, utpotè omnibus peccatis, non solum morum, sed etiam Naturæ & Artis convenientem, utur Bellarminus hoc judicio testetur, se ipsum Augustini textum, ubi hæc definitio legitur, non evoluisse, sed instar cæci de eâ suam expoluisse Sententiam vel potius ignorantiam, in tam supercilioso Scriptore nullatenus tolerandam. Certe, si Augustini mentem circa laudatæ definitionis sensum in loco, uti par est & justum, indagemus, patebit, Bellarminum se fessisse Lectorem, dum ei voluit persuasum, esse eam generalissimam, quæ non solum peccata morum, sed simul etiam peccata Naturæ & Artis comprehendat; siquidem Augustus Pater ibidem nihil planè de peccatis Naturæ & Artis habeat, sed solum agat de peccatis contra decem præcepta Legis, adeoque peccatis solum moralibus, atque hinc etiam actualibus tantum, ideoque non generalissima, sed specialior definitio dici à Bellarmino debuerit, justoque restrictior, id est, ad præsentem de peccato in genere tractationem, ejusque definitionem, qualem dare voluit, omninò impertinens. Et quomodo Bellarminus accusare potuit jurè Evangelicos ob definitionis peccati Augustinianæ à se commendatæ repudium, quasi tantum Doctorem contemnunt, Ejusque auctoritatem spernant; cum tamen ipse iterum Bellarminus alias peccati definitiones hic & ibi in Augustini Scriptis non uno in loco occurrentes silentio quasi damnaverit, quarum non sine ratione nec omninò præter rem potuisset, si non etiam ex instituti Scopo debuisset hic meminisse. Post *Chennitium* Doctor *Gerhardus* nollet præter duas hæc à Bellarmino exhibitas, sex alias ex Augustino sistit, utpotè quod peccatum dixit esse primò, aversionem à Conditoris & ad inferiora condita conversionem; secundò, voluntatem retinendi vel consequendi, quod Justitia vetat; tertio, pravum libertatis ad sensum; quartò, ea adpetere, quæ Christus contempsit, aut fugerit, quæ ille sustinuit pro Salute nostrâ; quinto, nihil aliud, nisi in præceptis Veritatis vel in ipsi Veritate errare; sexto tandem, cum quis avertitur à Divinis verèque manentibus, & ad mutabilia atque incerta convertitur; quæ tamen ultima ejusdem Sensus est cum primâ, de quibus Augustini & cæteris aliorum Ecclesiæ Doctorum definitionibus idem *Gerhardus* ex *Chennitio* notavit, non fuisse eis propositum, exactam in illis pronuntiatas suis constituisse definitionem, quæ complecteretur totum illud, quod peccati nomine censetur; sed quod voluerint ponere quasdam descriptiones, non Dialecticè complectentes totam definiti naturam, sed quomodocumque illi materie convenientes, de quâ in certis quibusdam Disputationibus & Homiliis loquantur. Videat de cætero Bellarmini hyperaspistes quicunque, annon blasphemia crimen incurrerit, dum præter Augustinum, Johanni etiam, Scriptori Canonico, in definitione peccati, quod dixit esse *voluntar*, id est, à Lege aberrationem, adscribere aius est nimiam generalitatem, quasi & is peccata Naturæ & Artis cum peccatis morum vel moralibus hæc definitione sit complexus, adeoque hic, ubi de peccatis morum agit, non admittendâ; cum inspectio iterum Textûs Apostolici aliud planè ostendat, & evincat, Sermonem ibi esse non de quâcunque etiam generalissimè acceptâ aberratione, sed in specie de discrepantiâ à normâ Legis Divinæ, indice hujus rei articulo, qui non absque multâ significatione & subjecto & prædicato hujus definitivæ Propositionis legitur adjunctus, quam emphasin hujus Lingvæ periti libenter amplectuntur, agnoscetes, tradi hic reciprocâ, adeoque plenam & certam peccati definitionem, nullo planè modo repudiandam, utpotè à Spir. S. dictatam, & præterea etiam ad leges bonæ definitionis compositam nimirum & genere & differentiâ constantè, id quod de alterâ etiâ peccati definitione Johanna, quâ in eadem Epistolâ, eodem ferè sensu, peccatum dixit esse *voluntar*, id est, Injustitiam, dici debet. Et hoc primum esto circa Bellarmini discutulum omninò notandum.

Lib. II.
de Conf.
Evang.
cap. 4.

LL.
Theol.
Tom. II.
pag. m.
453.

I. Epist.
III.

Vid. D.
Kromaj.
Polym.
Theol.
p. 267.
seqq.

dum. Jam *secundo*, quod contra *Hesbysium* urget, quasi definitionem peccati Augustinianam tacito quamvis nomine tanquam à Pontificiis profectam erroris arguerit, sciat Lector studiosus, *Hesbysium* & Evangelicos non ipsam peccati definitionem, sed vitiosam definitionis adplicationem improbare, quã videlicet Doctores Papæ eam, quã ad actualia tantum pertinet peccata, pro generali definitione peccati volunt haberi, cui etiam ratio peccati originalis includatur, id quod contra Augustini mentem esse certum est. Insuper quamvis fortè Evangelicis hæc definitio peccati Augustiniana aliquantò videatur imperfectior, & non omni ex parte sufficiens, non ob id tamen contemnere tantum doctorem sunt dicendi, nisi & ipse Bellarminus in numero contemtorum Augustino velit recenseri, duo in hæc definitione desiderans, *unum*, omissionem verbi omissionis, id est, peccatorum, quã ad differentiam aliorum peccata omissionis dicuntur; *alterum*, omissionem voluntarii, quia secundum Bellarmini pronuntiatum non quodvis dictum, factum, concupitum, sed dictum, factum, concupitum *voluntarium* sit peccatum contra Legem Dei æternam. Utriusque omissionem excusare quidem aliquatenus laboravit Bellarminus; sed melius fuisset non acculasse, quã impertinenter & leviter exculasse. De cætero, quia Bellarminus sibi liberum esse censuit, sine contemptu tanti Doctoris indicare, quid in definitione ab Eo proposita desideret, comet ipso imperfectionis & insufficientiæ eam arguens; scio, Augustinus ipse non iniquius interpretaretur, si redivivus legeret vel audiret, hanc definitionem peccati à se factam definito angustiorẽ esse, sicut ex omissione *voluntarii* eam definito latiorẽ dixit Bellarminus. *Angustiorẽ* dico. Non enim solùm nullam in ea fecit mentionem ipsius originis, undè hoc peccati malum provenit, quod omnes in universum homines tenet occupatos; sed & neq; omnibus peccati speciebus competit hæc definitio. Infantes certè cum peccato nasci, conitatur, & utrinque est in dubium. At in eos neq; factum, neq; dictum, neque concupitum propriè loquendo cadit. Manet ergò, hanc definitionem peccati Augustinianam, quam peccato in genere & universum competere putavit Bellarminus, ad peccata tantum actualia pertinere, id quod iterum ipsemet Bellarminus sui ex more hætenus consueto oblitus, imò satis aperte sibi, ut antehac sapius, contradicens, infra agnoscere fuit vi Veritatis coactus, scribens, *hanc Augustini definitionem convenire peccato, non ut significat maculam permanentem, sed actum transcentem*. En, Lector, Bellarminum testem contra semetipsum! Accedit nunc *tertiò*, quod circa peccati definitionem Augustinianam porrò est observandum, si peccati definitio in genere hic juxta præscriptum libri hujus primi Lemmã debuit exhiberi, non benè Bellarminum acculasse eam imperfectionis ob omissionem *voluntarii*, utpote quod ad peccata tantum actualia, non item ipsum originale peccatum referri debet, nisi peccato originali ipsius peccati notio juxta Pelagianorum errorem denegetur, contra quem Augustinus tot in locis strenuè pugnavit. Atque sic quamvis idem verbis à Bellarmino laudatis *Voluntarium* de ratione peccati esse videatur statuere, non nisi de peccatis actualibus intelligi debere, alibi notanter docuit, scribens contra Julianum, Episcopum Pelagianum: *Frustra putas, idè in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quã nulla est in eis, esse non potest. Hoc enim rectè dicitur propter proprium ejusq; peccatum, non propter primi peccati originale contagium; quod si nullum esset, profectò nulli malo parvuli essent obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in Anima, sub tantã justi Dei potestate paterentur, quod tamen & ipsum à malã priorum hominum voluntate sumsit exordium*. Prætermittere autem non debuit Bellarminus, quod ex libro Augustini de *verã Religione* adduxit, ut voluntarium de Ratione Peccati esse confirmaret, ostendere etiam, quo illud modo S. Doctor voluerit intellectum, mentem suam manifestè satis in Opere *Retractionum* explicans, verbis huc in Lectoris gratiam ponendis, quæ sic habent: *Psj. adeo, inquam, peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Potest videri falsã hæc definitio, sed si diligenter discutatur, invenitur esse verissima. Peccatum quippè illud intelligendum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati; quamvis & illa, quæ immeritò non-voluntaria dicuntur peccata, quia vel a nescientibus, vel a coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi, quoniam & ille, qui peccat ignorans, utiq; peccat voluntariè, quod, cum faciendum non sit, putat esse faciendum. Et ille, qui concupiscente adversus Spiritum carne, non ea, quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit, quod vult; sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit (nisi) quod vult, liber scilicet Instituti, servusque peccati. Et illud, quod in parvulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur (libero) voluntatis arbitrio, non absurde etiam vocatur voluntarium, quia ex primi hominis malã voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium. Non itaq; fal-*

lib. 5.
cap. 15.Lib. III.
cap. 5.lib. 1.
cap. 13.

falsum est, quod dixi, usq; adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Vides, Lector, de quibus peccatis Augustinus scripserit, quod non sint peccata, nisi sint voluntaria; de peccatis nimirum actualibus, non item proprie de peccato originali, de quo notanter monuit, quod non tantum modo sit peccatum, sed simul etiam pena peccati. Et quamvis illud quoque certo quodam sensu voluntarium dici posse existimavit, quia nimirum ex primi hominis malâ voluntate contractum, simul tamen monuit, esse illud in parvulis, cum adhuc non utantur (libero) voluntatis arbitrio, idcirco illud in antecedente contra Julianum testimonio, esse peccatum verè dictum, distinguens tamen ab eo, quod proprium cujusque dicitur peccatum, à propria cujusque profectum voluntate. Hæc si Bellarminus observasset, sicut omninò hanc tractans materiam de jure debuit observare, si modò Lectorem Veritatis studiosum sincerè ex officio voluit informare; non desiderasset in peccati definitione generali omissionem voluntarii, quamvis, ut jam est ostensum, hæc peccati definitio Augustiniana à Bellarmino commendata & explicata non omnem peccati in genere & quorumvis in specie peccatorum exhauriat rationem, sed ad peccata tantum pertineat actualia, atque hinc impertinenter à Bellarmino huc sit applicata, aliâ omninò in ejus locum substituendâ magis generaliori.

CAPVT OCTAVVM, & seqq.

DE

Discrimine peccati mortalis & venialis.

DE eo in antecedentibus egit prolixè Bellarminus ex Augustino, contra errores partim Joviniani & Pelagii, partim Viclefi & Calvinii, quorum illi hoc discrimen omninò tollebant, hi verò illud non ritè interpretabantur, fundamentum ejus ex una parte prædestinationem, ex alterâ reprobationem substituentes, quæ omnia sicco præterite licet pede, quia ipso iudice Bellarmino ad Evangelicorum non pertinent causam, ut potè quibus nihil in hac Quæstione vel cum his, vel cum illis est commercii, mediam huc quoque ut in aliis plerisque Fidei Controversiis viam tenentibus, inter extremas tam in excessu, quam defectu, ut fieri solet, peccantes & aberrantes. Rectè igitur ad Sententiam Evangelicorum Augustini auctoritate defendendam pergitur, ubi Sententiis opposita ex fine capitis quarti antecedentis Bellarmini verbis fuerit proposita, quæ sunt sequentia: *Communis Theologorum Catholicorum apud Magistrum Sententiarum & Thomam, ac omnium ferè Scriptorum, qui adversus hæreticos de hac Controversiâ differuerunt, est Sententia, quæ communi docent consensu, peccata quædam ex naturâ suâ, nullâ ratione ad prædestinationem vel reprobationem, aut ad statum Renatorum vel non Renatorum habitâ, esse mortalia, quædam venialia, & prioribus quidem indignum reddi hominem Dei amicitia, & mortis æternæ reum, posterioribus autem supplicii tantum temporalis paternæq; castigationis reum hominem constitui.* Quamvis autem de contrariâ Evangelicorum Sententia ex ipsis Lutheri, Chemnitii & aliorum verbis ab ipsomet Bellarmino in citato capite quarto adductis iudicare sit facillimum, videlicet, eos non omnem differentiam inter peccata mortalia & venialia respectu renatorum tollere, sed id tantum negare, quod quædam venialia dicantur esse ex suâ naturâ; tamen non potuit prætermittere Bellarminus, ad invidiam huc Sententiæ apud incautiores faciendam, quædam ei adfricare minus pertinentia, iisdemque Augustini opponere auctoritatem, quâ fide, quâ sinceritate, Lectori minus præoccupato & à præjudiciis libero commissum esto, in cujus gratiam huc adponi debent, quæcunque Bellarminus ad inervandam Evangelicorum Sententiam tribus diversis hypothesibus allegatis proposuit, & iisdem ex Augustino opposuit. Scribit igitur, Evangelicos præcipue tria docere, primo, peccata venialia esse illa, quæ à Deo non imputantur, quamvis ex se digna sint penâ ac supplicio sempiterno. Secundo, illa à Deo non imputari peccata, quæ simul in homine cum Fide, id est, cum fiducia Misericordiæ consistunt. Tertio, illa peccata sola consistere cum Fide, quæ sunt involuntaria. Singulis hypothesibus hisce opponit Bellarminus ex Augustino testimonia, demonstraturus hæc ratione, S. Doctorem Evangelicis hæc in Controversiâ adversarium esse omni ex parte. Et quidem contra primam ita scribit Bellarminus: *Quod primo adfirmant loco, ea peccata esse venialia, quæ non imputantur, aperte repugnat Scripturis & Patribus. Scriptura siquidè in locis ubi de peccatis venialibus etiam ex consensu Lutherianorum loquitur, manifestè docet, oportere penâ a Deo eorum peccatorum Remissionem; non igitur ea sunt rectè & condonata, vel non imputantur ipsi dicunt, sed imputantur & ligant, ac reñ faciunt, quamvis facile condonentur ac remittantur.*

At, si peccata iustorum, quia persona est grata, non imputantur, quid opus esset remissione, & cur oporteret confessionem eorum praemittere? Huc pertinet illud Christi, Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, quod Sancti Patres ad peccata venialia pertinere docuerunt; qui enim lotus est ab impietate & letaliibus peccatis, adhuc eget lotionem pedum, id est, remissione venialium, quae instar pulveris in via vitae huius nostris adherent pedibus, Augustino ita scribente: Dominus dicit, Veritas loquitur, quod opus habeat pedes lavare etiam ille, qui lotus est. Quid, fratres mei, quid putatis, nisi quia homo in Sancto quidem Baptismo totus abluitur, non prae ter pedes, sed totus omnino? Verum tamen cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur adfectus humani, sine quibus in hac Mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus adscimur, ut si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, & Veritas in nobis non sit. Quotidie igitur lavat pedes nobis, qui interpellat pro nobis; & quotidie nos opus habere, ut pedes lavemus, id est, vias gressuum spiritualium dirigamus, in ipsa Oratione Dominica confitemur, cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra &c. Si enim confitemur, sicut scriptum est, nostra peccata, profecto ille, qui lavit pedes suorum Discipulorum, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate, id est, usque ad pedes, quibus conversamur in terra. Contra secundam hypothesein, quam Evangelicis adscripsit, vel potius adfinxit, ita scribit Bellarminus: Quod secundo dicitur, illa non imputari peccata, ac per hoc esse venialia, quae simul cum Fide consistunt, facili negotio convincitur esse falsum. Nam si ita esset, ut Adversarii volunt, sequeretur, nullum esse peccatum mortale praeter infidelitatem, ac proinde Sacrilegia, homicidia, adulteria, furta, rapinas, non esse peccata mortalia, quod est & contra manifestam Christi ac Apostolorum doctrinam, & contra ipsorum Lutheranorum Sententiam. Post plura in hanc rem addit: Denique inauditum est in Ecclesia, ut ob solam fornicationem vel adulterium, aut aliud simile peccatum, Christianus aliquis Fidem amisisset, aut haereticus factus fuisse dicitur, Augustino scribente: Inter haereticos & malos Catholicos hoc interest, quod haeretici falsa creant, illi autem vera credentes non vivunt ita, ut credunt. Et alibi: Constituamus aliquem castum, continentem, non avarum, non Idolis servientem, hospitalitatem indigentibus ministrantem, non cuiusquam inimicum, non contentiosum, patientem, quietum, nullum emulantem, nulli invidentem, sobrium, frugalem, sed haeticum; nulli utique dubium est, propter hoc solum, quod haeticus est, regnum Dei non posse surum. Constituamus alium fornicantem, immundum, luxuriosum, avarum, vel apertius etiam Idolis dedicatum, venesicum, discordiosum, contentiosum, emulum, animosum, seditiosum, invidum, ebriosum, commensatorem, sed Catholicum; numquid propter hoc solum, quod Catholicus est, regnum Dei possidebit, agens talia, de quibus sic Apostolus concludit, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt? Si hoc dicimus, nos ipsos seducimus. Contra tertiam hypothesein Evangelicis adfectam ita porro ex Augustini autoritate scribit Bellarminus: Tertium caput, quod continebat, illa sola peccata, quae sunt plane involuntaria, cum Fide posse consistere, ex his, quae dicta sunt, apertissime convincitur esse falsum. Iam enim ostendimus, non solum peccata involuntaria, sed etiam voluntaria, quantumvis gravia, consistere simul cum Fide, praeter id solum, quod Fidei est contrarium, haeresin videlicet vel infidelitatem. Deinde peccata prorsus involuntaria, apud eos, qui recte possunt iudicare, non venialia sunt, sed nulla. Et si Augustino credimus, repugnantia loquitur, qui peccatum dicit involuntarium, cum de ratione peccati sit, esse voluntarium, teste Augustino & scribente: Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Bellarminus subiungit, Neg, loquitur Augustinus de iudicio civili, sed Divino; nam loquitur de peccato in genere, ut comprehendat etiam peccata malorum Angelorum, quae ad iudicium civile nullo pertinent modo. Quid de his habendum, infra ex debito indicabitur, ubi prius fuerit visum, quae testimonia Bellarminus pro sua Sententia laudaverit ex Augustino, post adducta Scripturarum oracula ita scribens: Concilium Milevitanum docet, Sanctos & iustos homines habere quaedam peccata, quae, tamen iustitiae & Sanctitati non repugnent, verè tamen sint peccata & remissione indigeant. Sed quia possent Adversarii responderi, illa Sanctorum peccata esse venialia ex Misericordia Dei, non ex natura sua; proferemus Commentarium Augustini, qui eorum Canonum auctor fuit, ut Ipse sua exponat verba. Tamen si enim Canones illi nomine totius Concilii sunt editi, tamen, qui eos composuit, Augustinus fuit. Is autem in libro de Natura & Gratia easdem profert Scripturas, Dimitte nobis debita nostra &c. & si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. quas protulerat in illis Canonibus Milevitanis. Deinde sequenti capite explicat, de quibus peccatis illae Scripturae sint intelligendae, scribens: Ita nec commemorandum fuit, si Abel, quamvis merito

Joh. 13.

Tract. 16.
in Joh.in Math.
Quaest. 11.lib. IV. de
Bapt. cap.
18.de Vera
relig. c. 14.Cant. 6.
7. 8.cap. 35.
36. 37.

justus est adpellatus. paulò immoderatus aliquando risit, vel animi remissione est jocatus, vel vidit ad concupiscendum aliquid, vel aliquando immoderatus poma decerpit, vel plusculo crudior fuit cibo, vel cum oraret, cogitavit aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, & quoties illi ista & similia multa subreperint. Hec ille, inquit Bellarminus, ubi satis ostendit, peccata venialia non esse solum primos & involuntarios motus concupiscentiæ, quos Adversarii peccata mortalia ex sua natura, & venialia ex DEI Misericordiâ esse docent; sed etiam actiones quasdam malas & plane voluntarias, ut immoderatum risum, nimium cibum, jocum non necessarium, quæ actiones, si peccata essent mortalia ex sua natura, sine dubio imputarentur à Deo & hominem damnarent, ac per hoc cum iustitiâ nullâ ratione consistere, sola enim involuntaria ex Adversariorum Sententiâ non imputantur, & cum iustitiâ consistunt. At hæc peccata ex Augustini & Concilii Milevitani doctrinâ sunt venialia & cum iustitiâ consistunt. Igitur non sunt mortalia ex natura sua, sed ex natura, & ex genere, & modis omnibus, absolute & simpliciter venialia. Et postquam hoc aliis etiam Patrum & Græcorum & Latinorum confirmare annis est testimoniis Bellarminus, ex Augustino sequentia adjecit.

cap. 38.

Primum ex eodem libro de Natura & Gratia: Quia sæpe in levissimis & aliquando incautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt. *Addit ad hoc Bellarminus*: Hoc loco videmus, venialia peccata, quæ iustitiam non auferunt, vel ideò talia esse, quia in re levissimâ consistunt, vel quia obrepunt incautis. Proinde ratio, cur peccatum aliquod sit veniale, non est, quia non imputatur, licet imputari possit, ut docent Adversarii, sed quia in re levissimâ consistit, ut in verbo otioso, in rilu nimio, in joco supervacaneo; vel quia obrepit incautis, ut evagatio mentis tempore Orationis, ut cum Augustino Catholici docent.

cap. 36.

Secundum ex libro de Spiritu & Literâ: His constitutis peccatum erit hominis ex Fide viventis, aliquando alicui illicitæ delectationi consentire, non tantum in illis facinoribus horrendis & flagitiis perpetrandis, verum etiam in istis levioribus, ut vel aurem alicui voci, quæ non esset audienda, vel linguam alicui, quæ non esset dicenda, accommodet.

cap. 71.

Tertium ex Enchiridio: De quotidianis brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc Vita non ducitur, quotidiana fidelium Oratione satisfacit: Eorum enim est dicere, Pater noster, qui es in Coelis, qui jam Patri tali ex Aqua & Spiritu Sancto sunt regenerati. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. *Quartum* ex Sermone quadragesimo & primo de Sanctis: Illo transitivo igne, de quo dixit Apostolus, salvus erit, sic tamen quasi per Ignem, non capitalia, sed minuta purgantur peccata. Et infra, Quibus peccatis licet occidi animam non credamus, ita tamen eam veluti quibusdam pustulis & quasi horrendâ scabie faciunt deformem, ut eam ad amplexus Sponsi illius cœlestis aut vix, aut cum grandi consolatione venire permittant.

Addit iterum Bellarminus, Ex his locis colligimus, sensisse Augustinum, peccata venialia ex natura esse talia, tum quia vocat brevia, levia, levissima, minuta, minima, quotidiana; tum quia comparat ea cum pustulis & scabie, quæ non solum non occidunt, sed etiam ex natura sua non sunt morbi lethales; tum denique, quia peccata vocat venialia non solum subitos quosdam Concupiscentiæ motus, quos solos Adversarii habent pro venialibus, atque à Deo non imputari dicunt, sed etiam peccata quasdam omnino voluntaria, ut jocos supervacaneos, risum nimium & similia, quæ ex natura sua in rebus consistunt levissimis, quibus adjungit etiam mendacia officiosa, cum in Enchiridio sic loquitur: Non ideò mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquam pro salute quorundam mentimur. Peccatum ergo est, sed veniale, quod Benevolentia excusat.

Post hæc illa etiam producit testimonia ex Augustino Bellarminus, quæ pro Evangelicorum Sententiâ contra discrimen hoc peccati mortalis & venialis in Sensu, quo defendit Bellarminus, militare videntur, subnexis ad ea responsionibus, de quibus suo ordine.

lib. II. de

peccat.

merit.

cap. 3.

Sunt autem ea duplicia, vel duplicem habentia respectum, quæ ita proponit Bellarminus: *Obijciunt*, inquit, Evangelici Augustinum, qui hæc habet verba: *Quis cum spe aliqua concupiscendo Salutis æternæ de hæc Vita migraret, illa manent et Sententiâ, quod quicumque, totam servaverit Legem, offendat autem in uno, factus est omnium reus; nisi post paululum sequeretur, Superexaltat autem Misericordia iudicium?* Addit Bellarminus, Videtur his verbis significare Augustinus, peccata quæcunque, etiam venialia, ex se mereri Mortem æternam, & reverâ ob quodlibet peccatum homines damnandos, nisi Misericordia mitigaret iudicium. Cui Sententiæ similis est illa ejusdem Authoris: *Cum Rex justus sederit in Throno, quis gloriabitur, castum se cor habere; aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexaltet Misericordia iudicium?* Et illa ex opere Confessionum: *Ve etiam laudabili vita hominum, si Misericordiâ remota discerimus eam.* Pergit autem Bellarminus.

Epist. 29.

ad Hier.

lib. 9. cap.

ult.

Ve etiam laudabili vita hominum, si Misericordiâ remota discerimus eam. Pergit autem Bellarminus.

minus, *Sunt ea prater multa ejusdem Authoris loca, quae docent*, multa venialia simul collecta damnare hominem; *ex quo videtur sequi, ut si pauca non damnent, id fiat ex misericordia Dei, non ex naturâ ipsius peccati.* Loca sunt quinque. *Primum*: Jacobus de Misericordiae operibus loquitur, ut quos vehementer terruerat, consoletur, cum admonet, quomodo peccata etiam quotidiana, sipe quibus hic non vivitur, quotidianis expientur remediis, ne homo, qui, cum in uno offenderit, fiat omnium reus, in multis offendendo, quia in multis offendimus, propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad Tribunal tanti Judicis perveniat, & eam, quam non fecit, Misericordiam non inveniat, sed potius dimittendo atque dando mereatur sibi peccata dimitti, reddique promissa. *Secundum*: Est etiam poenitentia bonorum & poena fidelium humilium quotidiana, in qua tundimus pectora, dicentes, Dimitte nobis debita nostra &c. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quae dimissa non dubitamus in Baptismo, sed illa utique, quae fragilitati humanae, quamvis parva, crebra tamen subrepunt, quae si collecta fuerint contra nos, ita nos gravabunt & opprimunt, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu Navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens Aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? *Tertium*: Quoniam tentatio est vita hominis super terram, etiam si à criminibus longè simus, non deest tamen, ubi desideris peccati vel facti, vel dicti, vel cogitatu obediamus, quando adversus majora vigilantibus quaedam incautis minuta subrepunt, quae si adversus nos colligantur, etiam si non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt. *Quartum*: Quomodo minuta, si negligantur, peccata occidunt? Minutae sunt guttae, quae flumina implent. Minuta sunt grana arenae; sed si multa imponatur arena, premit atque opprimit. Hoc neglecta facit sentinam, quod fluctus irruens paulatim intrat per sentinam; sed diu intrando & non exhauriendo mergit Navim. *Quintum denique*, Leviam noli contemnere. Si contempnis, quando adpendis, expavesce, quando numeras. Leviam multa faciunt unum grande, multae guttae implent flumen, multa grana faciunt massam. *Bellarminus ad haec ita*: Duo quaedam pro compertis sunt habenda, ex quibus pender horum locorum explicatio. *Primum est*, Augustinum non existimasse, eum, qui venialiter offendit in uno, omnium fieri reum, juxta Sententiam Jacobi; sed eum solum, qui lethaliter offendit, id quod perspicuum est ex Epistola ad Hieronymum, ubi Augustinus non semel reperit, ideò, qui offendit in uno, omnium fieri reum, quia pugnat contra Charitatem, ex qua pendent omnia mandata. Quare ex Sententia Augustini, qui peccat salvâ charitate, non ita offendit, ut omnium fiat reus. Idem verò Augustinus in eadem scribit Epistola, *Peccata venialia committi à filiis Dei justis Charitatem habentibus, sed non tantam, quantum in Patriâ caelesti habebunt: ex eo enim, quòd Charitas in hac vita non est tam perfecta quam in futurâ erit, omnia peccata venialia committi dicit.* Itaque vult, peccata lethalia simpliciter consistere cum Charitate non posse, peccata autem venialia consistere quidem cum Charitate, sed non cum illâ Charitatis perfectione, quam habebimus in Patriâ. Ex quo sequitur, ut qui lethaliter offendit in uno, omnium fiat reus, non autem, qui venialiter. Quocirca in Epistolâ extremo, ubi loquitur de peccatis venialibus, dicit, eos, qui multa peccata leviam & quotidiana committunt, terreri à Jacobo, dicente, *qui offendit in uno, factus est omnium reus*; non quia unum peccatum leve & quotidianum habeat eam vim, ut omnium faciat reum, sed quia magna congeries levium peccatorum videatur æquare unum aliquod grande peccatum, quod, qui commiserit, omnium fiat reus. Hoc enim illa significant verba superius citata, quibus, quos vehementer illa terruerat Sententia, consolatur, cum admonet, quomodo quotidiana etiam peccata, sine quibus hic non vivitur, quotidianis expientur remediis, ne homo, qui, cum in uno offenderit, fiat omnium reus, in multis offendendo, quia in multis offendimus, propter magnum aggerem reatus sui minutatim collectum ad Tribunal tanti Judicis perveniat &c. *Alierum est*, illas Augustini Sententias, in quibus docet, multa peccata leviam simul collecta occidere & damnare hominem, non secus, atque unum grande peccatum, non sic esse accipiendas, quasi multitudo peccatorum venialium, dum venialia manent, æquari possit uni mortali, id enim apertissimis rationibus falsum esse convincitur. Nam venialia peccata ex consensu omnium Theologorum neque tollunt, neque minuunt habitum Charitatis, sed solum ejus actum & fervorem impediunt. Quare etiam si omnia peccata venialia simul colligerentur in unum, nunquam id efficerent, quod facit unum lethale peccatum, quod videlicet continuo Charitatem excludit. *Deindè*, poena mortalis peccati sempiterni

Epist. 29.

Epist. 108 ad Seleuc.

Conc. III. in Pl. 118.

Tract. 12. in Joh.

Tract. 1. in Epist. Ioh.

sempiterna est, pœna autem venialis peccati temporaria. At nulla temporalia spatia que-
unt ad æquare æternitatem. Igitur nec ulla multitudo peccatorum venialium gravita-
tem unius peccati mortalis unquam adæquabit; siquidem ea est proportio pœnæ ad pec-
nam, quæ culpæ ad culpam, cum pœna sequatur culpam. Ad hæc si multa venialia uni
mortali essent æqualia, incredibilis ambiguitas, in fidelium animis existeret, cum nec
Scripturæ, neque Concilia, nec ulli Authores unquam definierint, quot venialia requi-
rantur ad unum mortale efficiendum. Denique oporteret peccata venialia, cum mul-
ta sunt, necessariò in Confessione Sacramentali aperire Sacerdotibus, quod & Concilio
Tridentino & communi Christianorum sensui & consuetudini repugnat. Sententia
igitur Augustini, ut rectè Thomas docet, fuit ea, multa venialia, si contemnantur & ne-
gligantur, paulatim disponere hominem ad crimen mortale, quemadmodum vulnus
curabile, si negligatur, paulatim gignit apostema lethiferum, & eo modo dicitur fieri in-
curabile. Id quod apertius scribit Gregorius verbis sequentibus: *Si curare parva ne-
gligimus, insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetravimus.* Et ante utrumque idem
scripsit Ecclesiasticus, cum ait: *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Posset etiam di-
ci, multa venialia secundum Augustini Sententiam æquari uni mortali quoad pœnam
temporalem in Purgatorio luendam. His duobus præmissis, scribit porro Bellarminus,
respondeo ad locum ex Opere de peccatorum meritis & remissione, duabus de causis Au-
gustinum scripsisse, Quis cum aliquâ spe salutis adipiscendæ &c. Primo, quia quodlibet
crimen, quamvis solum & minimum sit, ad æternam hominis perditionem sufficit, & ne-
mo novit certò, annon habeat vel habuerit aliquod ejusmodi crimen, unde iram Dei
sibi conciliaverit, & ad Gratiâ Ejus per veram Pœnitentiam non redierit. Et ideo
nemo cum spe Salutis adipiscendæ de hæc migraret vitâ, nisi sciret, se bonum habere Do-
minum, & speraret, per Ejus Misericordiam peccata sua præsertim lethalia jam esse di-
missa. Secundo, quia in venialibus offendimus omnes, multa autem venialia disponunt,
ut diximus, ad mortale, qui verò offendit in uno mortaliter, efficitur omnium reus; ideo
nisi prævidisset nobis Deus quotidiana remedia ad purganda quotidiana peccata, nemo
ferè esset, qui cum aliquâ spe Salutis adipiscendæ migraret de hæc Vita. Ad locum ex
Epistola ad Hieronymum & Opere Confessionum Augustini respondet Bellarminus, loquitur
Sanctum Patrem de pœnâ Purgatorii, quæ acerbissima sit, & quam vix ulli homines iusti,
nisi ex magna Dei Misericordia evadant, ita ut rectè ex corpore ad Cælum evolent.
Hoc autem ita esse, inquit porro Bellarminus, perspicuum est ex eodem loco Confes-
sionum. Augustinus enim oraturus, pro lux Martis defunctæ animâ, quam vehementer
laudaverat, ne quis fortè miraretur, cur oraret pro eâ, quam tantoperè commendaverat,
rationem reddit, dicens: *Va etiam laudabili hominem vitæ, si remotâ Misericordiâ dispa-
ritas eam.* Ubi, si illud Va damnationem respiceret æternam, non fuisset ratio, cur pro
defunctâ Matre orandum esset; neque enim pro damnatis orare licet. Itaque voluit
significare, homines etiam vitæ laudabilis non carere peccatis venialibus, ob quæ, si se-
verè judicentur, gravissimas in Purgatorio luere debeant pœnas. Purgatorias autem
pœnas majores esse omnibus pœnis & Supplicii vitæ hujus, & propterea rectè dici Va
illis, qui ad eas descendunt luendas, idem testatur Augustinus alibi scribens: *Salvum erit
quasi per Ignem; gravior tamen erit ille Ignis, quàm quicquid potest homo pati in hæc Vita.*
Ad alia, id est, cætera quinque loca Augustini jam responsum est, inquit Bellarminus,
ne verbo tamen indicans, ubi hoc factum sit, hocque modo Lectorem in suspensio relin-
quens ac in Suspensione, quod nihil in promptu fuerit eorum claritati opponendum, sic
ut verè ita sunt perspicua, ut nulla ratione possint obtenebrari vel obcurari, quod de
cæteris etiam proximè fiet manifestum.

lib. 19.
Moral.
cap. 14.
cap. 19.

in Pl. 37.

Ut enim nunc examen eorum, quamvis per breve & ex Instituto succinctum adgre-
diamur, quæ Bellarminus prolixè hætenus ex Augustino de hæc Questione controver-
sâ Evangelicis opposuit; ante omnia de illis hypothesebus aliquid est dicendum, quas
ad incrustandam, ut supra monui, Evangelicorum Sententiam, nullo Authore nomina-
to, proposuit Bellarminus, additis in contrarium Augustini testimonii, ubiq; Lectoris
incauti simplicitate abutens, cui voluit per valum, Augustinum Evangelicis hic esse ad-
versarium, ad eòque Sententiæ de naturali quorundam peccatorum venialitate Patro-
num. Et quidem circa primam hypothesein, etsi in peccatis venialibus, quæ certo respectu
Evangelicos agnoscere, supra dictum, non imputatio ex parte Dei intercedat, nemora-
men ex Evangelicis formalem eorum rationem, quatenus nimirum à mortalibus ita
dictis distinguntur, in non-imputatione hæc esse docuit, aliàs enim quævis peccata, co-
tantum,

tantum, quod contra Spiritum Sanctum dicitur committi, excepto, essent venialia, utpote quæ penitentibus & in Christum credentibus juxta phrasin à regio Palse & Apostolo propositam à Deo non imputantur, sed gratiosè remittuntur. Neque commendata hæc *non-imputatio* ita aperte repugnat Scripturis & Patribus, nominatim Augustino, uti Bellarminus scripsit, suam in hoc prodens ignorantiam, quod Evangelicorum de hæc *Questione*. Sententiam non ritè perceperit, atque hinc cum Larvis pugnaverit. Non enim docent Evangelici, ita non-imputari peccata à Deo, sive venialia, sive mortalia, ut non antecedere sit necesse devotam orationem ad Deum pro remissione eorum, iis testibus locis, quæ ipse citat Bellarminus, causam eometiplo agens Evangelicorum, eorumque illustrans Sententiam, quam cæco quodam impetu suscepit impugnandam. Confundit nimirum & inter se opponit ac divellit Bellarminus minimè disjungenda vel opponenda, videlicet gratiosam peccatorum Remissionem & *non-imputationem*, quæ laudati Scriptores Canonici in utroque Testamento celebratissimi, David & Paulus, conjunxerunt, unumque per aliud egregiè illustrarunt, docentes, peccata à Deo remitti, dum non imputantur, & non-imputari eometiplo, dum gratiosè remittuntur, præcedentibus devotis precibus, ad præscriptum cælestis Oratoriæ Magistri, ad exemplum omnium Sanctorum, Davide iterum nos hic informantè. Et hoc sensu Augustinus omninò noster est, pedum lotionem ita describens, ut omnia Ejus nostra possimus facere, ac quasi pro nobis scripta cum gratiarum actione debitâ suscipere. Circa *hypothesein secundam* notari debet ex iis, quæ ad primam modò sunt dicta, alienam planè mentem adfinxisse Evangelicis præter omne jus Bellarminum, quasi doceant, illa non-imputari peccata, ac per hoc esse venialia, quæ simul cum Fide consistunt, deductâ exiundè consequentiâ, quæ cum publicis publicarum Confessionum libellis è diametro pugnat, & non-nisi imputationes sunt injuriosissimæ, pluribusque cum calumniis conjunctæ. Non est hujus loci, de eo jam ex professo agere, illud saltem noto, ante Annos non ita multos idem ferè imputatum fuisse Doctori *Hülsemanno*, Theologo antehac celeberrimo, & cujus magna lause est in Ecclesiâ verè Catholicâ: qui verò gravissimam hanc illatam suo nomini, Famæ & Doctrinæ per omnia orthodoxæ injuriam & impactam coram orbe Evangelico calumniam in *Dialysi Apologetica*, post etiam Scripto quodam vernaculo, quâ polluit Styli potentia, ita à se repulit, suamque vindicavit Sententiam, ut posthæc nihil amplius in eâ possit desiderari ab iis, qui sine præjudicio & mentis præoccupatione ex vero iudicare didicerunt. Testimonium Augustini huic hypothesei, adeoque Evangelicis à Bellarmino oppositum, Evangelicis non ritè opponi, ex eorum communi doctrinâ de peccatis Fidem & Spiritum Sanctum expellentibus constat, utpote quæ Augustini doctrinæ non contraria, sed ex affe conveniens est. Patet hinc, quid responderi debeat ad *tertiam* hypothesein impudentissimè Evangelicis adscriptam, quasi peccata tantum involuntaria doceant posse consistere cum Fide, cui dum opponit, *voluntaria etiam, quamvis gravia, posse simul consistere cum Fide, hæresis solium vel infidelitate exceptâ*, divertim se ab Augustino sentire, ostendit satis manifestè; & quæcunque de nullitate peccati involuntarii adjungit, Augustini iterum autoritate abulus, per ea nullitatis convincuntur, quæ ad caput antecedens de peccati definitione in genere ex Augustino tuere adducta. Hæc de hypothesebus falsis & suppositiis. Nunc ut ad demonstrationem Bellarminianam veniamus, quibus peccata naturâ venialia probare ex Augustino laboravit, ante omnia provocavit ad Concilium *Milevitantum*, non solum Augustini tempore celebratum, sed cujus Canones ab Augustino compositos esse scribit, quos etiam aliis Augustini testimoniis illustrare studuit. Quia verò ipsos verbotenus Canones non adduxit, juvat eos huc adponere, ut, an Bellarmino profint, vel potius obsint, Lector Veritatis studiosus videat. Ita autem post alias plures in Editione Conciliorum *Bailiano-Parisiensi* habent citati à Bellarmino Canones. Et quidem *Sextus*: Placuit, quod ait S. Johannes Apostolus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia veritas est, *anathema sit*: Sequitur enim Apostolus & adjungit, *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & justus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate*. Ubi satis adparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici; poterat enim Apostolus dicere, *Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est*. Sed cum ait, *nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*; Satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum. *Notanter* observavit ad hunc Canonem nuper

Sylvius

Sylvius, Professor Duacensis, in Summâ Bartholomæi Caranza, primam hujus Decreti vel Canonis partem male, propter humanitatem, habere, qualiter etiam in Editione Petri Crabbe legitur, ipso contextu requirente, ut, propter humilitatem legatur. Sequitur Canon septimus: Item placuit, ut, quicumque dixerit, in oratione Dominicâ ideo dicere Sanctos, *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria petitio ista, sed pro aliis, qui sunt in tuo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, *Dimitte mihi debita mea*, sed, *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, *anathema sit*. Sanctus enim hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, *anathema sit*. Sanctus enim hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, *anathema sit*. Sanctus enim hoc pro aliis potius, quàm pro se justus petere intelligatur, *anathema sit*.

cap. 3. & justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat, *In multis offendimus omnes*. Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista Sententia conveniret & Psalmo, ubi legitur, *Non intres in*

Pf. 143. *Judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens?* Et in oratione

Ecclef. 7. sapientissimi Salomonis, *Non est homo, qui non peccet*. Et in libro Jobi, *In manu omnis*

cap. 37. *hominis signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam*. Unde etiam Daniel Sanctus &

cap. 9. Justus, cum in Oratione pluraliter diceret, *Peccavimus, iniquitatem fecimus, & cetera*, quæ ibi veraciter & humiliter confitetur, ne putaretur, quemadmodum sentiunt quidam, hæc non de suis, sed de populi potius sui dixisse peccatis, postea dixit, *Cum orarem, & confiterer peccata mea & peccata populi mei Domino Deo nostro*; noluit dicere peccata nostra, sed populi sui dixit & sua, quia futuros istos, qui tam male intelligunt, tanquam Propheta prævidit. Oportet super adhuc est Canon: *Item placuit, ut quicumque verba ipsa Orationis Dominicæ, ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra*, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, *anathema sit*. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis sibi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere? Hæc Patres Synodi Milevitane, & inde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere? Hæc Patres Synodi Milevitane, & inde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere? Hæc Patres Synodi Milevitane, & inde dicit, quæ sibi dimittantur, debita non habere?

ter eos Canonum è Sententiâ Bellarmini author Augustinus, è quibus judica nunc Lector, an verè scripserit Bellarminus, in iis doceri, *Sanctos & justos homines habere quædam peccata, quæ tamen si iustitia & sanctitati non repugnent, verè tamen sint peccata & remissione indigeant*. Ubi enim vel quibus verbis id indicârunt Patres Milevitani, peccata, quorum ex libro Jobi, Psalmorum, Salomonis, Danielis, Oratione Dominicâ, Johannis & Jacobi Epistolis, ut vocantur, Canonicis fecerunt mentionem, iustitiæ & sanctitati non repugnare? iustitiæ inquam & sanctitati, eidemque vel Divinæ vel humanæ. Utrique non repugnare peccata, de quibus ibi contra Pelagianos loquuntur, docere non poterunt, nisi in referri ludere voluissent, atque adversariis ansam ridendi præbere, si ex utroque Testamento Oraculis in medium productis, quæ menti & Sententiæ ipsorum, si Bellarmini glossa obtineat, è diametro sunt opposita, atque aliud plane docentia, Quid enim? An regius Pfaltes suppliciter Deum rogans, *Non intres in iudicium cum servo tuo &c.* an Daniel suo & totius populi nomine ingenuam peccatorum confessionem Deo faciens & dicens, *Iniquitatem fecimus &c.* an Christus formam præcandi præscribens & mandans, ut quisvis homo, Apostolis non exceptis, sed inclusis, ex corde penitenti ad Deum quotidie dicat, *Dimitte nobis debita nostra &c.* ut de cæteris jam nihil dicam, putârunt, hæc peccata nec Divinæ nec humanæ Sanctitati & iustitiæ repugnare? Sentibus corruptum, si non omnino destitutum esse oportet, qui hæc credat & alius per se ipsum esse velit, præ stupore credens, non cum hominibus, sed cum bestiis rem sibi esse, & si quid brutius potest excogitari. Et ut cæteris nunc prætermisissis solam Danielis confessionem, uti humilem, ita veram adhuc amplius urgere pergam, anne credendum est, agnovisse vel existimasse Eum, se & populum ob leviam tantum peccata, & quæ in se & ex natura sua sint venialia, in captivitatem Babelicam adductos tanta ab insensissimis hostibus, quibus à Deo malorum vindice iustissimo erant traditi, sustinere in loco sibi inimicissimo mala? In his minoribus, ut Daniel hæc sibi dicatur, nescio, an excusari possint. Certè totius Orationis devotissimæ contextus aliud plane ostendit; sicut integer etiam Canonum Synodi Milevitane tenor plurimum ex utroque Testamento Oraculorum exhibens sensum nullibi ne verbulo insinuat, de venialibus tantum peccatis esse Sermonem, multò minus de venialibus ex se & natura sua, ut Bellarminus quidem, sed falso putat, cum certum sit, id genus peccatorum illo tempore in Ecclesiâ fuisse incognitum, id quod ea potè ostendunt ex Augustino testimonia, ad quæ Bellarminus aucter provocat, laudata à Canonibus Milevitanis Oracula novi præsertim Testamenti uberius explicantia, ita tamen, ut nulla peccatorum in se & ex natura sua venialium, quæ iustitiæ & sanctitati non repugnent, occurrat mentio, verbis Sancti doctoris aliud plane indicantibus. Et de formulâ quidem Confessionis peccatorum quotidianæ in Oratione

Dominicâ à Christo præscriptâ notanter monet, non frustra justos etiam in oratione dicere, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; Dominumque CHRISTUM, cum eandem docendo explicuisset Orationem, veracissimè subdidisse, *Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester peccata vestra*. Per hoc enim quotidianum spiritale quodammodò incensum, quod ante DEUM in Altari cordis, quod sursum habere admōnemur, inferitur, etiam si non hic vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subindè veniâ deletur, quod subindè ignorantia vel infirmitate committitur. Ad Oraculi Johannaî à Patribus *Milevitanis* laudati sensum hæc habet ibidem Pater augustissimus; *Si omnes Sanctos & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato; quid fuisse responsuros putamus? Rogo vos, quamlibet fuerint in hoc corpore sanctitatis excellentiâ, si hoc interrogari potuissent, unâ voce clamassent, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & Veritas in nobis non est. An illud humiliter responderent fortasse, quàm verius? Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia Veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilo minus haberent peccatum, quia Veritas in eis non esset.* Post plura & ea etiam, quæ Bellarminus pro se laudavit, ita porro in hanc rem scripsit: *An forte peccata non sunt, de quibus generaliter cavendis atq; cohibendis præcepto admonemur Apostolico, ubi dicit, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum ejus desideriis? His quippe, ne obediamus, ad ea, quæ non licent, vel minus decent, quotidianâ & perpetuâ conflictatione certandum est; nam utique ex hoc vitio mittitur vel dimittitur oculus, quò non oportet. Quod vitium si corvaluerit & prævaluerit, etiam adulterium perpetratur in corpore, quò in corde tantò sit citius, quantò est cogitatio celerior, & nullum impedimentum morarum. Hoc peccatum, id est, hunc vitiose adfectionis appetitum, qui magnâ ex parte frenârunt, ut non obedirent desideriis ejus, nec exhiberent ei membra sua arma iniquitatis, justî etiam adpellari meruerunt, & hoc adjutorio Gratiae DEI. Verum quia sæpè in levissimis & aliquando incautis obrepit peccatum, & justî fuerunt, & sine peccato (tamen) non fuerunt.* Libuit hæc Sancti Patris testimonia, Bellarmino ea suppeditante, aliquantò prolixius huic adscribere, quia eorum in sequentibus etiam non planè nullus erit ulus. Hic ex iis notetur, etiam si non modo leviorum, sed & levissimorum faciat mentionem peccatorum Doctor augustus, nullibi tamen indicare naturalem eorum venialitatem, sed ea cum Evangelicis, vel potius Evangelicos cum eo nominare peccata infirmitatis & ignorantie, non nisi præviâ Orationis & devotæ deprecationis oblatione Remissionem impetrantia. Et hinc etiam patet responsum ad cætera quatuor testimonia Augustini, quibus hanc naturalem peccatorum venialitatem porro adsttuere sategit Bellarminus, utpotè in quorum nullo hic terminus legitur, neque id etiam docetur, quod per eum hic intelligi voluit Bellarminus. Quod enim in primo, inter proximè antecedentia autem ultimo, levissimorum meminit, & quæ incautis aliquandò obrepunt, certo quodam respectu intelligendum est, videlicet in oppositione graviorum & eorum, quæ datâ fiunt operâ & studio. Idem de secundo dicendum, quod idem discrimen inculcat; & idem ferè etiam de tertio, quod in terminis peccata regeneratorum à peccatis irrogenitorum discernit. Quartum, dum ad Ignem respicit Purgatorium, ex iis debet explicari, quæ supra in loco de hâc Quæstione ex Augustini Sententiâ fuere sufficienter adducta. Et quia pars ejus altera quædam peccata listit animam non occidentia, (etsi Augustinus ex vulgi opinione id videatur scribere, quibus peccatis licet occidi animam non credamus,) quæ animam veluti quibusdam pustulis & horrendâ quasi scabie faciant deformem, ut eam ad amplexus Sponsæ cælestis aut vix, aut cum grandi confusione permittant venire; res hæc commendanda est Medicis, de hâc comparatione judicium ferre peritioribus.

Vindicanda nunc essent ea Augustini testimonia, quæ ipse Bellarminus pro Evangelicorum Sententiâ, contra naturalem peccatorum venialitatem, prolixè satis & numerosè adduxit; Sed dum ipse in responso parcus est nimis, nimirum posteriora quinque omninò absque Responso dimittens, ad duo autem priora non nisi Phantasmata cerebri malè sani, & glossas textui vim inferentes, ad eòque facili operâ repudiandas adferens, paucissimis

cap. II.

cissimis id Lectori indicasse satis erit. *In genere*, duo prænotanda monet, *primum*, quod Augustinus Oraculum Jacobi laudans, quo docetur, *eum qui offendit in uno, omnium scire reum*, non sit existimandus id intellexisse de peccatis venialibus, *sed tantum lethalibus*, id est, contra charitatem pugnantibus, *cum venialia fiant salva charitate*. Sed adtingit Bellarminus & Jacobo Scriptori Apostolico, & Augustino Doctori Ecclesiastico eam de peccatis venialibus, quæ salva fiant charitate, & è contrario mortalibus, quæ sola contra Charitatem sunt, Sententiam, quæ ex Illorum verbis neutiquam, vi etiam adhibitâ, potest erui vel extorqueri. Nunc Augustini tantum de verborum Jacobi sensu mens est attendenda, quam ex toto contextu & verbis antecedentibus Hieronymum interrogans ita exponit: *Quomodo intelligendum est, obsecro te, Quicumque totam servaverit Legem &c. Itane, qui furtum fecerit, imò, qui dixerit Diviti, sede hic; pauperi autem, tu sta illic, & homicidii, & adulterii, & sacrilegii reus est? Quod si non est, quomodo, QUI IN UNO OFFENDIT, factus est omnium reus? An illud, quod dixit, de Divite & paupere, ad ista non pertinet, quorum, si quis offenderit in uno, fiet omnium reus? Sed recolendum est, unde illa venerit Sententia, & quæ illam superiora pepererint, quibusque connexa dependeat. Fratres mei, nolite, inquit, Apostolus, in personarum acceptione &c. Ac deinde sequitur, ipsam eandem Sententiam latius versans & explicans: Nonne, inquit, divites per Potentiam opprimunt vos &c. Vide, quem admodum transgressores Legis adpellat, qui dicunt Diviti, sede hic; & pauperi, sta illic. Unde, ne putarent, contentibile peccatum esse, in hac unâ re legem transgredi, secutus adjunxit: Quicumque totam servaverit Legem, offendet autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non moechaberis; dixit &, Non occides. Quod si non occidis, moecharis autem, factus es transgressor Legis, propter id, quod dixerat, redarguti à Lege quasi transgressores. Quæ cum ita sint, consequens videtur, nisi alio modo intelligendum ostendatur, ut, qui dixerit Diviti, sede hic; & pauperi, sta illic, huic non honorem, quem illi deserens, & idololatra, & blasphemus, & adulter, & homicida, & ne, quod longum est, cuncta commemorem, reus omnium criminum judicandus sit. Offendens quippè in uno, factus est omnium reus. Post multa contra Stoicorum de peccatorum paritate Sententiam, hanc Quæstionis proponit solutionem: Unde sit omnium reus, si offendas in uno, qui totam servaverit Legem? An forte, quia plenitudo Legis charitas est, (quæ Deus proximusque diligitur, in quibus Charitatis præceptis tota Lex pendet & Propheta;) merito sit reus omnium, qui contra illam facit, in quâ pendent omnia? Nemo autem peccat, nisi adversus illam faciendo; quia, Non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc Sermone recapitulatur, in eo, quod Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem Legis charitas est. Nemo autem diligit proximum, nisi diligit Deum, & hoc, quantum potest, proximo impendat, quem diligit, tanquam seipsum, ut & ille diligit Deum; quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. Ac per hoc, qui totam servaverit Legem, si in uno offenderit, sit omnium reus, quia facit contra Charitatem, unde Lex tota pendet. Reus itaque sit omnium, faciendo contra eam, in quâ pendent omnia. Pergit jam contra Stoicos: Cur ergo peccata non dicantur paria? An forte, quia magis facit contra Charitatem, qui gravius peccat; minus, qui levius; & hoc ipso, quod admittit, sit quidem reus omnium, sed gravius peccans, vel in pluribus peccans, magis reus; levius autem, vel in paucioribus peccans, minus reus; tanto majore scilicet reus, quanto amplius; tanto minore, quanto minus peccaverit; tamen etsi in uno offenderit, reus omnium est, quia facit contra eam, in quâ pendent omnia? Quæ si vera sunt, eo modo & illud absolvitur, quod ait homo Apostolica etiam Gratia. In multis offendimus omnes, Omnes enim offendimus, sed unus gravius, alius levius. Quanto quisque gravius leviusque peccaverit, tanto in peccato committendo major, quanto in diligendo Deo & proximo minor; & rursus tanto minor in peccati perpetracione, quanto major in DEI & proximi dilectione; tanto itaque plenior iniquitatis, quanto inanior charitatis; & tunc perfecti sumus in Charitate, quando nihil restat ex infirmitate. Hæc & adhuc plura ibi in hanc rem Augustinus, quæ si ex debito ritè ponderentur, fallitas Glossæ & hypotheseos Bellarminianæ erit in propatulo. Nimirum nullibi Sanctus Doctor in prolixâ verborum Jacobi explicatione istius meminit distinctionis inter eum, qui lethaliter, & inter eum, qui venialiter offendit, nullibi etiam indicans, Apostolum de illis, non autem de his esse intelligendum: Et*

Et si agnoscat discrimen eorum, qui gravius & levius peccant, qui in pluribus vel paucioribus offendunt, statuens tamen ex Apostoli Sententiâ, eum, qui in uno etiam, quamvis leviori peccaverit, *omnium esse reum*; quod Glossam & hypothesein Bellarminianam apertissimâ falsitatis convincit, in quâ Patri augustissimo contra mentem satis clarè expressam adtingitur, ex Ejus Sententiâ, *qui peccat salva charitate, non ita offendere, ut omnium fiat reus*; cujus Sententiæ ne apex quidem ibi extat, sed potius contrarium, dum de levioribus etiam peccatis monet, *ferri ea contra Charitatem*, & idè, qui in iis offendat, omnium esse reum. Estque omnino notandum, hujus Oraculi sensum ab Augustino ex antecedentibus de acceptione personarum ostendi, docente, *omnium Legis præceptorum censeri reum, qui hanc legis partem transgreditur, atque in hac unâ offendat, etiam si cæteras expleat partes; quoniam qui præceperit servarique voluerit unam, de reliquis, ac nominatim de personis non accipiendis, idem tulerit præceptum*; quæ Augustini & post Eum Bedæ verba Lorinus prolixissimis in hoc Jacobi Oraculum Commentariis à principio statim inseruit, testatus, placuisse huic exponendi modum cæteris Enarratoribus Latinis, & Græcis apud Occumenium, ut ut eadem, quâ Bellarminus glossâ, distinctioni inter peccata mortalia & venialia iunirente, Jacobi & Augustini mentem pervertere nitatur, ea tamen hinc indè ad illustrationem horum Apostoli verborum ex variis, ut solet, Authoribus adferens, quæ indicatæ jam Augustini Sententiæ, Evangelicis nullo planè modo contrariæ, sed potius quoad præcipuam ejus partem consonæ, non parùm favere videntur. Ita post omnes aliorum adducit *Burgensis* explicationem à *Vasquezio* adprobatam, Jacobi verba hunc in modum explicantis, *Ut, qui unum Legû præceptum transgreditur, fiat transgressor Legû, quam debebat implere uni versam; dum è contrario putaverint Pharisei, eum non damnari, qui majori ex parte observaret Legem, quasi salvaretur, qui majorem haberet cumulum bonorum operum, quàm peccatorum*. Post rejectis Scholasticorum distinctionibus, eâ præfertim, quâ discrimen faciunt inter pœnam damni & sensus, pro verâ Apostoli Sententiâ scribit, *Jacobus unam rationem istam urget, quod idem Legislator Deus singula tradidit præcepta, & omnia, ut perindè unum transgrediens displiceat Ei, ac inimicitias incurrat illius, qui cætera voluit servari, sicut illud*. In sequentibus per aliquot similitudines dictum hoc Jacobi ejusque Senium illustrat, quæ omnes & singulæ Sententiam Evangelicorum confirmare possunt. *Habet nonnullam, inquit, similitudinem cum eo, quod Jacobus ait, quia singula præcepta sunt ab eodem Legislatore, omnium censeri violatorem, qui violat unum, nempe autoritatem illius contemnendo, id quod solet de Fide dici, hæreticum esse, qui unum non credit articulum, nec alia ex Fide verâ credere, quæ videtur credere, hoc est, non ex Divinâ Fide, sed humana. Viitur ad idem propositum, scripsit porro, Author operis imperfecti, similitudine illius, qui unam corporis partem solam relinquit non armatam, indeque vulnus accipit & perit; nihil enim prodest, quod reliqua magna labore munierit membra. Ad eundem modum nihil juvare ad evadendam Mortem eternam, si quis omnia servet præcepta, labatur autem & offendat in uno, quoniam cuncta sunt in Charitate connexa, nec Dei potest amicus esse, qui violat Charitatem. Id alii, pergit, ut Chrysostomus, declarat exemplo volucris, quæ solo ungue ligata non magis potest avolare, quàm si toto corpore teneretur constricta. Eodem spectat Similitudo ex uno vulnere lethali, quo mors infertur; ex foramine in aggere, ut Ager diluvium eluvionemq; patiat; ex scintillulâ pro domûs incendio; ex remorâ ad sistendam Navim &c. Ex dictis Scripturæ parallelis laudat sequentia: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea. Christus jussit doceri gentes omnia, quæcunque mandavit. Modicum fermenti totam corrumpit massam. Segregatur ab hominibus non toto tantum corpore, sed parte unâ quog; leprosus, ut ad hoc propositum observat Hesychius*.*

Plura ejusmodi à *Balthasare Pæz* quoque in Commentariis ad eundem Apostoli locum & ex iisdem ferè Authoribus collecta hùc uberius exscribere superledeo, quia hæc ritè adplicata sufficere possunt ad hanc rem, amplius nunc firmandam per ea, quæ ad alteram Bellarmini hypothesein, quâ Augustini mentem orthodoxam ad suas partes trahere adnititur, breviter & iteratò veniunt observanda. Scribere enim ausus est Bellarminus, *apertissimis rationibus falsum esse convinci, multitudinem peccatorum venialium, dum venialia manent, id est, quatenus sunt vel dicuntur, imò videntur esse venialia, uni (verè) mortali posse æquari*. Quidquid enim sit de ratiunculis, quas tanquam apertissimas commendavit Bellarminus, de quarum primâ in antecedentibus proximè est actum, & ostensum expressis Augustini verbis, quævis etiam levissima peccata fieri contra Charitatem Dei & proximi, hominemque reum

facere totius Decalogicæ Legis; contra *secundam* interserviunt clarissima quarti ex Augustino testimonii verba, quibus docet manifestissimè, quomodo minuta, si negligantur peccata, occidant, quibus antecedentis tertii sunt similia, quâ ratione minuta, si colligantur, peccata, etiam si non singula, tamen obruant hominem, docentia; quoad *tertiam*, quæ principii continet petitionem, ac postularum hæcenus non probatum, nullâ opus est responsione, quia ratio rationis adhuc desideratur; quidquid inquam, sit de Bellarmini ratiunculis, non ad eò & omni ex parte, quin potius nullo planè modo apertis, sicut id non evincunt, quod ex instituto debebant, ita quod ex iis elicere studuit Bellarminus, Augustini Sententiæ è diametro est contrarium, in secundo docentis testimonio, *peccata quamvis parva, crebra tamen ita hominem opprimere, sicut unum aliquod grande peccatum*; Imò in quinto expressissimè &, ut aliàs dicitur, in terminis contra Bellarminum scribentis, *Levia multa faciunt unum grande*. Ad quæ Sancti Doctoris testimonia multò apertiora, quàm ratiunculæ Bellarmini sunt, dum Bellarminus nihil respondit, suam in respondendo impotentiam apertè exposuit laci, respondere non intermissurus, si quidquam in penu fuisset super. Quod autem ad *alteram* hanc hypothesin suam addit Bellarminus, *posse* ad Augustini de multis venialibus peccatis in unum collectis testimonia etiam dici, multa venialia æquari uni peccato mortali, quoad penam temporalem in Igne Purgatorio luendam; per *non posse* rejicitur, eum & hic à posse ad debere & esse non valeat consequentia. Patet hinc etiam, quid habendum sit de Bellarmini responsis ad duo priora Augustini testimonia, quia utrumque de sensu verborum Jacobi agit, ex Augustino plus satis jam ostenso. Id verò, quod ex opere *Confessionum* est delutum, dum Bellarminus idem de Purgatorio putat agere, supra in loco est ostensum, contra Sancti Doctoris mentem pugnare. Cætera, quæ ad hujus Controversiæ pertinent illustrationem, in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* leguntur, ubi in primis à Thomista Lovanienfis exceptionibus Parisiensis quondam Cancellarii *Gerfonis* rationes contra quorundam peccatorum naturalem venialitatem sunt vindicatæ; ostensumque est ex Augustino, id quod contra Bellarmini ratiunculas, in specie, contra earum *secundam* probè est notandum, *que levia sint peccata, & que gravia, judicio non humano, sed Divino esse pensanda*; additumque ex *Tanero*, non convenire Doctores Scholæ in eo, *in quo propriè peccatum mortale & veniale inter se differant*; & ex *Morando*, Veronensis, Clerico regulari, *esse rem summè difficilem & quasi impossibilem, unam aliquam certam regulam ad dignoscenda à venialibus peccata mortalia assignari*; notatà insuper *Carumelii* in hoc negotio, sicut in aliis pluribus, inconstantia; quæ omnia si ad animum vocentur, per Antidorschei utriusque constans & pertinax hæcenus silentium inconcussa, Lectorem Veritatis studiosum satis possunt informare de nullitate naturalis peccatorum, quæ *salvâ charitate* & Deo & proximo debitâ fieri possunt, venialitatis, atque ita receptæ inter peccatum mortale & veniale distinctionis in Senfu Papæ, contra quem ex Augustino nunc actum.

LIBRI TERTII CAPVT QVARTVM & QVINTVM,

DE

Primo primorum hominum peccato.

Libro secundo prætermisso, in quo de *causa peccati* agitur contra Calvinianos, Deo peccati causam adscribentes, non tamen sine *Lutheri & Melanchthonis* mentione, quasi olim & illi idem docuerint, quos facili operâ vindicare, hancque accusationem gravissimam in ipsum quoque Bellarminum & alios plures Romano-Papæ Scriptores, propter non unas hypotheses retorquere, simul etiam contra eos Doctores Pseudo-Evangelicos agere liceret, qui nescio, quâ Philosophicæ accusationis præensione, Deo causam peccati *per accidens* attribuerent non verentur; nisi ab aliis hic labor jam esset præoccupatus, & propriè ad Institutum præsens non pertineret, ubi solùm Augustini Sententia venit ponderanda: Prætermisso, inquam, hoc libro, & hæc de *causa peccati* Controversiâ, utpotè in cujus tractatione Bellarminus orthodoxam ex Scripturâ & Patribus, & ita etiam Augustino, defendisse videri voluit Sententiam; ad sequentis libri Questionem primariâ rectâ progredimur, in quâ etsi non de Controversiâ fundamentali agatur, *Lutheri* tamen Sententia de *primo primorum hominum peccato* vindicanda est, ne Augustino

vid. D.
Froeris.
Vol. IV.
Disp. 7.
D. Dorsch
in Interv.
& Anti
Corn. c. 36

stino videatur contradixisse & scripsisse. Statuit nimirum *Theander* in super tertium Geneleos caput Commentario, primum primorum hominum peccatum fuisse infidelitatem, quod videlicet non crediderint, se morituros, si fructum à DEO prohibitum degustarent. In contrarium scribit *Bellarminus*, communem Theologorum Catholicorum, id est, Romano-Papæorum esse Sententiam, primum peccatum fuisse superbiam. Hoc quemadmodum ex Scripturis, ita etiam testimoniis Patrum demonstrare fatagit, ex Augustino exhibens sequentia: Augustinus, inquit, de primo loquens peccato scribit, *A peccante nihil aliud adpetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola iussio dominantis deberet attendi.* Sed clarius alibi in eodem opere: *Quando his verbis crederet Mulier, à bonâ atque utili re Divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille potestatis propria, & quadam de se presumptio superba, quæ per tentationem illam convincenda fuerat & humilianda.* *Bellarminus* loco glossæ addit, *His apertissime verbis Augustinus refellit Sententiam, quam Lutherus & Calvinus evertunt. Illi enim volunt, ex infidelitate natam esse Superbiam; contra autem disputat Augustinus, non potuisse infidelitatem in animo primæ Parentis locum invenire, nisi in eo Superbia præcessisset.* Post plura ex Augustino adducit, Idem, scribens, alibi enumerans actus malos & quasi partes peccati hominis primi, primo statim loco Superbiam ponit. *Superbia illic est, inquit, quæ homo in sua potius esse, quàm in Dei potestate dilexit.* Et iterum alibi de utroque primo Parente loquens: *In occulto mali esse cæperunt, ut in apertam laberentur inobedientiam. Non enim ad opus malum per veniretur, nisi mala præcessisset voluntas. Porro male voluntatis initium quid esse potuit, nisi superbia? Initium enim omnis peccati Superbia.* Et infra, *Manifesto igitur apertoque peccato ubi factum est, quod Deus fieri prohibuerat, Diabolus hominem non cepisset, nisi jam ille sibi placere cepisset. Hic enim delectavit, quod dictum est, eritis sicut Dii; quod melius esse possent Summo veroque Principio per obedientiam coherentem, quàm suum sibi existendo principium per Superbiam.* Inter rationes, quibus pro hac Sententiâ pugnat *Bellarminus*, hæc ex Augustino adducit: *Non potuit mens primorum Parentem Divino Lumine illustrata in errorem induci, nisi antea per aversionem à Deo lumine illo fuisset destituta, ut Augustinus ratiocinatur, loco proxime citato; quemadmodum nemo potest credere, Solem non lucere, dum ipsum respicit Solem. Ergo infidelitatem primorum Parentum aversio à Deo & peccatum præcessit, non igitur infidelitas primum fuit peccatum. Ad hæc mater infidelitatis est Superbia, ut idem Augustinus docet alibi. Igitur Superbia infidelitatem præcessit, non è contrario, nisi filiam Matre antiquiorem faciamus.* Et ne quid ad rem pertinens studio singulari videatur omissum, illud etiam debet addi, quod ex Augustino in demonstratione è dictis Scripturæ desumpta laudavit *Bellarminus*. In eâ enim, dum occasione Oraculorum Pauli de primo hoc peccato monuit, *primum Superbiæ actum esse, nolle subijci imperio & præceptis alterius; quæ proprie dicatur inobedientia, sicut è contrario humilitatis sit, subijci imperio & præceptis aliorum, quæ proprie dicatur obedientia, id autoritate Augustini sequentem in modum voluit probare: Augustinus pro eodem habet Superbiam & Inobedientiam, Humilitatem & Obedientiam; Bonum est, inquit, sursum habere Cor, non tamen ad seipsum, quod est Superbia, sed ad DOMINUM, quod est obedientia, quæ nisi humilium esse non potest.* Et in eodem loco, *Melius esse possent Dii, Summo veroque Principio per obedientiam coherentem, quàm suum sibi existendo per Superbiam.* *Bellarminus* addit, *Hoc loco opponit Augustinus tanquam contraria, obedientiam & superbiam, quia videlicet inobedientia est quadam superbia, & obedientia quadam humilitas.* Et alibi, *Fieri non potest, ut voluntas propria non grandi pondere ruine cadat super hominem, si eam voluntati Superioris præponat extollendo.* Hoc expertus est homo contempnens præceptum Dei, & hoc didicit experimento, quid intersit inter bonum & malum, bonum scilicet obedientiæ, malum inobedientiæ, id est, Superbiæ & Contumaciæ. Inter objectiones, quas suæ opposuit Sententiæ, & ad quas respondere studuit *Bellarminus*, sunt etiam aliquæ, quæ vel ipsæ Augustini nituntur autoritate, vel quas Augustini autoritate conatus est refellere. Ad illas pertinet objectio quarta, quam Bonaventuræ & Scoti adscribit, quorum Sententia tamen, etsi *Bellarmino* quidem est opposita, at ab Evangelicorum diversa, huc non pertinet. Has igitur tantum opus est hic vindicare, quæ pro Infidelitate militant, ordinis ratione superbiam antecedente. Ex earum serie est tertia, quam *Bellarminus* attribuit *Calvino*: Nunquam repugnare imperio Dei fuisset ausus Adam, nisi incredulus verbo ejus. Respondet autem *Bellarminus*, Adam non fuisset ausus imperio Dei manifesto & expresso, quo ligni scientiæ vetabatur, repugnare, nisi incredulus verbo Dei incredulus, nisi per elationem à Deo aversus, luce Divinâ destitutus, tenebre scere cœpisset, ut August. de Evâ scribit. At quæ hinc potest

Lib. 14. de
Civ. Dei,
cap. 13.
& 17.

potest explicari alius ejusdem Augustini locus, ubi videtur primum primorum hominum peccatum constituere in Infidelitate, cum dicit: *Hoc cognoverunt, quod felicius ignorarent, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, quid Infidelitas & inobedientia noceret.* Solum enim ex hoc loco probatur, inquit Bellarminus, fuisse in primorum hominum peccato infidelitatem & inobedientiam, apertam videlicet, quam commiserunt, dum lignum vetitum degustârunt; sed non probatur, non præcessisse Superbiam & inobedientiam occultam, de qua idem Augustinus loquitur loco ante citato. Objectionem sextam ita proponit Bellarminus: Si per Superbiam primi homines in itinere lapsi essent, id accidisset profectò, quia cupiverunt fieri sicut Dii, ut Sathan illis promittebat. Quæritur ergò, an crediderint, se fieri posse, sicut Deos; an verò non crediderint? Nam si crediderunt, certè in errore, atque adeò in Infidelitatem prius, quam in elationem & superbiam lapsi sunt. Si non crediderunt, non adpareret, quemadmodum adpetere potuerint fieri, sicut Dii; neque enim id adpeti potest, quod non posse fieri creditur. *Bellarminus respondet.* Augustinus in Explicatione Psalmi post sexagesimum octavi, vel juxta Ebræos noni, illa tractans verba, *Quæ non rapui, tunc exolvebam, scribit, primos homines rapere voluisse Divinitatem, & perdidisse felicitatem.* Hoc non ita est accipiendum, quasi voluerint mutare naturam, & ex hominibus Dii per essentiam fieri; Nam idem ipse Augustinus in locis pluribus explicat, Superbiam primorum hominum in eo sitam fuisse, quod Dii optaverint fieri per imitationem & similitudinem, ut, sicut Deus scit bonum & malum, nec aliquo eget rectore & gubernatore, nec alicujus potestati est subditus; ita ipsi scirent bonum & malum, nec Dei indigerent providentiâ, nec illius imperio & potestati subessent. Ita idem alibi scribit: *Videmus, per Superbiam peccatum esse persuasum. Ad hoc enim valet, quod dictum est, ERITIS SICUT DII. Quid hic intelligitur, nisi persuasum esse, ut sub Deo nolent esse, sed in sua potestate potius sine dominio, ut Ejus legem non observarent, quasi irvidentes sibi, ne se ipse regerent, non indigentes illius lumine interno, sed propria utentes providentiâ, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum & malum, quod Ille prohibuisset? Hoc est ergò, quod persuasum est, ut suam nimis amarent potestatem &c.* Et iterum alibi: *Contempsit Adam in Paradiso positus præceptum Dei, & erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, & nolens subdi Dronæ potestati.* Idem docet locis pluribus supra citatis. Porro, ita pergit Bellarminus, initium hujus Superbiæ potuit esse, ac fuit in homine, sine ullo errore præcedente, per solam inconsiderationem sive incogitantiam. Non enim cœpit Superbia ab illo actu, nolo esse sub Dei potestate; sed post audita Diaboli verba, *eritis sicut Dii, scientes bonum & malum,* (quæ verba Mulier ab ipso Sathanâ, vir à muliere audivit, sicut è contrario præceptum Dei vir ab ipso met Deo, mulier à Viro audiverat, teste Augustino:) volvere cœperunt intra se, pulchrum esse, non pendere ab alio, & simul cœperunt delectari propria potestate, eamque adpetere, ac vehementer placere sibi, & occupari ejusmodi cogitatione, delectatione ac desiderio; non erexerunt animum ad DEUM, neque cogitaverunt, id neque fieri posse, neque sibi expedire, atque ita paulatim, ad se magis ac magis conversi, & à Deo aversi, cœcutire cœperunt, & fidem habere verbis Sathanæ, & DEI præceptum minasque contemnere. Sic enim, ut docet Augustinus, gradatim pergitur in viâ Iniquitatis, ab amore sui usque ad contemptum Dei, quemadmodum in viâ Justitiæ ab amore Dei, usque ad contemptum sui. Itaque simile videtur fuisse primum primorum hominum peccatum ei peccato, quod à Theologis dicitur delectatio morosa. Neque enim, qui circa pecunias, dignitates aut voluptates morosam habent delectationem, statuunt, furtis vel ambitioni & fornicationi dare operam, neque cogitant, fieri ne possit, annon, quod animo volunt; sed solum eâ delectantur cogitatione, ac si res ipsa præstò esset, & peccatum non imaginatione, sed opere patretur.

lib. II.
de Gen.
contra
Manich.
cap. 15.

Tract. 4.
in Epist.
Joh.

Lib. 11.
de Gen.
cap. 34.

Lib. 14. de
Civ. Dei,
cap. 28.

Ita Bellarminus pro Superbiâ, tanquam primo primorum hominum peccato, quæ ante, quàm Examini subjiciantur, juvat Pererii singularem & differentem à Bellarmini audire Sententiâ, quâ, quamvis primum utriusque peccatum statuat fuisse Superbiam, in peccato tamen Evæ duplicem fuisse docet Superbiam, unam quam præponit, alteram verò, quam postponit Infidelitati, & quidem, quod notandum venit, ex iis Historiæ Lapsus verbis, quorum respectu huic peccato Superbiam adscripsit Augustinus à Bellarmino laudatus, & Bellarminus ipse. Verba Pererii huc pertinentia sunt: *Consensus primum Evæ peccatum fuisse Superbiam. Etenim, statim ut Serpens dixit Evæ, cur præcepit vobis Deus &c. (& ut bene super his verbis monuit Cajetanus, non hæc tantum verba dixisse Serpentem Evæ putandum est, sed alia complura, quæ Moses causâ brevitas præcipit.*

per sedis: quibus ostendit serpens, per illud Dei praeceptum valde gravari & opprimi hominis libertatem, ejusq; dignitatem diminui: statim igitur post haec verba motus quidam elationis exitus in animo Evae, ferentis indignè, adstrictam se teneri eà Lege, cupientisq; arbitrari suo libere nulli subiectam vivere, sibi, ipsam (esse) sufficientem ad vivendum. Et haec est Superbia, inquit Pererius, provocans ad illud Augustini ex opere de Civitate DEI testimonium, quo Bellarminus etiam est usus, & quod de primo tanquam de utriusque primi Parentis peccato agit. *Secundum Evae peccatum dicit fuisse accidiam, aliàs acediam, quandam spiritualem; tertium dicit fuisse mendacium; quartum Infidelitatem, quia dubitaverit Eva de veritate Sententiae, quâ dictum fuit Adamo, si comederis ex hoc ligno, Morte morieris; Ipsa autem dubitanter dixit, Ne forte moriamur; maluit praeter eà Serpenti credere, quàm Deo; quintum Superbiae, cum praeter illud supra memoratum, audito rursus promisso Serpentis, eritis sicut Dii, scientes bonum & malum, fuerit inflammata cupiditate tam excellentis Scientiae & potestatis &c. Quomodo haec cum Bellarminianâ lapsus primi descriptione conveniant, ii videant, quorum est inter, ne ob jactatam tam insolenter unitatem, Ecclesiae ejusdem filii diversa inter se & pugnancia scribant, inprimis, dum res est eis contra haereticos, praesertim contra Lutherum, quem sibi hic oppugnandum proposuit Bellarminus. Illud nunc addo, eundem Pererium, in illâ Quaestione enucleandâ occupatum, quæ de Adami deceptione agit, testari, multos & inprimis graves ac nobiles sensisse videri Auctores, idq; Scriptis prodidisse, Adamum Serpentis promissionibus stultè CRE-
DULUM, Divinaeq; similitudinis & potestatis cupiditate incensum, gravissimo cum mentis errore & FIDEI jacturâ fuisse deceptum, illo Augustini testimonio inter plura aliorum Patrum pro confirmatione in medium adducto, cui Bellarminus in responsione ad tertiam Objectionem satis, frustra quamvis, facere laboravit, ut proximè videbitur. Observari autem debet in genere, id quod ad legitimum Quaestiones controversiae statum pertinet, neque Evangelicos negare, in lapsu Adamico, prout consideratur tanquam actus, non ut initiatus, sed completus, cum aliis etiam concurrisset Superbiam, neque Papæos, quod ex Bellarmini & Pererii descriptione patet, negare, concurrisset Infidelitatem; sed de ordine tantum esse litem, & an verè scripserit Lutherus, primum primorum hominum peccatum fuisse Infidelitatem, quod videlicet non crediderint, se morituros, si fructum à Deo prohibitum degustarent; an verò obtinere debeat communis, ut Bellarminus scribit, Theologorum Catholicorum, id est, Romano-Papæorum Sententia, primum illud peccatum fuisse superbiam, & quod huic praesertim inservit Instituto, cuiam ex his duabus Sententiis Augustinus videatur addictior, testimonio ex Eo in utramque partem citatis? Ostendet id loquens eorum ponderatio, cui hoc tantum praemitto, Bellarminum in tractatione Quaestiones, Verum Adami an Evae peccatum gravius fuerit, quam capite sequenti nono exhibet, dum utriusque peccati diversos actus juxta seriem sibi placitam exponit, sibi metipsum non obscure videri contradicere & scribere. Et si enim, ut vidimus, ad explanationem Oraculorum Pauli de primo hoc peccato agentium, & autoritate quidem Augustini, Superbiam & inobedientiam pro eodem haberi voluerit; in recensione tamen diversorum primi hujus peccati actuum pro diversis agnovit, interque eos posuit utrobique Infidelitatem, quod iterum animi non ad eò constantis signum est & indicium, cujus documenta hactenus non pauca habuimus, habituri in posterum plura. Quid si verò dicamus, Augustinum per Superbiam simul subintellexisse & indicasse Infidelitatem, eamque quasi matrem praesupposuisse, & id quidem ad mentem Syracidis, qui initium Superbiae hominis dicit esse à Deo apostatate, quando nimirum ab Eo, qui fecit eum, recedit cor ejus; Bellarmino vim apertam faciente Scriptori Ecclesiastico, dum negat, ita accipi debere haec verba, quasi apostasia prior sit, quàm Superbia, putans, significari per ea, primam partem sive primum Superbiae actum fuisse, nolle Deo parere? Et si id per examen speciale testimoniorum Augustini demonstrabitur, videlicet, Sanctum Doctorem per Superbiam primi hominis non nisi ipsam subintellexisse Infidelitatem, contra Bellarminum obrinebimus.*

Primum ita habet, prout Bellarminus adduxit: A peccante nihil aliud adpetitum est, nisi, non esse sub Dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Bellarminus quidem existimat, hoc testimonium insigniter sibi favere, sed praecipitanter nimis illud inspexit, vim ejus non attendens, quâ non ita obscure Evangelicorum subscribit Sententiae. Eam certè intellexit utriusque parentis Superbiam, ad quam ducti fuerunt per non-attentionem jussionis Dominicae; quæ si sola attendere, ita mentem suam explicat Augustus Pater, quid aliud, quàm Dei vo-

luntas attendetur, quid aliud, quam Dei voluntas amaretur: quid aliud, quam Dei voluntas humanae voluntati proponeretur? Hic quemadmodum Augustinus per voluntatis Divinae attentionem, observationem & debitam ei subjectionem nihil aliud intellexit, quam hominis fidelitatem, quâ Deo ex jure creationis est obligatus, ut ad revelatam Ejus voluntatem in omnibus suis actionibus ex assensu pro viribus se componat, sicut Servus ad voluntatem Domini, *faciendum est enim à ferviente, quod jussit Dominus*, quâ iterum verba sunt Augustini, mentem de hac re suam uberius ibi explicantis; ita è contrario per non-attentionem, neglectionem & denegatam Voluntati Divinae subjectionem, nisi Infidelitatem hominis, ex quâ orta est Superbia, non intellexit Eum, ex oppositione est & esse debet omni ex parte indubium. Secundum Augustini testimonium aliquantò clarius suam exponere Sententiam existimat quidem Bellarminus, sed in eo etiam fallus, si tenor verborum accuratius attendatur, quæ ex eodem, quo primum, opere sunt sequentia: *Quando (forfitàn, quomodo) crederet Mulier, à bonâ atq; utili re fuisse se prohibitos, nisi jam inesset amor ille potestatis propriae, & quaedam de se presumptio Superba, quæ per tentationem illam fuerat convincenda & humilianda?* Ut hujus testimonii sensus eò melius pateat, non repetam illud Francisci Maronis Scholion, quo usus est responsi loco Doctor Gerhardus noster; sed interrogabo solum, unde ex mente Augustini putandum sit, ortam esse in animo Evæ illam potestatis propriae amorem & superbiam de se presumptionem? Certè non nisi à persuasione Serpentina, cui magis, quam expresso Creatoris præcepto, fidem adhibuit, eometipso infidelis & incredula; quæ ejus infidelitas postmodum magis fuit confirmata & facta quasi adulta suum accipiens augmentum ex Superbiâ & appetitu excellentiæ majoris, id est, Divina; ita ut verè dici poterit & adhuc possit peccatum illud *Infidelitas superba & Superbia infidelis*. Nullum proinde est glossema Bellarmini, quo testimonium hoc Augustini se contra Lutheri Sententiam quasi irrefragabile posse adhibere putavit. Tertium ex Enchiridio testimonium aliquantò videtur difficilius, quam ut Lutheri & Evangelicorum Sententiæ possit applicari. Ne autem causæ videamur diffidere, pleniore illud Textu, quam Bellarminus exhibuit, indagandum ejus Sensum, adscribemus: *In illo peccato unico, quod per unum hominem intravit in Mundum, & in omnes pertransiit homines, propter quod etiam parvuli baptizantur, plura possunt intelligi peccata, solum ipsum in sua quasi membra dividatur singula. Nam & Superbia est illis, quâ homo in suâ potius, quam in Dei potestate esse dilexit; & Sacrilegium, quia Deo non credidit; & homicidium, quia seipsum præcipitavit in mortem; & fornicatio spiritualis, quia mentis humanæ integritas Serpentina persuasionem est corrupta; & furtum, quia cibus prohibitus est usurpatus; & avaritia, quia plus, quam illi debuit sufficere, adpetivit; & si quid aliud in uno hoc admissio inveniri potest diligenti consideratione.* Verum est, anteponebat Sanctus Pater cæteris omnibus in Protoplastorum lapsu peccatis concurrentibus Superbiam; sed non quasi ratione ordinis primum fuerit peccatum, ac cætera quævis tempore aliquo præcesserit. Nullibi certè id indicat Augustinus Doctor. Est potius hæc enumeratio partium & membrorum unius peccati facta ab Augustino sine certo ordinis & temporis respectu. Id ne frustra dici videatur, quæro, an non existimandum sit, Augustinum credidisse, præcessisse fornicationem, quam dicit, spiritalem, quâ mentis humanæ integritas Serpentina persuasionem est corrupta, homicidium, quo uterque parens seipsum præcipitavit in Mortem; vel præcessisse avaritiam, quâ plus, quam illi debuit sufficere, adpetivit, furtum, quo cibus prohibitus fuit usurpatus? Et tamen in verso ordine hæc peccata recensuit Augustinus, eometipso indicans, non ita strictè & rigorosè eum hic attendi debere, ut non ex consideratione circumstantiarum, quas Sacri Historici in descriptione lapsus suppeditat, bonâ cum veniâ liceat invertere & mutare. Quin & illud est notandum, quod, sicut Augustinus voce Sacrilegii non ita accuratè & eo sensu videtur usus, quo alias communiter solet; ita etiam per Superbiam aliquid amplius, id est, ipsam quoque Infidelitatem voluerit intelligi, quia Servus infidelitatem Hero debitam non aliâ magis ratione prodit, quam si in suâ potius, quam Heri potestate esse velit, quod ad primum quoque testimonium ex Augustino fuit observatum. Quartum ex opere de Civitate Dei testimonium, quamvis itidem pro Sententiâ Bellarmini videatur scriptum, si tamen observationi prædictæ inhæreatur, facilem exhibebit sensum, præprimis cum ipse Augustinus verbis à Bellarmino omissis eos nos ducat manu quasi, quibus clarè satis indicat & ostendit, unde hæc Superbia in primis fuerit Parentibus, scribens: *Spontaneus est iste defectus, quoniam si voluntas in amore Superioris immutabilis Boni, à quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, habet*

lis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret & frigesceret, ut vel illa verum CREDERET dixisse Serpentem, vel Ille DEI mandato Vxoris præponeret voluntatem, putaretque, se venialiter esse transgressorem præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non potuit manifestius mentem suam expressisse Sanctus Doctor; quam ubi & Evæ & Adamo in descriptione lapsus eorum & primæ originis adscribit *fidem*, ibi quidem Serpenti, hic autem Evæ habitam plus quam Deo Ejusque voluntati & mandato, hâc ratione *infidelitatem* sistens tanquam movens primum, quo ad peccatum Superbiæ fuerunt pertracti. Et dum Pater augustus Superbiam dixit *initium male voluntatis*, imò ex Syracide *initium omnis peccati*, utrobi- que juxta ante dicta intelligi debet, non quasi omne peccatum à Superbiâ ortum propriè haberet, contradicentem aliàs habere videretur Apostolum, qui Avaritiam dixit *radicem omnis mali*, id est, secundum Fromondi paraphrasin, *omnium Scelerum*; sed quia quodvis peccatum, quod à voluntate malâ provenit, ante omnia per Superbiam se exerit, quod in primo præsertim peccato factum, ut adeò *superbia* ob id primum occupare videatur locum, & non inconsuetâ loquendi formulâ effectus pro causâ, ipsa nimirum Superbia pro *infidelitate*, quæ malam gignit voluntatem, & de se protrudit *Superbiam*, dicatur & nominetur. *Quintum* sequitur ex Augustino testimonium, cujus mentionem facit Bellarminus, ubi ex ratione voluit probare, Superbiam fuisse primum primi hominis peccatum, quod omnium maximè rem hanc videretur evincere, nisi accurata Textûs inspectio suaderet aliud. Dicit Bellarminus ex Augustini libro de Pastoribus, *Matrem infidelitatis esse Superbiam*; concludit inde, *igitur Superbia præcessit Infidelitatem, non è contrariò, nisi filiam Matre antiquiorem faciamus.* Si res ita haberet, ut Bellarminus vult, omninò in hâc Lutheri causâ victas dare cogeremur manus. At in salvo fumus, & Augustinus hic quoque noster est. Nimirum, non de primo lapsu Protoplastorum agit Sanctus Doctor, sicut neque Paulus, ubi loco proximè citato Avaritiam dixit *omnis mali radicem*; sed quemadmodum Apostolus avaritiam, ita Pater augustus *Superbiam*, descripsit, tanquam primi Protoplastorum lapsûs fructum, alios plures generantem & ubertate minus utili post se trahentem. Loquitur autem de diversitate Sectarum suo tempore illustrium, à *Superbiæ* uno fonte profectarum, quod ipsa satis clarè docent verba: *Diversis, inquit, locis sunt diversa, nimirum Sectæ; sed una Mater superbia omnes genuit, sicut una Mater nostra, (Ecclesia videlicet) Catholica omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.* Non ergò mirum, si *Superbia* parit *dissensionem, Charitas unionem.* Jam si ex his verbis voluit Bellarminus arguere, quod Eum voluisse, verba ostendunt, *Superbiam* fuisse primum primi hominis peccatum, videat, quicumque partes Ejus velit in posterum defendere, quid respondendum sit, si quis pari ratione ex laudato Apostoli Oraculo velit concludere, Avaritiam fuisse primum primi hominis peccatum. Adde ex abundantia, si Augustinus propriè *Superbiam* dicere voluisset omnium vitiorum, adeòque & infidelitatis, (quâ ante omnia Protoplastos peccasse, Evangelici cum Lutero ex Scripturæ & Historiæ Sacræ ductu docent,) Matrem & progenitricem; in Oppositione neque Ecclesiam, neque Charitatem nominare debuisset, sed Humilitatem vel Obedientiam, juxta illud testimonium, quod nunc numero *sexto*, quamvis ratione ordinis à Bellarmino observari *primum*, desiderat examen. Utenim Bellarminus obtineat, *Superbiam* fuisse primum primi hominis peccatum, post Oracula Pauli hoc peccatum describentia provocat ad Augustini auctoritatem, *Superbiam & Inobedientiam pro uno eodemque peccato habentis.* Non urgebo rationem consequentiæ adhuc satis dubiam, an videlicet ex eo, si *Superbia* & *Inobedientia* Augustino unum idemque sint peccatum, ritè colligatur, primum Protoplastorum peccatum fuisse *Superbiam*, quod Bellarminus omisit demonstrare; neque repetam, quod antè jam fuit observatum, ipsum quoque Bellarminum recessioni concurrentium in primo peccati actu peccatorum sub diversis inserere titulis *Superbiam & Inobedientiam*, id non facturum, si verè pro uno eodemque peccato agnovisset; sed id tantum ex Instituti Ratione Lectorem monebo, Bellarminum & hic Augustino peregrinam adfixisse mentem, quod ex ipsiis patet verbis à Bellarmino citatis, quibus non dicit, *Superbiam & Inobedientiam*, vel ex opposito *Humilitatem & Obedientiam* esse idem, sed, *Obedientiam non-nisi humilium esse posse*, id est, *Obedientiam* præsupponere *Humilitatem*, quod aliud est longè, quam quod Bellarminus voluit. Neque juvat Eum, quod Augustinus verbis sequentibus tanquam contraria opponit *Obedientiam & Superbiam*, qui

NB:

cap. 10.

1. Tim. 6.

qui hic causam pro effectu, ibi pro causâ effectum nominavit, quæ observatio ad quartum quoque testimonium est facta. *Septimum* super adhuc est Augustini testimonium, quo Bellarminus in præsentî Quæstione, utitur vel potius abutitur, quod etsi in se contineat descriptionem Superbiæ, circa primum Protoplastorum lapsum, & quidem tanquam rei lapsum antecedentis, non id tamen fit cum exclusione *Infidelitatis*, quæ iterum omninò præsupponi & subintelligi debet, tanquam fons & origo, unde voluntatis humanæ elatio nata est, homine cometipso suam infidelitatem DEO Creatori ostendente, quo voluntatem propriam voluntati Superioris superciliosè anteposuit. Nunc ut paucis adhuc vindicemus Augustini testimonia, quilibet aperte *Infidelitatem* in descriptione primi lapsus non solum nominat, sed & Inobedienciæ præponit, quam Bellarminus supra, & quidem ex Augustino, cum Superbiâ pro eodem haberi voluit peccato; eminet inter ea, quod idem Bellarminus in responsione ad objectionem *tertiam* tentavit obscurare, discrimen faciens inter Superbiâ & Inobedienciâ *apertam & occultam*, ad quem ferè modum *Pererius* duplicem in hoc peccati actu statuit Superbiâ, Bellarminus autem sub diversis nominibus, *superbiâ & Inobedienciâ*, in faciem sibimetipso contradicens & scribens. Verum non exhaurit distinctio hæc vim testimonii, manifestè *Infidelitatem* præponentis Inobedienciæ, quam de aperta solum, & non simul etiam de occultâ antecedente intelligi debere, Bellarminus quidem dicit, sed non probat, neque etiam poterit probare, verbis Augustini manifestissimis ea inter pro Infidelitatis antecessione obtinentibus. Illud porò testimonium, de quo in responsione ad objectionem *sexam* agit, eam non admittit Glossam, quam ei adfricare conatus est Bellarminus. Dicit expressè Sanctus Pater, *primos parentes nostros voluisse Divinitatem rapere*. Bellarminus respondet vel potius nugatur, hoc non ita accipiendum esse, quali voluerint mutare naturam, sed *Dû optaverint fieri tantum per Imitationem & Similitudinem*, quam ita describit, & per duo alia Augustini testimonia confirmat, ut si dicam, Bellarminum quid scripserit, quidve adfirmarit vel negarit, nescivisse, nec ad animum vocasse; nullam Ei fecero injuriam. Si enim optarunt Protoplasti, ut, *sicut Deus scit bonum & malum, nec aliquo eget Rectore & Governatore, nec alicujus potestati est subditus; ita & ipsi scirent bonum & malum, nec DEI indigerent providentiâ, nec illius imperio & potestati subessent*, quæ Bellarmini id Augustini testimonio duplici confirmantis verba sunt; non video, quid desiderari possit, quò minus dicatur, eos voluisse Naturam mutari, talem optantes Imitationem & Similitudinem DEI, quæ cum ipsâ hominis naturâ simul stare non potuit. Quod præterea addit Bellarminus, Superbiæ hujus, de quâ hæctenus, initium esse non solum potuisse, sed etiam fuisse in homine, *absque ullo errore præcedente, per solam inconsiderationem si-ve incogitantiam*, ad ea pertinet, quæ supra de naturalitate & Supranaturalitate Imaginis Divinæ, & Justitiæ Originalis ex Augustino sufficienter dicta sunt, utpote ex quibus manifestum esse potest, Bellarminum non sine magno errore initium hujus Superbiæ ab omni errore liberatum voluisse. Et dum rem hanc per simile ex Theologiâ Morali hodiernâ de *morosâ delectatione* conatur illustare, ad eorum pertinet censum, de quibus infra bono cum DEO agetur uberius, nobis jam, præteritis Quæstionibus cæteris, quas Bellarminus de primo hoc peccato, nescio, contra quos adversarios, inutili ferè operâ proposuit, ad sequentia progredientibus.

LIBRI QUARTI

CAPVT VNDECIMVM,

DE

Animæ Origine.

IN hoc etiam libro primam omittimus de *Originali Peccato* Controversiam, quam Bellarminus prolixissimè contra Pelagianos, & aliquâ ex parte contra Zvinglianos per integra decem capita proposuit, utut fortè non deessent, quæ contra ipsum et quoque Bellarminum & socios, propter nimiam hujus peccati *extenuationem*, possent & fortè

invenire possit, quod ipse non possit, aut aliquando invenias, quod nunc non potes. Et in-
tra: Si potes animas sic alienas defendere à propagatione, ut hoc tamen Chirographo, quod so-
la Christi morte est rumpendum, ratione rectissima demonstrantur obstricta, non solum mi-
mine prohibente id defende, verum etiam nobis, quomodo tecum defendere possimus, osten-
de. Si autem non potes, melius Origo Animæ lateat. Bellarminus subjungit, Ex his lo-
cis est perspicuum, Augustino Sententiam de Creatione Animarum longè visam esse
veriorē, quàm Sententiam de Propagatione. Nec objici debet, quod in opere de
Genesi ad literam, loco supra citato, videatur magis propendere in Sententiam de
Propagatione; neque enim confert eo in loco Sententiam cum Sententiâ, sed argu-
menta cum argumentis, ac dicit, Sententiam de Propagatione niti argumento fortiori.
Non tamen inde sequitur, eam Sententiam illi visam fuisse veriorē. Adde, quod
Epistolam ad Hieronymum de Origine Animæ scripsit posterius, quàm libros de Ge-
nesi, & Epistolam ad Optatum adhuc posterius, & post utramque scripsit libros qua-
tuor de Animæ Origine jam Senex valde, ut ex secundo Retractionum libro potest in-
telligi. In his autem Scriptis semper magis ac magis invenitur recessisse à Sententiâ
de Propagine, & adcessisse ad Sententiam de Creatione Animarum. Igitur sola tra-
ductio Originalis Peccati Augustinum impedit, quò minus crederet Animarum
creationem. At reverà, ita adhuc Bellarminus, neque Animarum creatio impedit pec-
cati traductionem, neque propagatio animarum ex anima Adami propagationem pec-
cati juvat. Quare cum illud argumentum de Originis peccato solum cunctationis
fuerit causa, illud autem non minus facile dissolvatur posita Animarum creatione, quàm po-
sita propagine; nulla est causa, cur amplius dubitandum esse credamus. Certe, si nunc
inter homines viveret Augustinus, non solum faveret, sed gratias etiam ageret illi, qui hanc
tuentur Sententiam.

Hucusque Bellarminus de Animæ origine ad Sententiam Augustini, quibus-
cum quomodo convenient, quæ Velosillus, Lucentis Episcopus, circa eandem, luis in
Augustinum Advertentiis, primo statim Quæsitio inseruit, Lector eruditus judicet.
Sunt autem sequentia: Pro Augustino respondemus, inquit, defensore Eum non indigeres
pluribus enim locis suam exposuit mentem. Igitur falso imponitur Illi, quod usque ad Vita
terminum dubius manserit circa Animæ Originem. Nam sexto de Animæ origine libro,
postquam enumeravit quædam, quæ dicit esse multum aperteque perveria & Fidei
Catholicæ adversa, inter ea, inquit, primum est, quod dixerunt quidam, DEUM non de
nihilò animam, sed de seipso fecisse. Ex propriâ ergo definit Sententiâ, Adversum esse
Fidei Catholicæ, adterere, quod DEUS animam non faciat de nihilò. Et Sermonem post vi-
gesimum quinto ad Fratres in Eremito, de quo ita in antecessum Scriptor advertenti-
rum: Dominus scit, quanto gaudio & lætitiâ Cor meum exultavit, quando locum hunc tam
expressum & evidentem reperi contra eos, qui adserunt, circa Originem Animæ dubium sem-
per mansisse Augustinum; in quorum confusionem & damnationem solus hic locus sufficiens,
sic enim scribit: Dicitis, (vel, dicetis) Fratres, cur Festum Nativitatis sacri Iohannis cele-
bramus? Numquid in peccato est conceptus? Et ideo attendite, quod prius seminatur homo,
postea concipitur, & caro formatur; deinde post dies quadraginta septem creatur Anima &
corpori infunditur, secundum Sanctum Patrem & Martyrem Cyprianum, cui in omnibus com-
pellor credere, qui per Spiritum Sanctum optime locutus est. Addit Episcopus Lucentis,
Quid clarius & manifestius in libris retractionum retractavit & adseruit, quam quod hoc
hoc fateretur? Nempe, se compelli credere, Animam à DEO creari & corpori infundi, quia per
Spiritum Sanctum Cyprianus Martyr ita sibi tradiderit, & à DEO inspiratus optime locutus
sit, sicut in aliis, ita & in hac veritate Fidei Catholicæ, cui Ecclesia consentiat. Pergit Velo-
sillus, & suam hanc Sententiam adhuc aliis quatuor Augustini testimoniis confirmatum
it: Contra Fortunatum Disputatione primâ ait, Animam dico esse factam à DEO, & e-
minia, quæ DEUS fecit, de nihilò fecit. Et in actis cum Felice Manichæo, Dico, Animam
non Dei naturam, sed à Deo factam. Et libri ad Orosium contra Priscillianistas & Orige-
nistas capite secundo fateretur, se credere, Animam ex nihilò factam à DEO. Contra adver-
sarium Legis & Prophetarum ait, Animam non esse partem DEI, nec de substantiâ & natura
Ejus creatam, sed ex nihilò factam, dubitare fas non est.

lib. II.
cap. 16.

E recentioribus hæc de re Sententiam dicat Launojus, Sorbonista Parisiensis an-
te hæc non semel laudatus, qui in Dissertatione de vero Authore Professionis Fidei, quæ
Pelagio, Hieronymo, Augustino tribui vulgò solet, ejusque tertio capite, Augustini non

non esse hanc Professionem Fidei, rationibus quinque potissimum ostenditur, hanc quarto propositur loco: Augustinus non facile adsentitur articulo huic, Animas à Deo dari credimus, quas ab Ipso factas dicimus. Non facile, inquam, adsentitur, cum quotidianam Animarum Creationem Dogmatibus Ecclesiasticis non adscribat, ut primum liquet ex libri de hæresibus numero octogesimo: Luciferianos à Lucifero, Caralitano Episcopo, exortos & celebriter nominatos nec Epiphanius, nec Philastrius posuit inter hereticos. Apud quendam tamen, cujus nomen in eodem Eius opusculo non inveni, Luciferianos in hereticis postis legi per hæc verba: Luciferiani, inquit, cum in omnibus Catholicam teneant Veritatem, in hunc stultissimè prolabantur errorem, ut animam dicant ex Transfusione generari, eandemque dicant & de carne, & carnis esse Substantiam. Virum ergo iste propter hoc, quod isti sentiunt de Animâ, si tamen verè ita sentiunt, inter hereticos non crediderit esse ponendos, rectè crediderit; an etiam si id sentirent, vel non sentirent, ideo tamen sint heretici, quia dissensionem suam pertinaci animositate firmarunt, alia est questio, neq; hoc loco mihi videtur esse tractanda. Subjicit loco critique Launojus, Non sic opinor cum eâ ageret Sententiâ Augustinus, quæ explorata in Ecclesiâ doctrinæ repugnaret, ac ubi dixisset aliquando, credimus. Deindè in Epistolâ ad Hieronymum probat, nullis Scripturæ locis eam aptè confirmari Sententiâ, quæ singulas singulis nascentibus animas dari contenderet à Deo. Hoc autem de Ecclesiastico dogmate Augustinum dixisse, quis in suum induceret animum? Tum in Epistolâ ad Optatum scribit, Aliquid certum de Origine Animæ nondum in Scripturis Canonice reperi. Et post alia: A me cum quævisset Amicus mihi charissimus & Divinarum studiosus Literarum, quid de hæc Questione sentirem, ei, remota verecundiâ hinc astus meos & ignorantiam meam falsus essem, scripsit inde trans Mare ad Virum doctissimum, cui rescripsit ille, ut me potius consuleret, nesciens, quod jam fecerit, nec aliquid à me certum ac definitum audire potuerit. Denique in Opere ad Vincentium Victorem de Origine Animæ: Eam me reprehendisti, quæ non corrigere humilitas, sed partim fateri, partim defendere Veritas cogit. Hæc autem sunt, unum, quod de Origine Animarum, quæ post primum hominem sunt datæ vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire. Et ibidem, Divina Testimonia, quæ ad istam Questionem solvendam referre voluisti, non id aperiant. Aliud est, quod illa demonstrant, sine quo verè non possumus pè vivere, quod scilicet animarum nostrarum DEum habeamus datorem, creatorem, formatorem; sed quomodo id faciat, utrum novus eas stando, an de Parentibus trahendo, non exprimitur, nisi de unâ illa, quam primo homini dedit. Et post alia: Velles me definire, quod ipse definivisti, ut in tales contruderer angustias, in quales ipse contrusus adversus Fidem Catholicam tot ac tanta locutus es, ut eas, si fideliter atq; humiliter recolas atq; consideres, videas profecto, quantum profuisset tibi, si scripsisses nescire, quod nescis, & quantum tibi proficit, si vel nunc scias. Et iterum post aliqua: Ego, si hoc, quod de Animarum querimus Origine, nec Deo, nec aliquo homine spiritali docente potero scire, paratior sum defendere, quam rectè etiam hoc DEUS, sicut alia multa, scire nos noluerit, quam temerè dicere, quod aut ita sit obscurum, ut hoc non solum ad aliorum intelligentiam perducere nequeam, sed nec ipse intelligam; aut certè etiam hereticos adjuvet, qui propterea conantur persuadere, ab omni noxâ puras esse parvulorum animas, ne scilicet eadem noxâ in auctorem DEum recurrat & redeat. Addit iterum pro epicrisi Sorbonista: Ex his omnibus extra, quam manifestum est, relata ex Fidei professione verba, cum ad Augustinum minime pertineant, ipsam quoq; Fidei professionem minime ad Eundem pertinere. Quis enim & quâ ratione probaret illa esse adscripta, vel Augustinum in Ecclesiâ dogmatibus eam de Origine Animæ Sententiâ posuisse, quam in Scripturis Canonice non comperisse & nescire se fatetur, quam definire non audeat, & quæ tandem ipsius Augustini iudicio Pelagianos adjuvat?

Conter hæc, amicissime Lector, cum advertentis, vel si verum licet scribere, advertentis Episcopi Lucensis, & utriusque cum observationibus Bellarmini, & vide, annon tres hi Scriptores diversis planè agantur motibus circa exhibendam Augustini de Animæ Origine Sententiâ, Bellarmino quidem Ei dubitationem ad mortem usq; cum propensione tamen ad Creationem, vel osillo patrociniû creationis expressum, Launojus autem neq; hoc, neque illud adscribentibus, Fratribus Cadmæis semetiplos conficientibus, præterquam quod ipse Bellarm. non pauca iterum suppeditat, quæ satis feliciter contra ipsamet possunt usurpari, Launoji quoq; observatis in Veritatis Evangelicæ ulû contra Bellarm. pariter & vel osillum cedentibus, nimirum, loco maximi nobis inlervit præjudicii, quod Bellarm. & quidem, ut præ te fert, ex Augustino monet, nullû fortasse locum Scripturæ inveniri, in quo perspicuè doceatur, Animas non fieri ex propagine, sed creati; quod tamen Launojus ex eodem Augustino candidius aliquantò proponit, scribens, Augustinum probare,

Lib. IV.
cap. 1.
& 2.

NB.

nulla Scripturæ locis eam aptè confirmari sententiam, quæ singulas singulis nascentibus animas dari à Deo contendat. Quorsum pertinet, quod idem Bellarminus contra quartam demonstraturus Sententiam à se recensitam, & quidem ut scribit efficaciter, Animas non propagari ex Parentibus, sed creari, duobus id modis fieri posse contendit, primum traditione Ecclesiasticâ, deinde rationibus evidenter ductis ex Fidei principiis, omittens probationem à Scripturâ, quam aliàs & de jure quidem præmisit. Accedit, quod facti coactus fuit ex Augustino Bellarminus, opinionem, quæ Animarum adserit propagationem, fortioribus niti argumentis, quam Sententias aliorum ceteras. Quamvis autem Bellarminus subjungat, Augustinum alibi apertissimè eam refellere Sententiam, statuendo, Animarum propagationem inconsideratâ defendi temeritate, additâ de opinione Tertulliani censurâ, nihil eâ perversius dici posse, non uno in Veritatem impingit modo. Falsum est, Augustinum in Epistolâ ad Opratum apertissimè Sententiam de propagatione Animarum refellere, nisi dicendum sit, Eum refellere alteram quoque de Animarum Creatione Sententiam. Demonstrat nimirum ibi, quod Lemma Epistolæ præscriptum indicat, quid de Animarum Origine certum sit, & quid adhuc salvâ Fidei rectitudine queri nescire possit; ostendens, quæ qualesve ab utrâque parte possint urgeri difficultates, ne vel creatio animarum, vel earum propagatio extra omnem dubitationis aleam posita esse videatur, monito hoc præmisso, aliquid certum de Anima Origine se nondum comperisse, id quod Launojum quoque vidimus adnotasse. Falsum est insuper, quod Bellarminus scribit, Augustinum statuisse, Animarum propagationem inconsideratâ defendi temeritate; non enim id ita scripsit Augustinus, sed contra eos agere se dixit, qui Animarum propagationem inconsideratâ defendunt temeritate, id quod aliud est longè. Nemini enim ignotum est, optimam quoque causam malè defendi posse, quod ipsi causæ in se nocere non debet, cum non à defensoris bonitate dependeat, quia aliàs mala non rarò causa obtineret. Falsum est præterea, si Bellarminus in eâ fuit opinione, Augustino eorum Sententiam, qui Animarum propagationem docent, habitam fuisse pro eadem, quam Tertullianus habuit; cum Sanctus Doctor non nisi sub conditione certâ loquatur, ut latis clarè verba testantur: *Qui animas ex unâ propagari adserunt, quam Deus primo dedit homini, atque ita eas ex Parentibus trahi dicunt, si (Nota benè) si Tertulliani sequuntur opinionem, profecto eas non Spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis exoriri seminibus, quo perversius quid dici potest?* Atque ita paucis lineolis & verbis Bellarminus triplicis falsi criminis reum se fecit. De cætero, dum in eo fuit, ut ostenderet, Augustinum usque ad mortem in eâ fuisse Sententiâ, Animæ originem latere, nec aliquid temere disjunctum esse, addens, Eum libros quatuor de Origine Animæ idè scripturâ, ut doceret, *se de hac re non sine magnâ causâ non audeat certam proferre Sententiam, hæc cum subjunctâ Epistolâ, hoc tempore hanc Augustini Sententiam minime tutam esse;* Evangelicis responsum lupeditavit, quo aliàs uti heereis, ubi autoritas Augustini loco clypei objicitur, ut potè eodem jure cum Bellarmino gaudentibus. Et quamvis pluribus aliorum Patrum auctoritatibus contra animarum propagationem pro earum creatione defendendâ nati se existimat Bellarminus, quæ jam Examini subijcere Instituti ratio non patitur; sufficit tamen, quod ex Hieronymo debuit agnoscere, *pro animarum propagatione maximam partem occidentalium Scriptorum fuisse,* quibus etiam ex numero Orientalium liceret accedere, si id jam ageretur.

Rationes etiam, quas ad suæ Sententiæ confirmationem adducit Bellarminus, nullæ omnino sunt, nec quidquam contra auctoritatem Augustini obtinent. Non primæ, quæ ad Leonis primi & decimi, Pontificum Romanorum, decreta & rescripta, consentaneum quoque à proximis Annis quingentis Theologorum, Rationes item post Augustini tempora à defensoribus Animarum creationis excogitatas, atque Augustino ignotas provocat; cum si ita liceat argumentari, Augustini auctoritas in pluribus aliis damnatum sit passura non exiguum. Non secundæ, quia id ipsum, quod Augustinum impedivit, ne Animarum creationem statueret, argumentum videlicet Pelagianorum contra Originis Peccatum, & dum neque legendo, neque orando, neque ratiocinando potuit invenire, quem modo cum Animarum creatione peccatum Originis defendatur; non ita leve debet videri, ut Bellarminus putat, quin potius grave & momentosum satis, quod quemvis rem hanc non superficiali, sed accuratâ mentis trutinâ ponderantem deterrere potest, ne Animarum creationem sibi patiatur imponi, tam insigni absurdo, quod inde per legitimam deducitur consequentiam, laborantem & oneratam, causâ tandem in Deum tanquam peccati auctorem delabente, quod tamen omnibus modis est cavendum, ne

In Dei Sanctitatem & Iustitiam peccetur. Estque iterum inter falsitates paulò ante enumeratas recensendum, quod Bellarminus impudenter ausus est adserere, putasse Augustinum, cetera contra novam Animarum creationem se facile posse dissolvere & res ipsa dissolvissè, quod iste statim Augustini locus docebit, quem à Bellarmino objectum nunc examinabimus. Nugatur enim porro Bellarminus, non argumentatur, dum de Augustino dicit, *Eum remotà questione originalis peccati Sententiam de Animarum creatione verissimam esse non dubitasse.* Atqui nullibi locorum, quæ hanc tractant Controversiam, dixit Augustinus, removeri posse peccati originalis quæstionem, adeoque posito hoc obice non potuit de veritate Creationis esse indubius, nisi dicendum sit, Eum existimasse, veram esse Sententiam, quam notæ obnoxiam vidit & non semel agnovit absurditati, quod Doctore & disputatore tam accurato, & qui tam multas contra non unum Orthodoxæ Veritatis hostem reportavit victorias, adscribere sine summâ Ejus injuriâ & obtentæ hæcenus in Ecclesiâ autoritatis læsione vix licet. Et si ea Sancti & Augusti Patris loca, ad quæ Bellarminus hic provocat, & ritè inspiciamus, & diligenter evolvamus, Bellarminum adeò non juvare deprehenduntur, ut potius causæ Ejus possint è diametro opponi.

Primus certè ex penultimo primi de *Anime Origine* libri capite ita directè Bellarmino adversatur, ut magis & directius non possit. Notatu dignissima sunt verba, quibus suam de hac Quæstione & Sententiâ expressit mentem, nullatenus planè Creationi addictam: *Animarum novarum sine propagatione insufflationem defendi quidem minime prohibemus, sed ab eis, qui poterint aliquid invenire, vel in Canonicis libris, quod non sit ambiguum dissolvende huic Quæstioni obligatissime, vel in ratiocinationibus suis, quod non sit contrarium Catholicae veritati.* Et post aliqua: *Quicumque volunt defendere, quod dicuntur Animæ novæ nascentibus insufflari, non de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor cavcant omnimodo, hoc est, ne dicant, à Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum; ne dicant, parvulos, qui sine Baptismo exierint, pervenire posse ad Vitam æternam Regnumque Cælorum, Originali Peccato per quodlibet aliud resolutis; ne dicant, animas alicubi peccasse ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas; ne dicant, peccata, quæ in eis inventa non sunt, quia sunt præscita, merito fuisse punita, cum ad eam, ubi ea committerent, vitam permissè non fuerint pervenire.* Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum est atque impium, etiam inveniant Scripturarum certissima de hæc re testimonia, & suam hanc Sententiam non solum me non vetante, verum favente etiam & gratias agente defendant. Si autem non inveniunt certissimam de hæc re auctoritatem Divinorum Eloquentium, & aliquid illorum quatuor per inopiam dicere compelluntur, cohibeant se, ne per ipsam inopiam animas etiam parvulorum non habere peccatum originale secundum hæresin PELAGIANAM olim damnabilem nuperimèque damnatam dicere compellantur. Melius enim homini est fateri se nescire, quod nescit, quam vel in damnatam hæresin incurrere, vel novam condere, dum temerè audeat defendere, quod nescit. Eiusdem planè tenoris sunt cætera duo Augustini testimonia ex Epistolis ad Hieronymum & Optatum desumpta, ut potè non nisi hypotheticis locutionibus rem hanc tractantia, ex quibus tamen Bellarminus Lectorem incuriosum & minus cautum voluit persuasum, Augustinum remotà Quæstione originalis peccati Sententiam de Animarum creatione verissimam esse non dubitasse, quod falsum, imò falsissimum; imò neque illud exindè est peripicuum, quod idem Bellarminus pronunciat audaciter, Augustino Sententiam de Animarum creatione visam esse veriore longè, quam de Propagatione, id quod ex eo nunc loco erit manifestum, quem Bellarminus, et si clarum satis, obscurare tamen & Evangelicis eripere conatur. Est is desumptus ex opere de *Genesis ad litteram*, de quo Bellarminus fatetur, ibi scribere Augustinum, Opinionem, quæ Animarum adserit propagationem, fortioribus niti argumentis, quam Sententias aliorum cæteras. Poterat id quidem satis esse, si nihil præterea scripsisset Augustinus. At amplius quid ibi exhibet Sanctus Doctor, quam Bellarminus Lectori voluit persuasum. Postquam enim non quasvis de Animæ Origine Sententias, sed has duas tantum, quæ de ejus creatione & propagatione agunt, inter se contulisset, ac argumenta, quæ pro utràque solent urgeri, ponderasset, ita de iis animi Sententiam explicavit: *His, inquit, pertractatis, omnia paria, vel penè paria ex utroque latere rationum testimoniorumque monumenta pronuntiare, nisi eorum Sententia, qui Animas ex parentibus creari putant, præponderaret.* Manifestum hic est iterum, ambages Bellarmini, quas hic quærit, vix, quam Pater Augustinus ostendit, non officere. Et quomodo ausus est dicere & scribere Bellarminus, Augustinum ibi non conferre Sen-

NB.

sententiam cum Sententiâ, sed argumenta cum argumentis; nec sequi exindè, quia agnovit Sententiam de Propagatione fortioribus niti argumentis, eam illi visam fuisse veriorè? An enim putavit Bellarminus, sibi cum talibus rem esse, qui Judicio careant, nec verum à falso docti sint discernere, adèdque quovis Somnio & cerebri malè sani figmento patiantur se seduci. Tale nimirum est, quo apertissimam Augustini Sententiam eludere conatur, separans minimè separanda, sed inter se conjunctissima. Nam nulum ob finem alium argumenta cum argumentis contulit Augustinus, quàm ut ex accuratâ illorum collatione pateat, quæ ex his duabus de Creatione & Propagatione Sententiis propior ad Veritatem accederet & amplectenda sit, ut hunc non atigerit Scopum, rem in medio relinquere coactus, hæc tamen ingenuâ confessione subjunctâ, *Sententiam eorum, qui Animas ex parentibus creari putant, præponderare, id est, juxta Bellarmini paraphrasin, fortioribus niti argumentis;* quoposito, annon vita fuerit Augustino hæc Sententia verior, præ alterâ videlicet, quæ Creationem à DEO immediatam statuit, quâ cum facta fuit comparatio, judicet, quicumque Judicium sub hæcâ nondum vendidit.

Nunc ultimum super adhuc est Bellarmini refugium, idque chronologicum, quo libros Augustini hanc tractantes Controversiam juxta seriem temporis, quo scripti sunt, in ordinem redigere laborat, ostensurus, Sanctum Patrem in posterioribus Scriptis inveniri semper magis atque magis recessisse à Sententiâ de propagatione, & accessisse ad Sententiam de Creatione animarum. Verùm si Opus de Origine Anima evolvam, ad quod Bellarminus hic provocat, tanquam id, quod jam valdè Senex scripserit, libris Retractionum de eo testimonium exhibentibus, & falsum scripsisse, & contra semetipsum scripsisse Bellarminum constabit. Supra enim, ubi docere voluit Bellarminus, Augustinum in eâ ad Mortem usque Sententiâ fuisse, id intelligi posse putavit præsertim ex quatuor de Anima Origine libris, idèd scriptis, ut ostenderet, se de hæc re non sine magnâ causâ non audere certam proferre Sententiam. Et si illa præprimis considerentur verba, quæ ex hoc Opere Launojus exhibet latis ponderosa; quibus similia adhuc plura leguntur ibi, Bellarminum veratim scripsisse manifestum erit, hic autem fallâ, dum sibi metipsum iterum contrarius, & paulò ante scriptorum immemor ex eodem Opere voluit evincere, Augustinum magis semper atque magis inveniri recessisse à Sententiâ de Propagatione, & accessisse ad Sententiam de Creatione Animarum, quæ duo simul uno itare loco non possunt. Quid si autem ex Scripto, quod demùm post libros de Anima Origine scripsit Augustinus, ostendatur, Eum è contrario magis videri adpropinquare ad Sententiam de propagatione Animarum? Est id, quod contra Julianum observavit. Ibi certè talia leguntur, quæ Eum non procùl abfuisse à Sententiâ de propagatione testari possunt: *Ideo, inquit, secunda Nativitas est instituta, quia Nativitas prima est damnata, cui tamen damnatæ certior Dei bonitas exhibetur, ut de maledictò Semine Rationalis Natura formetur, quâ Ejus adjuventissima bonitate malorum hominum tanta multitudo apertissimè nutriuntur, & occulto Dei opere vegetatur. Quæ bonitas operationis Ejus si subtrahatur formandis promovendisque Seminibus, & vivificandis quibusque viventibus, non solum gignenda non aguntur, sed ad nihilum penitus etiam genita rediguntur.* Nota bene, Lector amice, Augustinum adserere, de Semine maledictò formari Naturam rationalem. Jam si id verum est, quod Sanctus Pater tanquam indubitanter verum pronuntiat, sequitur omninò, Animam hominis, per quam est & dicitur rationalis, esse & formari de Semine hoc maledictò. Et si argumentum, quod ibi contra adverlarium tractat Augustinus, ex debito attendamus, congruere ei quam optimè hanc Sententiam observabimus. Agit nimirum de Ratione Peccati Originalis, quod Substantia quidem non sit, sed tamen qualitas mala, adèdque positivi quid inferens. Quomodò autem illa qualitas mala & vitiositas, cujus respectu Nativitas prima secundum Augustini Sententiam est damnata, è maledictò Semine, ut iterum Augustinus loquitur, posset trahi & juxta ejusdem loquendi formulam formari, si ipsa hominis Anima, cui vitiosa hæc qualitas inest & inhæret, indè non haberet originem? Ut adèd Augustinus non ita obscure suam Mentem, quæ erga Sententiam de Animarum propagatione fuit, his indicaverit verbis, quidquid etiam videatur Bellarmini omnia ad suam vi etiam trahenti hypothésin, quâ semel suscepit defendendam; qui dum porro existimat, neq; Animarum creationem impedire peccati introductionem, neq; propagationem earum ex animâ Adamî jurare propagatione peccati, atq; argumentum de originis peccati, quod

lib. 6.
cap. 8.

iteratò dicit solùm fuisse cunctationis causam & impedimentum, quo minus crederet animarum creationem Augustinus,) non minus facile dissolvi possit à Animarum creatione, quam propagine, illudque te gloriatur demonstrasse, fucum facit Lectori, plusque de suo promittit labore, quam reverà præstitit, præpimis cum de Augustino vanam spem conceperit, fore, ut si nunc inter homines viveret, non solum sciveret, sed etiam gratias is ageret, qui de Animarum creatione tucitur Sententiam, sibi absque dubio non minimam vel postremam debitæ laudis partem attribuens, utpotè qui in hac etiam Quæstione controversâ, sicut in cæteris omnibus, non parùm defudârît, & hinc aliquid amplius ante alios promeritus.

Sed à Bellarmino ad *Velosillum*, qui crudiori & rudiori adhuc Minervâ, quam Bellarminus, hanc rem tractavit, iis ulus contra Bellarminum pariter & Evangelicos ex Augustino testimoniis, quæ partim sunt impertinentia & Statum Controversiæ non attingunt, partim auctoritatem exhibent suspectam & aliorum magis cordatorum iudicio invalidam. Ad impertinentia pertinet, quod primo statim loco sinit, *sexto* (quarto debuit dicere, quia quatuor tantùm de hoc argumento libros scripsit Augustinus,) de *Animæ Origine* libro desumptum, utpotè à Scopo tractationis planè abluens, cum agat de *Origine animæ Adami*, quod ostendunt verba, quæ *Launojus*, supra ex eo adduxit libro, addito discrimine expresso & observatione non negligendâ, non nisi de unâ illâ intelligi debere Animâ, quam DEus primo dedit homini, de quâ cætera etiam quatuor Augustini testimonia veniunt explicanda, ut ipse tenor verborum à Lucensi Episcopo laudatorum testatur; nobis autem sermo sit de *Origine animæ Adami & Evigænarum* post primam creationem & formationem, quæ iterùm res sunt omninò diversissimæ. Auctoritatis suspectæ, imò suspectissimæ est testimonium ex Sermonè quodam ad *Frates in Eremo Advertentiarum* Scriptor, in eo tamen ipso insignis se reum fecit inadvertentiæ, dum huic testimonio tam insigniter videri voluit confusus, quod ex iis desumptum est Sermonibus, quos *Bellarminus*, *Baronius*, *Possevinus* & alii omninò abjudicaverunt Augustino, pro indignis habentes, qui huic Sancto Patri & Doctori adscribantur. Neque in eo errârunt hi Censores. Siquidem, si præsentis tantùm argumenti habeamus aliquem respectum, id sufficientem suppeditare nobis possint, ne laudata ex hoc opere Sermonum à *Velosillo* verba pro sincerè & verè Augustinianis agnoscere cogamur, ni creduli nimis esse velimus. Provocat Scriptor eorum ad Cypriani auctoritatem, utpotè qui per Spiritum Sanctum optime sit locutus, & cui in omnibus credere compellatur. Addit Episcopus Lucensis, Augustinum in libris Retractionum retractasse idem & adscripsisse, se compelli credere, Animam à Deo creari & corpori infundi, quia per Spiritum Sanctum ita Cyprianus Martyr sibi tradiderit, & à Deo inspiratus optime sit locutus &c. Verùm quamvis maximi ex debito habuerit Cypriani auctoritatem Augustinus, non tanti tamen, ut non liberè ab Eius Sententiâ discedendum putaverit. In cæterè ad Hieronymum Epistolâ, in quâ de hac Quæstione egit copiosissimè, sequentibus verbis notatu dignis suam de Cypriani auctoritate Sententiam exposuit: *Contra Cypriani aliquam opinionem, ubi, quod videndum fuit, fortasse non vidit, sentiat quisque, quod libet; tantùm contra Apostolicam Fidem manifestissimam nemo sentiat.* Ita autem de Cypriano scribere non potuisset Augustinus, si credidisset, Eum sicut in aliis, ita etiam in hac veritate Fidei à DEO inspiratum optime locutum esse, eidemque Ecclesiam consentire. Neque est prætermittendum, ea Scriptorem Advertentiarum Augustino in Retractionibus adscribere verba, quæ nullibi in eis legantur, & rem nimis faciunt suspectam. Quasi verò scripserit Augustinus, Cyprianum Martyrem sibi per Spiritum Sanctum tradidisse, Animam à Deo creari & corpori infundi; & non potius scribendum fuerit, si hujus Sententiæ authorem laudare voluisset vel potuisset Cyprianum, Spiritum Sanctum id sibi per Cyprianum Martyrem tradidisse; inversâ nimirum loquendi vel scribendi formulâ, cum prior nullo planè modo possit habere locum, nisi ad revelationem & adparitionem à Spiritu Sancto, Cypriani Martyris mandato vel instinctu factam, novi videlicet & antehac inauditi generis, recurrere velimus. Accedit, eundem *Velosillum*, omisâ hic citatione libri & capitis retractionum, in quibus hæc de Cypriano verba legantur, alibi, nimirum Quæsitio post trigésimum secundo suarum in decimum Augustini Tomum Advertentiarum, ubi eandem proponit Quæstionem, provocare ad primum prioris dictarum retractionum libri capitulum, adque ea S. Doctoris verba, quæ pleniore Textu ita habent: *In secundi contra Aca-*

p. 542. &
543.

demicos libri capite nono, cum de Animo agerem, dixi, Securior rediturus in Cœlum; iturus autem, quam rediturus dixissem securius, propter eos, qui putant, animos humanos pro meritis peccatorum suorum de Cœlo lapsos sive dejectos in ista detrudere corpora. Sed hoc Ego propterea non dubitavi dicere, quia ita dixi in COELUM, tanquam dicerem ad Eum, qui ejus est author & conditor, sicut Beatus Cyprianus non cunctatus est dicere. Nam cum e terra corpus, Spiritum e Cœlo possideamus, ipsi terra sumus & Cœlum. Et in libro Ecclesiastæ scriptum est, Spiritus revertatur ad DEum, qui condidit illum; quod utique sic est intelligendum, ut non resstatur Apostolo dicenti, nondum natos nihil egisse boni aut mali. Sine controversiâ ergo quædam originalis regio Beatitudinis animi DEus ipse est, qui cum non quidem de se ipso genuit, sed de nullâ re aliâ condidit, sicut corpus condidit e terrâ. Nam quod attinet ad ejus originem, quâ sit, ut sit in corpore, utrum de illo uno sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam vivam, an semper ita (similiter) sicut singulis singule, neg. tunc sciam, neq. adhuc scio. Ex quibus Patris augusti verbis præter alia id in primis patet, vel illum & hic jure meritoque dici posse Inadvertentiarum Scriptorem, qui dum contra alios probare voluit, Eum usque ad Mortem de Animâ Origine non dubitasse, quod Bellarminus de Eo scripsit, eum suppeditavit locum, qui apertissimè id exprimit, ut non potuerit apertius & expressius. Constat ex iis insuper, Augustinum hic aliam planè Cypriano Sententiam adscribere, quam Episcopo Lucensi ob inadvertentiam tantò Anustite indignam videbatur, cujus sub hoc Elogio satis splendido opus aliam planè Inscriptionem desiderat. Alibi etiam in iisdem retractationibus animum dubitantem, ut utriusque ex parte à Sententiâ de Animarum creatione abluentem, & hinc Sententiâ de earum per Parentes propagatione aliquatenus propiorem, testatus est Augustinus, mentionem faciens ejus libri vel Epistolæ, quam de hac Quæstione ad Hieronymum scripserat olim, quam se post Eius obitum edidisse scribit, ut qui legit, admoneatur, aut non querere omnino, quo modo detur Anima nascentibus, aut certe de re obscurissimâ eam hujus Quæstionis admittere solutionem; quæ contraria non sit apertissimè rebus, quas de Originali Peccato Fides Catholica novit in parvulis, nisi regenerentur in Christo, sine dubitatione damnandis; de quâ posteriori & aliquantò rigidiori Sententiâ Augustini supra dictum. Post memorans alios quatuor de hoc argumento contra Vincentium quendam Victorem libros, ita de iis exposuit in Retractationibus Sententiam: In iis omnibus, in quibus multa differuntur necessaria, defendi de Origine Animarum, quæ singulis dantur hominibus, cunctationem meam. Si hæc Inadvertentiarum Scriptori advenisset, ut omnino debuit, Instituto satis ex asse volens facere, distulisset tam audacter contra Bellarminum scribere, falsò imponi Augustino, quod usque ad Vitæ terminum dubius manserit circa Animæ originem; nisi possit ostendi, Eum post scriptos Retractationum libros animum in hac re dubium mutasse, ac Animæ à DEO creationem, ejus propagationi per Parentes oppositam, certis quibusdam argumentis defendisse, testimonio ex opere Sermonum ad Fratres in Eremito, ut dictum, suspecto ac insufficienti, ut potè quod post libros Retractationum, at non ab Augustino est profectum, testibus domesticis hic fide non indignis.

cap. 12.
vid. lib. 10. de Gen. c. 6. & 7.

Lib. II. cap. 45.

cap. 56.

Nunc si ea porò attendamus testimonia, quæ Launojus Sorbonista ex Augustino collegit, ostensurus, quod Animarum creationem quotidianam Dogmatibus Ecclesiasticis non adscripserit, amplius adhuc inadvertentiam Episcopi Lucensis, & simul audaciam Bellarmini sibi metipso in hoc contrarii exhibent, quæ hic repetere necessum non est. Id adhuc agendum restat, quod supra jam contra Bellarminum ostendi cceptum est, eam vidisse Augustinum in Sententiâ de Creatione animarum difficilia & absurda, quæ nullo planè modo censuit esse toleranda. Certè in laudata hæctenus non semel ad Hieronymum Epistolâ maximam hujus rei difficultatem verbis exposuit sequentibus: Doce, quod doceam; doce, quod teneam, & dic mihi, si anima singillatim in singulis hodie nascentibus sunt, ubi in parvulis peccant, ut indigeant in Sacramento Christi Remissione peccati peccantes in Adamo, ex quo propagata est caro peccati; aut si non peccant, quâ infirmitate Creatoris ita peccato obligentur alieno, cum exinde propagatis mortalibus membris inseruntur, ut eas, nisi per Ecclesiam fuerit subventum, damnatio consequatur, cum in earum potestate non sit, ut eis possit Baptismi gratiâ subveniri? Tot igitur animarum millia, quæ in mortibus parvulorum sine indulgentiâ Sacramenti Christiani de corporibus exeunt, quæ equitate damnantur, si nova create nullo suo precedente peccato, sed voluntate Creatoris singule singulis nascentibus adhererunt, quibus eas animandis ille creavit & dedit, qui noverat utique, quod unaquæque earum nulli sit à

culpa sine Christi Baptismo de corpore fuerat exitura? Quoniam igitur neque de Deo possumus dicere, quod vel cogat animas fieri peccatrices, vel puniat innocentes; neque fas nobis est negare, eas, quae sine Christi Sacramento de corporibus exierint, etiam parvulorum, non nisi in damnationem trahi; Obsecro te, quomodo haec defenditur opinio, qua creduntur animae non ex illa unâ primi hominis fieri omnes, sed sicut illa uni una, ita singulis singula? Hoc non quasi argumentum Pelagianorum, ut marginalium glossarum auctori visum est, sed objectionem ex propria mente contra Animarum creationem Hieronymo proposuit & opposuit Augustinus, solutu non ita difficilem, ut Bellarminus existimavit, cui si coram fuisset agendum cum aliquo Propagationis vel Traducis propugnatore, scio, aqua hæsisset, agnitus, facilius esse scribere, quam loqui. Multum verò objectionem hanc negotii fecisse Augustino, quò minus eorum amplecteretur Sententiam, qui Animarum creationem defendunt, exindè etiam est manifestum, quod ad pleraque ex sacris Oracula, quæ traductioni favent, & argumenta ex illis deducta, nihil ex divite Eruditionis omnigenæ penu potuerit invenire, quod solidè reponat, ad ea autem è contrario, quæ pro creatione laudari solent, semper aliquid habuerit in promptu, quod responsi loco opponat, ne in eam descendere cogeretur Sententiam. Uno & altero res hæc demonstrabitur Exemplo. Eminet inter dicta, quæ Propagationem svadent, illud Mosaicum, quo Deus quievit legitur *ab omnibus suis operibus, quæ fecerat.* De eo Sanctus Doctor hæc habet: *Novas fieri animas, quæ nec ipsæ, nec ratio earum, tanquam in parente proli* lib. 10. de
Gen. c. 4. *sexto die illo facta sit, cum his operibus, à quibus consummatis & inchoatis Deus in die septimo requievit, si dixerimus, cavendum est, ne frustra tam diligenter Scriptura commendat, sex diebus consummasse Deum omnia sua opera, quæ fecit bona valde, si aliquas adhuc naturas fuerat creaturus, quas nec ipsas, nec earum ibirationes causaliter fecerit; nisi intelligatur, rationem quidem singillatim faciendarum animarum nascentibus quibusque dandarum in seipso habere, non in creaturâ aliquâ condidisse.* In utramque quidem Augustinus partem hic disputat, sicut ferè solet ubique, hanc agitans Quætionem; sed si methodum disputandi ab Eo in hujus Quætionis ventilatione adhibitam attendamus, tale in his verbis argumentum contra novam creationem, videlicet immediatam observabimus, cui satis ex debito factum est nullibi. Atque in hunc modum de hæc DEI Creatoris quiete scripsit in ad Hieronymum Epistolâ, eum continuans discursum, quem proximè ex eâ habuimus, inquit: *Ea, quæ dicuntur alia, contra hanc opinionem de Animarum Creatione, facile puto posse me refellere, sicuti est illud, quo eam sibi quidam videntur urgere, quomodo consummaverit Deus omnia sua opera sexto die, & septimo requieverit, si novas adhuc creat animas? Quibus si dixerimus, quod ex Evangelio in Epistolâ supra dictâ posuisti, Pater meus usque nunc operatur; respondent, operatur, dictum est, institutas administrando, non novas instituendo Naturas, ne Genesios Scripturæ contradicatur, ubi legitur apertissimè DE Joh. V. VM omnia contummasse sua opera. Nam & quod Eum requievisse scriptum est, utiq; à creandis novis creaturis intelligendum est, non à gubernandis, quia tunc ea, quæ non erant, fecit, à quibus faciendis requievit, quia consummaverat omnia, quæ antequam essent, vidit esse faciendâ, ut deinceps non ea, quæ non erant, sed ex iis, quæ jam erant, crearet, & faceret, quidquid faceret. Itautrumq; verum esse monstratur, & quod dictum est, & requievit ab operi-* Gen. II. *bus suis, & quod dictum est, usque nunc operatur, quoniam Genesi Evangelium non potest esse contrarium.* His Augustinus verbis proponit Sententiam eorum, qui Traducem animæ ex Divinâ post Creationem quiete iverunt suo tempore probatam contra novam ejus creationem. Nunc videamus, quid reponendum putaverit ex parte eorum, qui contra Traducianos, ut vocabantur, sùm pro creatione militabant: *Iis, inquit, qui hæc idè dicunt, ne credatur modò DEUS, sicut illam unam, novas animas, quæ non erant, facere, sed ex illâ unâ, quæ jam erat, eas creare, vel ex fonte aliquo sive thesauro quodam, quem tunc fecit, eas mittere; facile respondetur, etiam illis sex diebus multa DEUS, um creasse ex iis naturis, quas jam creaverat, sicut ex aquis Alites & pisces, ex Terrâ autem arbores, fœnum, animalia. Sed quod ea, quæ non erant, tunc fecerit, manifestum est. Nulla enim erat avis, nullus piscis, nulla arbor, nullum animal; & benè intelligitur, ab iis quievit creatis, quæ non erant & creata sunt, id est, cessavisse, ne ultra, quæ non erant, crearentur. Sed nunc quod dicitur, animas non in nescio quo fonte jam existentes mittere, nec de seipso tanquam suas particulas irrorare, nec de illâ unâ originaliter trahere, nec pro delictis ante Carnem commissis compedire carnis vinculis, sed novas creare singulas singulis, suam cuiq; nascenti; non aliquid facere dicitur, quod antè non fecerat. Jam enim texto die fecerat hominem ad Imaginem suam, quod utiq;*

»secundum Animam rationalem fecisse intelligitur. Hoc & nunc facit, non instituen-
 »do, quod non erat, sed multiplicando, quod erat. Unde & illud verum est, quod à re-
 »bus, quæ non erant, instituendis requievit; & hoc verum est, quod non solum gubernan-
 »do, quæ fecit, verum etiam aliquid, non quod nondum, sed quod jam creaverat, nume-
 »rosius creando usque nunc operatur. Facile quidem putavit hoc responsum, quod
 nomine patronorum Creationis contra Traducianorum ex Divinâ post Creationem
 quiete argumentum exhibuit Augustinus; sed si ipsum ejus tenorem accuratè atten-
 damus, facile patebit, quantis viribus suum torserit Ingenium, quàm in omnes se ver-
 terit partes, & tamen non invenerit, quod solidè & cum efficaciâ responderet, ne novâ
 stante Animarum creatione immediatâ, continuata operatio Creatoris in Evangelio
 expressa, adscriptæ Eidem quieti post Creationem videatur contraria. *Creatione*
 inquam *immediatam* & nova. Nam si sanctus Doctor intellexisset *mediatam*, quo sensu
 Animarum per Parentes propagationem non semel dicit *Creationem*, tanto non opus
 fuisset adparatu. Estque omnino certum, quæcunque ex Sententiâ patronorum Crea-
 tionis ad conciliandum duplex hoc utriusque Testamenti Oraculum scripsit Augusti-
 nus, in antecessum per ea esse refutata, quæ ex mente Traducianorum protulit, immota
 adhuc & nihil minus quàm infirmata. Id quod testimonium præbet, Sanctum Docto-
 rem problematicè quasi hanc tractando Quæstionem argumenta partis adversariæ, ut
 voluit videri, firmiora, quàm ut sufficienter eis respondere posset, proposuisse.

Parebit hoc, ubi plus ultra i verimus, visuri, quid ad cætera Sacræ Scripturæ pro Ani-
 marum per Parentes propagatione, contra novam earum & Immediatam à Deo crea-
 tionem, Oracula & ex iis argumenta habeat Sanctus Doctor. Et quidem de formatio-
 ne Evæ ex costa Adami ex mente Traducianorum ita scribit: *Illi, qui propaginem adse-*
runt Animarum, hinc se putant in victus suam munire Sententiam, quia cum scriptum sit,
Deum detraxisse costam de latere Viri, eamque ædificasse in Mulierem, non est additum,
quod in ejus faciem sufflaverit vita flatum, idè, inquiunt, quia jam de viro fuerat animata;
nam si non fuisset, nequaquam nos, inquiunt, Sacra Scriptura hujus rei cognitione fraudasset.
Ad illud verò, quod Adamus ait, hoc nunc os ex ossibus meis, & Caro de carne mea, nec
ait, Spiritus vel anima de spiritu meo, vel anima de anima meâ; sic ab eis responderi potest,
ut à parte totum intelligatur hoc dictum, os & caro mea, sed quæ animata fuerint detracta, non
mortua. Neque enim facere hoc omnipotentem potuisse idè negandum est, quia nullus homi-
num potest aliquid cum Animâ de carne humanâ præcidere. Nam quod Adam adjunxit,
Hæc vocabitur Mulier, quia de Viro suo sumta est; cur non ait potius, unde opinio confir-
mareretur istorum, quoniam de Viro suo sumta est ejus Caro? Hic utique illi, qui contra sentiunt,
possunt dicere, quia non est scriptum, carnem Mulieris, sed Mulierem de Viro suo sumtam debe-
re totam accipi cum Animâ & spiritu. Nam etsi Anima sexu caret, non tamen, quando adpel-
lantur Mulieres, Anima excepta eas necesse est intelligi. Et paucis interjectis: Si scriptum
esset, insufflavit vita flatum in faciem Mulieris, & facta est in animam viventem, neque sic
esset jam consequens, ut non propagaretur Anima ex parentibus, nisi etiam de filio eorum hoc
similiter scriptum legeretur. Fieri enim potuit, ut membrum non animatum de corpore ex-
traheretur. Quamvis verò in proximè sequentibus addat, neque illos, qui Animarum
propaginem defendunt, ex eo, quod non sufflavit Deus in faciem Mulieris, aliquid adjuvanti,
neque etiam illos, qui eam negant, idè, quia non dixit Adamus, anima de anima meâ, debere sibi
persuadere, quod nesciunt, rem hic quoque in ambiguo relinquens, Sententiâ adhuc dum
suspensâ; ea tamen ad Mosaicam formationis Evæ descriptionem pro Animarum pro-
pagatione adduxit, quibus ex asse satis non potuit facere. Ita dum Apostolus docet,
per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravisse; & per unius hominis inobedienti-
am peccatores constitutos esse multos, occasione ejus Pater augustus sequentia Propagatio-
nis vel Traducis defensoribus suppeditat: Ex his Apostoli verbis, qui Animarum defendunt
propaginem, suam sic adstruere moluntur Sententiam. Si secundum solam Carnem, inquit,
unt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis credere ex Parentibus
animam. Si autem, quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat, nisi Anima, quomodo
accipiendum est, quod dicitur, in quo omnes peccaverunt, si non ex Adamo etiam anima fuerit
Caro est propagata; aut quomodo per illius inobedientiam peccatores constituti sunt multi,
tantum in illo secundum carnem, non etiam secundum Animam fuerunt? Cavendum est enim,
ne vel Deus videatur esse peccati author, si dat animam carni, in qua eam peccare necessum sit;
vel esse possit anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ à peccato non sit Gratia Christi missa.

lib. 1. de
Anim. o-
rig. c. 18.

Rom V.

lib. 10. de
Gen. ad
lit. c. 11.

Via, quia non peccavit in Adamo, si omnes in eo peccasse secundum carnem tantum, quæ de illo est creata, non etiam secundum Animam dictum est. Quod usque adeo contrarium est Fidei Ecclesiasticæ, ut parentes ad percipiendam Gratiam S. Baptismi etiam cum parvulis atque infantibus currant; in quibus si hoc vinculum peccati solvitur, quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ est, merito queritur, quid obesse eis, si in illa ætate de corpore sine Baptismo exierint? Si enim per hoc Sacramentum corpori eorum, & non animæ etiam consulitur, deberent & mortui baptizari. At cum videamus hoc universaliter Ecclesiam retinere, ut cum viventibus curratur, & viventibus succurratur, ne cum mortui fuerint, nihil possit fieri, quod proficit; non videmus, quid aliud possit intelligi, nisi unumquemque parvulum non esse nisi (ex) Adam & corpore & anima, & ideo illi Gratiam Christi esse necessariam, et as quippe illa in se ipsa nihil egit vel boni vel mali. Proinde Anima ibi est innocentissima, si ex Adamo non est propagata. Unde quomodo possit iuste in condemnationem ire, si de corpore exierit sine Baptismo? Quisquis istam de Animâ tenens Sententiam poterit demonstrare, mirandus est. Vides, amice Lector, quantis argumentorum fulcris ex hoc Oraculo Pauli suffulciat Augustinus de Animarum propagine Sententiam, nec in sequentibus invenitur, quod ea possit infirmare aut omnino subruere, quin potius plura adhuc subministrat fundamenta, ad ulteriorem hujus Sententiæ confirmationem infervientia.

Plura jam non addo, ne demonstratio hæc prolixior sit justo; subjuncturus adhuc unum vel alterum, quibus defensores Creationis è sacro solent uti Codice, testimonium, ac ostensus, ea Augustino minus visa fuisse ad ejus probationem idonea. Præcipuum ferè est illud regii Ecclesiasticæ, scribentis, *Spiritu reverti ad Dominum, qui dedit illum,* cap. 12. quo insigniter gloriari & superbitæ solent, quibus nova & immediata Animarum placet creatio. At aliter visum fuit Augustino, qui in Epistolâ ad Hieronymum ita de eo: *Plus hoc suffragatur eis, qui ex unâ putant omnes esse animas. Nam sicut convertitur, inquit, pulvis in terram, sicut fuit, & tamen Caro, de quâ hoc dictum est, ad hominem non revertitur, ex quo propagata est, sed ad terram, unde primus homo factus est; sic & Spiritus ex illius unius spiritu propagatus non tamen ad eum revertitur, sed ad Dominum, à quo illi datus est.* Et juxta Sententiam hanc regius Ecclesiasticæ ad Adami hominis primi animam respexit, secundum quem modum Augustinus in Epistolâ ad Optatum adhuc clarius scripsit: *Facillimè respondetur, Corpus in terram revertetur, de quâ factum est primi hominis corpus; & Spiritus ad Deum, à quo facta est primi hominis Anima. Sicut enim nostrum corpus, inquit, nimirum Propagationis defensores, quamvis ex primo corpore illo sit propagatum, ed tamen redit, unde ipsum corpus primum est effectum, sic Anima nostra, quamvis ex illa animâ sit propagata, non ad nihilum, quia est immortalis, sed ad illum redit, à quo ipsa prima Anima est facta.* Adhuc plenius & uberius alibi, scribens, hoc regii Ecclesiasticæ Oraculum *neutri quidem Sententiæ contra alteram suffragari, sed in utraq; illud consistere;* lib. 10, de Gen. c. 9. attamen Traducianorum contra Creationis defensores responsum eò habens loco, quo moveri non potuit. Ita autem Doctor augustus: *Cum isti, nimirum Creationis patroni, dixerint, hinc probari, non à Parentibus, sed à Deo animam dari, quod converso pulvere, in terram suam, id est, Carne, quæ de pulvere est facta, revertetur Spiritus ad Deum, qui dedit illum; respondent illi, nimirum propagationis defensores, utique ita est: Redit enim Spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in ejus faciem sufflavit, converso pulvere, id est, humano corpore, in terram tuam, unde primitus est factum. Neque enim ad parentes spiritus erat rediturus, quamvis inde sit creatus ex illo uno, qui homini primo datus est; sicut nec ipsa Caro post mortem ad parentes revertitur, à quibus eam certò constat esse propagatam. Quemadmodum igitur caro non redit ad hominem, ex quibus est creata, sed ad terram, unde primo homini est formata; ita & spiritus non redit ad homines, à quibus est transfusus, sed ad Deum, à quo illi primæ carni est datus. Quo sanè testimonio satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliquâ jam factâ creatura, sicut corpus ex terrâ. Et ideo eum redit, non habet, quò redeat, nisi ad Authorem, qui eam dedit, non ad eam Creaturam, ex quâ est facta, sicut corpus ad terram. Nulla est enim creatura, ex quâ facta est, quia ex nihilo facta est; ac per hoc ad factorem suum redit, quæ redit, à quo ex nihilo facta est. Quid huic responso solidè opponeret Augustinus, non invenio, eoque ipso non parum roboris, ei conferens Sententiæ, in cujus gratiam illud adduxit. Et quia præter alia è Psalmo Davidis post trigessimum tertio argumentum pro Animarum creatione solitum fuit urgeri, audire juvat, quid de illo senserit Sanctus Pater, verbis sequentibus in ad Hieronymum Epistolâ suam exprimens Sententiam:*

Nolo

Pfal. 33. Nolo mihi dicatur pro hæc (de Creatione) Sententiâ debere accipi, quod scriptum est: *Quis- xit spiritum hominis in ipso, & qui finxit singillatim corda eorum.* Aliquid fortissimum atque invictissimum est requirendum, quod nos (non) cogat Deum credere ullarum animarum sine aliqua culpâ damnatorem. Ubi non video, quâ de causâ scripserit Glossator marginalium editor, conjunctionem non videri superesse, quæ tamen ex mente Augustini omninò ad Sententiâ ritè perficiendam requiritur, nisi contra Dei Sanctitatem & Justiciam scripserit possit videri. Neque scopum Augustini adsecutus est idem Glossator, dum sermonem hunc pertinere putavit ad argumentationem Pelagianorum, quod futurâ quoque in alio quodam Hujus Epistolæ Textu contra Eum vindicando fuit observatum. Plura nunc hujus generis ex Augustino cumulare superfedeo, ex his namque satis constat superque, quæ mens fuerit augustissimo Doctore de hæc Quæstione controversâ, illo jam tempore non absque plurimo animorum motu à Scriptoribus Ecclesiasticis ventilatâ. Nimirum, quamvis in alterutram partem certi quid determinare non est ausus, ea tamen in iteratâ sæpius & repetitâ tractatione ejus pro Animarum per Parentes propagatione exhibuit documenta, quæ Eum huic Sententiæ non parum favisse ostendunt, ad minimum nullibi occurrente tali absurdo, quo Sententiâ de Creatione difficulter premi observavit, ob id ipsum perivaderi nunquam sibi passus, ut ejus in se susciperet defensionem, quam potius non uno in loco graviter oppugnavit. Placuit autem hæc aliquantò prolixius deducere, ut quia non paucis hodie è Pseudo-Evangelicorum numero Animarum nova creatio præ earum propagatione placet, inde etiâ constet, non favere illis Augustinum, ut non semel ad Eum soleant confugere auctoritatem, locis videlicet, quibus utuntur, non ritè inspectis, nec ex debito collatis, quod ab aliis etiam sufficienter est ostensum. Non repetam nunc Lectori curioso objecturus singularem *Iohannes Marci*, Medici Pragensis, de Animæ cum corpore in momento Nativitatis conjunctione Sententiâ, de quâ *Caramuel* in Theologiâ primùm *Fundamentali*, post in Theologiâ etiam *Intentionali*, cujus aliqua mentio in *Vindictis Evangelico-Thomisticis* occurrit; neque dicam de tertîa celeberrimâ antehâc Philôphi, *Cornelii Martini* Sententiâ, qui sicut Deo non esse putat impossibile, neque terminos videre existimat contradictorios, si dicatur, posse, si Deus veller, ut ex substantia alicujus Angeli emanaret Angelus ejusdem naturæ, per absolutam Dei Omnipotentiam ab Angelo produci Angelum, imò levius videatur, efficere, ut ex Angelo alius emanet Angelus, quam ex nihilo eundem creare; Ita etiam posse Eum efficere, ut ex animâ Parentum emanet alia, quæ isdem sit qualitatibus cum parentis animâ, idque toties posse, quoties Ei videatur, ut neque de propagatione vel animæ vel peccati originalis magna restet controversia; de his, inquam, hæc occasione, utpotè ad Institutum præfens impertinentibus, agi opus non est, operam nunc nostram sollicitante Controversiâ sequenti, cujus decisiò non planè nihil ab hæc, quam modò tractavimus, dependet.

vid. D.
Calov.
Harm.
P. 480.
D. Krom,
AntiSynec-
pag 135.

Comp.
Theol.
pag. 205.

Tom. II.
P. 426.
& seqq.

His dudum conjectis in chartam prodierunt duo Scriptores *Patavini*, quibus hæc de *Animæ origine* Controversiâ post alios plures, nominatim contra *Bellarminum* pro Augustini auctoritate visum est readsumere, è quorum prolixiori Tractatione, quantum Institutum præfenti videbitur inservire, lubet breviter excerpte, ne quid Lectori curiosus huc pertinens possit desiderare. Prior est *Franciscus Macedo*, Ordinis *Minorum*, qui in *Collationibus Thomistico-Scotisticis* hanc Quæstionem versans agnoscit & cum pluribus aliis fatetur, illam summum Augustini ingenium torfisse non parum; & quantum multi ex Authoribus Scholasticis ingentes de illâ excitent controversias, & varias evadendi vias excogitent, tamen non nisi ope sili *Augustiniani* evadere Labyrintho, quod ipsi tanquam *Theseo* meliori Divina tradiderit Sapia. Quale autem fuerit *Filum* lud, his exponit verbis: *Augustinus ita se gerebat, ut Veritatem Catholicam de transmissione peccati adsereret, de quâ constabat; de modo transmittendi non curaret, cum is esset in occulto, & aliud esset rem tenere, aliud modum inquirere, atque ita declinando difficultatem modè traducendi, quia Fides non revelaret, traduci peccatum, quod Fides docuerat, defendebat.* Paucis quibusdam interpositis addit, *Augustinum de Anima origine dubium visisse ad Mortem usque, quo Eum nomine malevoli quidam Theologi recentiores, multò minus docti & modesti, quam Sarezus & Bellarminus, criminantur, quæ tamen ratione necessum sit Gregorium Magnum & Nyssenum, item Eucherium, & alios ante Gregorium Patres, & post Eum non planè nullos, qui de Anima origine ambigunt, criminari. Quamvis verò de Creatione se non ambigere scribit Macedo, sed eam tenere adfirmat, ingenio tamen simul agnoscit, eam difficulter admodum posse naturali ratione cum eâ peccati propa-*

gine conciliari. Imò audet dicere, nec illam hæctenus à Theologis (suos nimirum Romano Catholicos intelligit) clarè & sine controversa conciliatam esse, qui dum facile argumentum illud, quod etiam Bellarmino teste semper visum fuit Augustino difficillimum & penitus insolubile, solvi existiment, integram penè & solidam relinquunt difficultatem. Et ubi inter alios Bellarmini quoque modum, quo difficultatem ab Augustino observatam conatus est omninò tollere, quasi invalidum prævio Examine rigorosiori rejecit, id præsertim censoriè notavit, quod non multum jurari vel declarari traductionem peccati existimavit Bellarminus, si animæ propagentur ex traduce, atque parum ad eò id interesse ad Questionem, monens, contrarium putasse Augustinum & sequaces antelaudatos, sequentibus de suo additis: *Quis enim non videt, si anima ex Patris animâ ferret, multò fortè intellectu facilius, cum animâ transire qualitates & affectiones animæ; quem ad modum (cum corpore) transeunt (qualitates & affectiones) corporis, cum sit corpus ex corpore. Nam cum peccatum originis fuerit in animâ & voluntate Adami, si hæc anima & voluntas per traducem ad posterum eat, quocumque eat, secum vehet peccatum; nec opus erit inquirere, undè peccatum & quomodo transmittatur, cum transmittatur anima, quæ peccavit, cum præsertim sit peccatum Naturæ, quod cum naturâ transfunditur, naturæ autem præcipua pars sit forma. Post examen modi, quem Vasquezius invenisse sibi visus est, viam indagans Macedo novam ad traductionem originalis peccati, Augustino iterum proposito, idè Eum inter duas de Animæ origine Sententias, novam videlicet ejus à DEO creationem, & à parentibus propagationem vel traductionem, constitutum, utra earum vera esset, dubitasse scribit, tum quia non videbat locos in Scripturis pro alterutrâ expressos, tum quia contractio peccati originalis, quæ per generationem fit, difficulter cum creatione animarum à Deo scorsim facta videbatur coherere. E contrario aliquibus iterum interfertis, ut iteratò adfirmet, se non dubium aut cunctatorem, sed certum & alacrem amplecti Sententiam de singulari Animarum creatione, & secundùm illam statuere de peccati traduce, idè, quia celebretur in Ecclesia, videlicet Romanâ, & Scholâ, id est, inter Doctores, nec fas esse ab eâ dissentire; tamen videre se fatetur in gratiam Augustini & cæterorum de Doctrinâ Catholicâ bene meritorum, facile in Sententia de Animarum traduce peccati originalis traducem currere. Id etiam repetit contra Bellarminum, uti supra vidimus, scribentem, si nunc Augustinus viveret inter homines, non solum favorurum Sententiæ de singularum creatione, sed gratias quoque acturum iis, qui eam tuerentur; Augustinum hoc optasse, ut Sententia de Creatione proficeret ad tuendum peccati traducem, ut potè quæ ratio sola ipsum à constanti assensu retraxerit, & qui soleret momentis sacrorum Locorum duci, nullum inveniret, quo penitus convinceretur, ipsomet Bellarmino è claris Augustini verbis id agnoscente. Alia prætermittò plura, quæ Macedo in gratiam Augustini & Sententiæ de Animarum per Parentes propagatione hinc indè Disputationi suæ inseruit, quæ satis manifestè docent, Eum ab hac Sententia non ad eò fuisse alienum, opinionem vero de Creatione non ob aliam ferè rationem defendisse, quam quia inter suæ Religionis homines vidit receptam, ne eam detereus apud eosdem hæreticæ novitatis suspicionem incurreret, omni modo vitandam. Hunc Macedonem non tam secutus, quam comitatus est Henricus de Noris, in Vindiciis Augustinianis, quæ eodem Annò, loco, typographo, cum Collationibus Macedonianis prodierunt, ejusdem etiam tum Cathedræ Doctore, qui contra Morainium vel Martironum, Augustini in hac Controversia dubitationem pro errore aliquo habentem, disputans, statim sub initium id observavit, Augustinum in hac Questionem totius & summi (quidem) ingenii vires contulisse, nihilque penitus indiscussum reliquisse, quò rei veritatem adsequeretur; sed cum neutram Questionis partem efficaci auctoritate aut demonstrati varatione sibi animadverteret probari, neutri, fusè eà re in diversis operibus ventilatâ, adhæsisse. Verùm exortis post eà Pelagianis, qui peccatum originale inficiabantur, illud præcipuè jactantes argumentum, creati à Deo animas, nec illas à Deo produci posse cum peccato; Sententiam, quæ Animarum propagationem defendebat, Doctore Sancto probabiliorè videri capisse, citato in rei testimonium loco ex Opere de Genesi ad litteram, de quo supra dictum. Quamvis autem hoc non obstante loco satis expresso Vindex hic Augustinianus nihilo minus Patrem augustissimum usque ad vitæ finem in dubio perseverasse scribat, addens, tantum valuisse Ejus exemplum, ut Sapientissimi Patres eundem subsequi per plura secula cum Eo de animarum origine dubitarent, donec opinione Scholasticorum prævalente, traduce antiquato, creatio evaserit communis in Ecclesia, cum hac observatione, Bellarminum contendentem, ex Ecclesiastica traditione certam esse de Creatione Sententiam, falli & fallum esse; Hieronymi tamen testimonium liberaliter suppeditavit, de suo*

P. 101. &
seqq.

de suo tempore scribentis, traducem defendisse Ecclesiam occidentalem, contra eundem Bellarminum post plurimum Ecclesiae Doctorum loca, ad quæ is provocaverat, accuratus pensitata, id etiam Examini subiciens, quod ex Augustini quâdam ad Optatum Epistolâ monuit, Eum apertissimè Sententiam de traduce ibidem refellisse, scribentem videlicet, *Propaginem animarum inconsideratâ temeritate defendi*, hæc subjuncta notatione, Augustinum ibi traducis adfertores arguere *temeritatis inconsideratæ*, (quod supra quoque observatum,) *non quod putaret, illos falsum adserere, sed quod culparet promtam eorum audaciam, quâ opinionem non certis stabilitam argumentis uti veram contentiosè defenderent;* unde, (scribit Vindex Augustinianus) apud eundem *inconsideratâ etiam temeritate* alii mordicus oppositam de Creatione Sententiam sustinebant. Sed neque, pergitidem, quod Augustinus de Sententia Tertulliani dixit, contra Sententiam de traduce Animarum eo modo, quo ab Augustino explicabatur, ut argumentis Sententiæ contrariæ responderet, est accipiendum; nam Tertullianus inde reprehenditur ab Augustino, *non quod traducem animarum poneret, sed quod non rectè illum adsereret, cum putaret, animam esse corpoream, atque adeo per semen corporeum generantis traduci.* Pluribus interpositis, *Quare illa Augustini censura eos tantum perstringit, qui animam corpoream juxta Tertulliani errorem ex corpulentis Seminibus originem trahere adseverabant.* Repetit post plura, Augustinum dubitasse, num Anima per incorporeum Semen traduceretur, in quâ Sententia nullam videri debere evidentem repugnantiam, cum plerique Scholasticorum admittant, Materiam spirituales non esse impossibilem. Quod ubi quibusdam autoritatibus Lectori poluit ob oculos, id ideò factura à se monet, *ut insulas quorundam Censuras refellat, qui reprehendunt Augustinum, quod traducem Animarum adseruerit probabilem, cum tamen evidenter conitet, Animas non posse educi de potentia materiæ corporeæ, nisi sint mortales.* Etenim, pergit Vindex, nusquam Doctor sanctus est arbitratus, *Animas educi posse de potentia corporeæ, sed tantum de materia spirituali, quam esse possibilem Doctor es concedunt.* Illâ autem concessâ, non video, cureductio formæ spiritualis ex materia spiritali adeo evidenter impossibilis adpareat, *ut errori debeat Augustino verti, quod illam educationem duxerit probabilem.* Tandem, se non probare supra etiam à Macedone improbatâ Bellarmini verba scribit, quibus indicavit, *si nunc inter homines videret Augustinus, non solum faviturum, sed etiam gratias acturum iis, qui Sententiam de Creatione tuerentur.* At ita respondet Vindex, cur hæc gratias recentioribus deberet Augustinus? An, quod ex Scriptura Sententiam de Creatione ostenderint? At omnia sacrarum literarum testimonia expendit excussitque Augustinus. An Scholasticorum sequeretur auctoritatem? Imò potius adhuc in veteri persisteret dubitatione. An rationibus eorum contra traducem cavere-retur? At illæ, præterquam, quod ab adfirmantibus materiam spirituales facile solvi possunt, id evincerent tantum, ut Augustinus ab admittendo traduce contineret ad-sensum, quod & semper fecit, non autem in Sententiam de Creatione eundem traheret, in quâ non minoribus se premi sentiebat difficultatibus, præcipue verò, quod datâ eâ Sententia, quam Pelagiani etiam toto urgebant conatu, difficultas traducendi peccatum originale statim emergit, quâ adeo premuntur Scholastici, ut in modo adsignando, quo labes illa per generationem trahatur, minimè convenient inter se, sed sese invicem acerrimè oppugnent. *Hæc ille etiam inter plura, quibus se nuper opposuit Bruno Nersus, Ordinis quidem cum Macedone ejusdem, sed non ejusdem Sententiæ, ut ut eo non nominato, imò potius sibi juncto, eam in Norisio impugnavit acerrimè, iis tamen hinc inde insertis, quæ radios Evangelicæ Veritatis præbent non obscuros, breviter nunc indicandos.* Agnoscit nimirum hic AntiNorisus cum eo, quem refutandum sumit, Augustinum quidem in hæc parte semper fuisse dubium & ancipitem, sed ad Traducem vel Traducianos magis inclinasse. Fatetur, Augustini tempore & aliquot Seculis proximè sublequentibus Veritatem Catholicam, (ita vocat Dogma vel Sententiam de Creatione,) quoad nos nondum fuisse, atque adeo impune eam rejicere & alteri adbare e quem vis potuisse, vel, uti Augustinus &c. ad sensum sustinere & neutram adprobare. Ad testimonium Hieronymi de consensu Occidentalium nihil aliud habet, quod respondeat, quam divinare se non posse, de quibus loquatur, & quinam fuerint hi Occidentales, cum ex Latinis nullum sciat, qui vel Eidem fuerint coætanei, vel ante illum scripserint, præter unum Tertullianum, qui opinionem illam Traducianorum docuerit. Sufficit, Hieronymo non incognitos fuisse. Addit, quamvis Valentini opinio de Creatione visa fuerit esse hæc aperta, propter Augustinum. De Gregorio M. Augustini vestigia sequente movet.

Prodr. Ve.
lit. pag. 34.
& seqq.

Sententiam de Creatione nondum eo tempore in Ecclesia firmatam fuisse. Cætera, quæ prolixius opponit *Noriso*, plus verborum, quam rationum habentia, quanti sint ponderis, ex supra dictis potest constare.

Neque dum satis est de *Anima origine* dictum, post omnes enim, quorum mentio facta, alius occurrit Author, non præmittendus omnino, habens nimirum aliqua, quæ observasse, non planè nullius erit operæ pretium. Est autem *Matthias Hausorius*, Ordinis Francisci, qui in secundâ *Collationum Theologicarum* Parte, quibus *Alesem*, *Bonaventuram*, *Scorum* cum Augustino conciliare tentat, ad hanc Quæstionem notavit sequentia: *Alphonsus à Castro* inter hæreses de Anima excusat traducem animarum ab hæresi, *Primo*, quia non reprobatur ullâ expressa Scriptura Sacra, vel definitione Ecclesiæ; *Secundo*, quia Augustinus non tantum fuit dubius, sed sub hæresi Luciferianorum & Tertullianitarum negat, eos idèd fuisse hæreticos. *Tertio*, quia non tantum Patres Augustino priores, sed etiam posteriores in illâ fuerunt opinione, vel dubio, *Quarto*, quia Thomas non dicit esse hæresin, sed errorem, nec reprobatur ex Sacra Scriptura aut Sacris Conciliis, sed rationibus solis naturalibus. Verum sensus Luciferianorum & Tertullianitarum videtur esse hæreticus, scribit contra ordinis sui Socium *Collator Scotisticus*, quod videlicet animæ traducantur seu generentur per transfusionem, ut ipsum corpus, seu ex Semine materiali, quia hoc est (docere) animam esse materialem, non spiritualement. *Sed*, ita suam exponit mentem de mente Augustini, sensus Augustini neque est hæreticus, nec erroneus, imò verissimus, quod nimirum singulæ rationales animæ creentur quidem ex *nihilo materiae intrinseca*, aut substantiæ propriæ vel alienæ, non tamen ex nihilo corporis humani, sed ex natura & anima *primi hominis*, id est, ad ejus similitudinem & ad exigentiam ac informationem corporis humani, sicque dici possunt traduci naturaliter & exemplariter, *primò*, quia Augustinus sæpè reprobatur traductionem, in sensu Luciferiano & Tertulliano, ut perversissimam; ergò ipse habet sensum longè alium (videlicet) spiritualement. *Secundo*, quia expressè in Epistola ad Hieronymum supponit, animam esse incorpoream, indivisibilem & totam in singulis partibus corporis; ergò non dubitat, quin tota simul producat ex nihilo materiæ, & ex nihilo animæ propriæ vel alienæ, sed tantum (annon) ex natura & exemplari animæ primæ. *Tertio*, quia hunc sensum suum satis indicat opere vel Commentario in Genesin, ex quo jam aliqua in medium fuere producta. *Quarto*, quia in Epistola ad Optatum, hanc suam ultimam conjecturam omnibus aliis præterit, utrum ex una animâ hominis primi (singulæ rationales animæ creentur) sicut Deus fingit singulatim facies hominum, ex uno tamen corpore hominis primi, non materialiter, nec causaliter, sed exemplariter. *Quinto*, quia Augustinus ubique proficitur, se non probare traductionem animarum, nisi in sensu necessario ad contrahendum originale peccatum; hic autem sensus est ad hoc necessarius & sufficiens, ab ipso Augustino sæpè expressus & applicatus. Non potest enim concipi, quâ æquitate animæ contrahant originale peccatum, nisi aliquo ex illis modis oriatur ex primo Parente. *Sextò* tandem ex illo Pauli, in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri, quo Augustinus utitur tam sæpè ad probandam æquitatem DEI in creandis hominibus corpore & animâ similibus Adamo. Ita quidem *Collator Scotistico Augustinianus* vel potius *Augustinianus Scotisticus*, mentem Patris sanctissimi magis involvens, quam evolvens, plusque eam obsecrans, quam illustrans, utut in his etiam tenebris & ex illis aliqui non obscure transpareant Veritatis radii, qui Sententiæ Evangelicorum possunt inservire aliqua ex parte. In genere sufficiat hic iteratò observasse, ex mente *Alphonsi Castrensis*, celeberrimi Sæculo superiori Scriptoris, animæ traductionem, ritè videlicet explicatam, non esse hæreticam, nullibi in Scripturâ vel etiam Ecclesia damnatam, nec quemquam ob ejus defensionem pro hæretico habitum, sed liberè ante & post Augustini tempora defensionem, & non nisi rationibus ex lumine naturali infringendam. An verò *Collator* ex asse mentem Augustini sit adsecutus, nunc prolixè non discutio, sed iudicio Lectoris relinquo, quod ex supra dictis contra Bellarminum non erit difficile. Ea tantum exinde noto, quæ ad traductionem orthodoxè intellectam uberius confirmandam pertinent, videlicet, quod quasi ad mentem Augustini scribit, *singulas rationales animas creari* (forsitan scribere voluit, produci) *ex nihilo materiae intrinseca*, quod vix aliter intellectum voluit, quam si scripsisset, ex nihilo immateriali intrinseco, quia in proximè sequentibus hoc ita explicavit, *ex natura & anima* primi hominis, quod locum non haberet, si animæ à Deo crearentur immediatè, & sic hominū corporibus infunderetur. Atq; hic esse potest *sensus spiritualis*, quem primâ ratione tribuit Augustino, & in secundâ uberius exponit,

Uuu

addito

addito insuper loco in tertia, ubi Augustinus ipse hanc suam sistit mentem, quin etiam in quarta provocat ad auctoritatem Ejus, alibi per comparisonem cum facie corporis eam illustrantis, accedente præsertim in quinta illius sensus necessitate ob originalis peccati contractionem, quæ aliàs non posset concipi, Paulo tandem quoque pondus addente in sexta, cujus auctoritate Augustinus in hæc ipsa Quæstione usus est sæpissimè; quæ omnia & singula, si ex debito attendantur, non parum momenti addunt Sententiæ Evangelicorum de translatione animarum ab Augustino defensæ.

CAPVT DECIMVM QVINTVM & SEXTVM,

De Originalis peccati subjecto.

IN demonstratione, quam hic Bellarminus in se suscepit, ut ostendat, Beatam Virginem Mariam sine peccato originali conceptam esse, tria tractat capita, *primum*, non haberi apud Catholicos (Romano-Papæos) pro re certâ ac exploratâ & Catholicâ Fide tenendâ, Beatam Virginem sine peccato fuisse conceptam; *secundum*, hanc ipsam opinionem non esse ullo modo hæreticam vel erroneam judicandam; *tertium*, non etiam esse temerariam, sed piam admodum & probabilem, atque adeo contrariâ Sententiæ longè probabiliorem. De tertio hoc monet porro, non expectandum esse, ut expressum DEI Verbum adferatur, aut certa aliqua definitio Ecclesiæ, sed probabiles tantum congruentesque rationes adferendas esse, ex Scripturâ, Patribus, consensu Ecclesiæ &c. Has postquam suo adduxit numero, ubi argumenta in contrarium solvere adgressus est, præmisit explicationem, quomodo accipiendum sit, quod dicitur, Beatam Virginem originali peccato semper caruisse. Tribus enim modis, inquit, peccatum primi Parentis cum filiis ejus communicatur. *Primo* dicuntur in ipso Adamo peccasse filii, cum Domini præceptum in Paradiso transgressus est. Et quoniam tunc non ipsi erant in actu, sed in potentia, idè quoque tunc peccatum non actu, sed potentia contraxerunt, siue quod est idem, non in se, sed in Parente peccaverunt, quemadmodum non in se, sed in parente subsistebant. *Deindè* rursus dicuntur in peccato concipi omnes Adæ filii, cum primum fœtus in utero Matris incipit existere, quamvis informis & inanimis. Tameñ enim peccatum propriè non possit esse, nisi in Anima rationali, & fœtus conformati incipiat longo tempore ante animationem; tamen quia tunc reverà homo incipit existere, ratione unius suæ partis, undè filii in uteris Matrum gestari novem Mensibus dicuntur, & pars illa ex natura corrupta originem habet, & vitiosa rectè nominari potest, atque ei ex vi suæ generationis debetur, ut cum primum sortita fuerit Animam rationalem, indè existat homo peccator & Iræ Dei filius, propterea non immeritò dicuntur homines tunc primum in Iniquitatibus generari. *Tertio* denique dicuntur homines concipi in peccato, cum animæ corporibus inspirantur; tunc enim primum incipiunt propriè & re ipsa homines esse & habere voluntatem originali Justitiâ denudatam, à Deo averfam & informem. In applicacione triplicis modi hujus Bellarminus pergit: *Quod primum attinet*, non defunt, qui existiment, Beatam Virginem non peccasse in Adamo; dicunt enim, legem de non gustando ligno Scientiæ boni & mali datam fuisse primo Parenti pro se & omnibus posteris, excepta Virgine Maria, ac proindè Illam, ut erat in lumbis Adami, gustasse quidem cum illo cibum veritum, nō peccasse tamen, quia prohibitio ad eam non pertinebat. *Addit Bellarminus*, Hæc Sententiâ nobis non admodum rata esse videtur, & contrariæ omnino subscribimus. Nam convenit inter Catholicos, Beatam Virginem per Christi Sangvinem verè redemptam esse, & quod Apostolus ait, Christus pro omnibus est mortuus, sine ulla exceptione accipiendum esse. At si Beata Virgo neque actu, neque potentia, neque in se, neque in Parente suo peccavit, quomodo redempta dici potest? Jam *quod secundum attinet modum*, si Beata Virgo non fuit libera à peccato primi Parentis, ut diximus, quatenus erat in lumbis ejus, profectò prima Ejus conceptio similis fuit conceptioni aliorum. Nimirum habuit originem ex natura corruptâ, eiq; ex vi generationis debebatur, ut contraheret peccatum, cum primum ad eam Anima rationalis accederet. *Sed quod tertium attinet modum*, sine peccati originalis maculâ fuisse existimamus animam Beatæ Virginis in ipso etiam primo instanti suæ creationis & infusionis in corpus, ita ut nunquã Persona illa actu existens habuerit peccatû. Atq; hoc solum est, in quo B. Virgo difert à cæteris, qui per Gratiâ Dei, Christi q; passionis meritû à peccato originali fuerunt liberati, quod alii comuniter liberati sint post Nativitatē, aliqui præci ante Nativitatē, sed post animationem; Ipsa sola in ipso instanti animationis. *Hæc Bellarm.* quæ omnindè præmitti debuerunt, ut de Sententiâ, contra quam ex Augustino aginunc debet, Lectori Veritatis studioso eò melius constaret. Videamus ergo, quo

II. Mao-
cab. 7.

II. Cor. 1.

Augustini testimonio eam fulciat. Id verbis exhibet sequentibus: *Excepta Sancta Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, habere volo* de Nat. & Grat. c. 36
Quaestionem. Indè enim scimus, quod Ei plus Gratia fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quâ concipere ac parere meruit Enim, quem constat nullum habuisse peccatum.
 De hac Augustini Sententia ita Bellarminus: *Ad hunc locum responderi solet, Augustinum de peccato actuali, non de originali locutum esse. Cæterùm multa sunt, quæ nos contra sentire cogunt, Primum, quod Augustinus dicat, se nullam prorsus quaestionem de Virgine Sanctâ habere velle, cum de peccatis agitur; quibus verbis indicat satis, se quaestionem de Eâ habere nolle, cum agitur etiã de peccato originali. Deindè, quod addat, Illi gratiam fuisse collatam ad vincendum omni ex parte peccatum; quomodo enim omni ex parte peccatum vicit, si peccato originali fuit contaminata? Tertio, quod dicat; se propter honorem Domini non minus postulare videtur, ut Ejus Mater caruerit originali peccato, quàm actuali, cum illud mortale fuerit necessariò, hoc esse potuerit veniale. Denig, quia ex Augustini Sententiã nemo vivit sine peccato actuali, qui habuit peccatum originale, hæc enim Ejus alibi sunt verba: Nullus est hominum præter Christum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter Iesum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* lib. V. in Jul. c. 9.
 Cum ergò, ita porrò Bellarminus, Sancta Virgo non fecerit ex Augustini Sententiã peccatum actuale, ut ex loco supra citato adversarii etiã colligunt, sequitur ex ejusdem Augustini Sententiã, ut neq; habuerit originale peccatum, si suam ex opere adversus Julianum admittat doctrinam. Post in responsione ad argumenta partis adversaria quatuor Augustini testimonia ex Chemnitio adducit, eis satis facere studens. Et primum quidem est idem, quod Bellarminus pro se ex libro de Natura & Gratia adduxit, id quod Chemnitius observavit, *Manifestissimum esse, quod non sentiat Augustinus, Mariam sine peccato conceptam fuisse; aliàs enim non opus fuisset, inquit, ipsi Gratiam conferri ad vincendum peccatum.* Bellarminus respondet, si Beatissima Virgo natura suâ fuisset impeccabilis, quod nemo Catholicorum dicit, sine dubio non eguisset Gratia ad vincendum omni ex parte peccatum. At cum per Gratiam in ipsa Creatione infusam vicerit originale peccatum, hoc est, aditum ei omninò præcluserit, & rursus per Gratiam tum habitualem, tum directionis & protectionis, tum etiã cooperationis Divinæ, maculas omnes peccati actualis evaserit; falsum est professò, quod Chemnitius dicit, non opus fuisse conferri Beatæ Virgini Mariæ Gratiam ad vincendum peccatum, si sine peccato fuit concepta. Annon enim Adamus & Eva sine peccato fuerunt creati, & tamen ad vincendum peccatum eguerunt Gratia? Non igitur concipi sine peccato, sed impeccabilem esse naturâ requiritur, & sufficit, ut quis non egeat Gratia ad vincendum omni ex parte peccatum, *Secundum Augustini testimonium est: Firmissime tene & nullatenus dubita, omnem hominem, qui per concubitum Viri & Mulieris concipitur, nati cum peccato originali &c.* de Fide ad Petrum, c. 26. *Et huic testimonio, dicit Bellarminus, addere Chemnitium aliud in eandem Sententiam ex libro de Nuptiis & Concupiscentiã, ut & ex Ambrosio. Respondet autem Bellarminus, nihil aliud his probari testimoniis, nisi nullum esse præter Christum, qui ex vi generationis non traxerit originale peccatum. Sequitur ergò tertium Augustini testimonium, quod ita habet: Quis esse vel fuisse in hac Vita hominem vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est Divina Scriptura, ubi Apostolus ait, Per unum hominem peccatum intravit in Mundum &c. Bellarminus respondet, non negamus, Beatæ Virgini necessarium fuisse remissionem peccatorum, & Christum ejus fuisse, ut cæterorum omnium redemptorem; sed dicimus, remissa Ei fuisse peccata, non in quâ inciderat, sed in quâ incidisset, nisi gratia Dei per Christi Meritum fuisset præventa. Neque est hic loquendi modus à Scripturis Divinis vel ab Augustini disputatione alienus. Certè in Psalmo post octogesimum quinto dicit Propheta, *Eruiſti animam meam de Inferno inferiori;* & in Psalmo post centesimum & quadragiesimum tertio, *Redemiſti servum tuum de gladio maligno.* Nec tamen in Infernum inferiorum Propheta ceciderat, aut à gladio maligno cæsus fuerat; sed quia periculum erat, ne id fieret, & gratia Dei periculum illud evaserat, ideò gratias agit, ac dicit, *Eruiſti, &c.* in quem locum Augustinus ita loquitur: *Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore & dicat, Parce tibi, sic te tracta, requiesce, his utere cibis; nam si non feceris ægrotabis: Tu autem si feceris, & salvus eris, rectè dicis Medico, liberaſti me ab ægritudine: non in quâ jam eras, sed in quâ futurus eras. Nescio quis causam habens molestam mittendus erat in Carcerem, venit alius, defendit eum;**

Ante Bellarminum imò plus, quam ante duo Secula, de hac Quæstione egit prolixissimè & iusto opere, nuper demum in lucem, studio & labore Petri de Abvâ & Astorgâ, Ordinis Minorum, Bruxellis è variarum in Hispaniâ, Galliâ, Flandriâ, Bibliothecarum Manuscriptis protracto & edito, Iohannes de Segoviâ, Toletanus, pro informatione Patrum Concilii Basileensis septem Allegationes & totidem Avisamenta, id est, Consilia vel Monita scribens, plurima in eo hic & ibi facta mentione Augustini, undè, quia liber hic fortè in pauciorum venit manus, placet excerpere, quæ Scopo videntur intervire. Notandum verò statim à principio, agere Authorem in toto opere contra quandam Scriptorem Ordinis Prædicatorum, Iohannem de Monte nigro, quem sibi proposuit directè oppugnandum. Prætermisissis autem generalioribus ea tantùm videamus, quibus vel Beatæ Virgini Mariæ hoc Immaculatæ Conceptionis Elogium adscribere videtur Augustinus, vel quæ in contrariam adducta Sententiam vindicare studuit Concilii Basiliensis Informator. Igitur dum Allegationis secundæ Documento etiam secundo ostendere laboravit, *decussè Virginem Beatissimam præservari à peccato originali*, le-
 prem Ejus prærogativas adducens, quarum ratione decuerit esse Eam à peccato origi-
 nali immunem, ad ultimam sequentia Augustini commendavit verba: *Quis potuit in*
Mariæ animâ vel carne locus esse vitiorum, quando ad Cæli vicem omnia continentis Templum
Dominus est effecta? Hæc est reverè à Domus, de quâ dicitur per Salomonem, Sapientia ædifica-
vit sibi domum, excidit columnas septem; septem namque Virginalis hujus domus colu-
mnis fabricata est, quia Mater hæc veneranda Divinis Spiritus Sancti donis fuit dotata, quam
utique ætalem æterna ædificavit Sapientia, ut digna esset omnino, ex quâ Ipse carnem adsumeret,
inestimabile pretium Salutis humanæ. Quid dignius hac Virgine, quid sanctius in humani ge-
neris semine potuit exoriri? In allegatione tertiâ probaturus, Beatissimam Virginem Ma-
riam fuisse à Deo præservatam, & nunquam contraxisse Peccatum Originale, è Sermone de
Adluntione Virginis septem colligens testimonia, hoc tertio adposuit loco: Maria etsi
communicat erumnis Evæ, non communicat parturiendo cum dolore; promeruit enim hoc
singularis Ejus Sanctitas & Gratiâ singularis, quâ Dei susceptione singulariter estimata est di-
gna. Non igitur immeritò excipitur à quibusdam generalibus verâ estimatione, quam tanta
servat Gratiâ & attollit Dignitas prærogativa. Septimo sequentia ex libro de Naturâ &
Gratiâ, præter citata à Bellarmino subjunxit: Exceptâ hæc Virgine, si omnes Sancti & Sancti
et possent congregari, & quæreretur ab eis, an peccatum haberent, quid responderent, nisi quod
Iohannes ait, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus? Illa au-
tem Virgo Gratiâ singulari est præventa atque repleta, ut ipsum haberet sui ventris fructum,
quem ex initio habet universitas Dominum. In allegatione sextâ, quâ multiplicat San-
ctorum testimonia, quod de Beatâ Virgine fuerit Fides ab antiquo, & ipsa sit vivificatrix
omnium bonorum, post plura Bernhaldi, hæc etiam Augustini, nullâ tamen operis men-
tionem factâ, adducit: Hæc est Domina Regum, decus Mulierum, gemma Virginum, refugium
peccatorum, omniumq. reparatio credentium. Quidquid ergò boni Mundus habet, habet ab
illa, ex quâ Salus nostra manat initium. Item, Hæc est, quæ sola meruit Mater & Christi
Sponsa vocari; hæc primæ Matris damnâ resolvit, hæc homini perditæ redemptionem adduxit.
 Ex libro autem de Agone Christiano sequentia: Dominus JESUS CHRISTUS, qui ve-
 nerat ad homines liberandos, in quibus & Mares & femina pertinent ad Salutem, nec mares
 fastidivit, quia Marem suscepit, nec feminas, quia de Fæminâ natus est. Huc magnum accedit
 Sacramentum, ut quia per Fæminam Mors nobis acciderat, Vita nobis per Fæminam nasceretur,
 ut de utraq. natura, id est, feminina & masculina, victus cruciaretur diabolus, quoniam de
 ambarum subversione letabatur; cui parum fuerat ad pœnam, si ambe in nobis liberarentur
 nature, nisi etiam per ambas liberaremur. In allegatione septimâ respondet ad authori-
 tates Scripturæ, testimoniis Patrum firmatas, quas contra immaculatam Beatæ Virginis
 conceptionem ab Adversario oppositas exhibet. Prima fuit oraculum Pauli, quo om-
 nes peccavisse homines dicuntur, hæc cum Augustini ex libro de quinque blasphemis
 explicatione: Peccatum protoplasti omnes trahimus, non morum imitatione, sed seminis
 conceptione, & peccatum ejus non solum ipsum, sed omne nocuit genus humanum, cum ejus da-
 mnationem simul & culpam suscepimus, quod Vas electionis probavit, cum dixit, omnes pec-
 caverunt, &c. Dicendo, omnes, nullum excepit. Et ex capite primo libri de Naturâ &
 Gratiâ: Quicumq. non putantur pertinere ad hos homines, qui peccaverunt & egent gloria
 DEI, profecto nullam habent necessitatem, ut fiant Christiani, quia non opus est sanis Medicus,
 sed aegrotantibus; unde non venit ille justos vocare, sed peccatores. Secunda autoritas pro-
 ponit ejusdem Apostoli oraculum, quo peccatum per unum hominem in hunc Mundum
 intravisse legitur, hæc cum Augustini ex cap. post vicesimū sexto Enchiridii expositione:

- Rom. 7. Adam post peccatum exule effectus stirpem quoque suam, quam peccando in se tanquam in radice vitiauerat, pœnâ Mortis & damnatione obstrinxit, ut quicquid prolis ex illo, & simul damnatâ, per quam peccaverat, Coniuge per carnalem concupiscentiam, in quâ inobediencia pœna similis retributa est, nasceretur, originale traheret peccatum, quo traheretur per errores doloresq; diversos ad extremum illud cum desertoribus Angelis, vitiatoribus & possessoribus & consortibus suis, sine fine Supplicium. Tertia autoritas ex eodem est loco, quo per unius delictum in omnes homines in condemnationem docetur ab Apollonio processum, hac cum Augustini ex Epistola ad Opratum illustratione: *Fides Christiana in eo vel maximè consistit, quod per hominem Mors, & per hominem Resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vi uisicabuntur &c. Et si quæ alia declarant testimonia, neminem nasci ex Adamo, nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminemque liberari inde, nisi renascendo per Christum. Illud tenere debemus tam inconcusse, ut sciamus, eum, qui hoc negaverit, nullo modo ad Christi fidem, & ad eam, quæ per Christum datur pusillis & magnis, Dei gratiam pertinere. Ad quintam autoritatem,*
- Matth. 9. Christi oraculo nixam, Non est opus valentibus, sed malè habentibus Medicus, sequentia Augustini ex Tractatu parvo, de Verbis Apostoli, Fidelis Sermo & omni acceptione dignus &c. laudantur: *Qui dicit, Ego non sum peccator, vel non fui, ingratus est Salvatoris, nullus (quippe) hominum in illâ, quæ ab Adamo fuit, mortali massa, nullus omnino hominum non agrotus, nullus sine Christi gratiâ sanus. Nemo vobis alienas & falsas insinuat doctrinas, hoc Ecclesia semper habuit & tenuit, hoc Majorum fide percepit, hoc usq; in finem perseveranter custodit; quoniam non est opus sanis Medicus, sed agrotantibus. Ad nonam & ultimam autoritatem, Oraculo Pauli fultam, Unus pro omnibus est mortuus &c. Augustinus ex sexto contra Pelagium libro commendatur, ex hoc & alio ex Epistola ad Romanos capite quinto, quod Sententiam huic parallelam continet, contra Julianum demonstrans, omnes parvulos contrahere peccatum originale. Autoritates has sequuntur novem media rationum contra immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem, in quibus talem non semel Augustini mentio occurrit. Ad primum hæc Eius verba ex secundo de Fide ad Petrum libro referuntur: *Licet caro Christi & omnium hominum unius ejusdemque sit natura, hæc tamen, quam Deus Verbum ex Mariâ Virgine sibi unire dignatus est, sine peccato concepta, sine peccato nata est, ut potè secundum quam Deus æternus & misericorditer Iustus & conceptus & natus est. Et ex eodem: Solus abstulit peccatum conceptionis atque natiuitatis humane Vnigenitus Dei, qui dum conciperetur, veritatem Carnis accepit ex Virgine, & cum nasceretur, integritatem Virginitatis servavit in Matre. Iterùm exinde: Firmissime tene, & nullatenus dubita, omnem hominem, qui per concubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum mortique subjectum, & ob hoc naturâ filium ire, à quâ nullus liberatur, nisi per fidem Mediatoris Dei & hominum, Hominis IESU Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus, peccatum pro nobis factus est, id est, Sacrificium pro peccatis nostris. Ad medium secundum ex secundo Eius de Baptismo parvulorum libro hæc citantur: *Solus ille homo factus manens Deus peccatum non habuit, nec adsumsit carnem peccati, quamvis de maternâ carne peccati. Et ex decimo super Genesim ad literam libro: Non est consequens, ut per Adami inobedientiam etiam Christus ipsi constituatur peccator, per cuius unius obedientiam liberati ab illo reatu iusti constituentur multi. Et quid incoquinatius illo Virginis utero, cuius Caro etiam si venit de propagine peccati, non tamen de peccati propagine concepit &c. Et iterùm: Christi corpus, quamvis in carne Fœmina adsumtum est, quæ de carnis peccati propagine fuerat concepta; tamen quia non sic in eâ conceptum est, quomodo illa fuerat concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Item in eodem: Cum sit in semine & visibili corpulentia & in visibili ratio, utrumq; concurrat ex Abrahamo, vel ex ipso etiam Adamo usque ad corpus Mariæ, quæ & ipsum eodem modo conceptum & exortum est; Christus verò visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumsit, ratio autem conceptionis Eius non à semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Iterùm ibidem: *Quamvis nullius hominis anima sit in Patris sui lumbis, tamen secundum carnem in lumbis Abrahæ dicimus constitutum Levi decimatum, & ibi constitutum secundum carnem non decimatum Christum; secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, quâ ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundum quam rationem non erat ibi caro Christi, quamvis secundum ipsam ibi fuerit caro Mariæ. Et in Psalmum trigessimum quartum: *Mariæ ex Adamo mortua est propter peccatum, Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Mariâ Virgine mortua est propter delenda peccata. Ad medium sextum sequentia laudantur Zolimi, Ponit-*****

Pontificis Romani verba, quae Augustinus Epistolae ad Optatum quasi ex sua mente scripta inseruit: *Fidelis Dominus, in verbis suis, ejusque Baptismus re ac verbis, id est, opere, confessione & remissione peccatorum, verè à in omni Sexu, et aetate, conditione generis humani eandem tenet plenitudinem.* Nullus enim, nisi qui servus peccati est, liber efficitur; nec dici potest redemptus, nisi qui verè per peccatum antè fuerit captivus, sicut est scriptum, si vos liberaverit Filius, verè eritis liberi. *Per Ipsum enim renascimur spiritualiter, per Ipsum crucifigimur Mundo, ipsius morte Mortis ab Adamo omnibus nobis introductæ atq; transmissæ, illud propagatione contractum universæ animæ chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum ante, quàm liberetur per Baptismum, non obnoxius tenetur.* Ad medium novum & ultimum ex libro Eius de Naturâ & Gratiâ hæc habentur: *Cum aliquoties in Scripturis inveniatur, homines esse dictos sine querelâ, non tamen invenitur, quod dictus sit sine peccato, nisi unus solus, de quo dictum est apertè, Eum, qui non noverat peccatum &c. Etenim expertus est omnia secundum Similitudinem absq; peccato in carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quamvis non esset caro peccati; quam tamen non haberet similitudinem, nisi cætera caro omnis esset caro peccati.* Jam in responsione ad hæc Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum contra immaculatam Beatæ Virginis conceptionem testimonia laudatus Concilii Basileensis Informator, præter generalia quædam illud etiam urget in specie, quod Bellarminus paulò ante ad tertium ex Augustino testimonium notasse vidimus, nimirum posse intelligi, homini peccata dimitti, etiamsi ea non commiserit. Additur ad hoc, inquit Segovia, ex doctrinâ Salvatoris, capite septimo Lucæ, & Augustini super eadem Homiliâ post vicesimam tertiâ: *Hic multa commisit & multorum debitor factus est; ille Deo gubernante commisit pauca.* Cui deputat ille, quod commisit; huic & iste deputat, quod non commisit. *Adulter non fuisti in illa vitâ tuâ præterita, plena ignorantia nondum illuminatus, nondum discernens bonum malumq;, nondum credens in illum, qui te regebat nescientem.* Hoc tibi dicit Deus: *Regebam te mihi, servabam te mihi; ut adulterium non committeres, suator defuit; ut suator deesset, Ego feci; locus & tempus defuit; & ut hæc decissent, Ego feci.* Adfuit suator, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentiret, Ego terrui. *Agnosce ergò Gratiam ejus, cui debes & quod non admististi. Mihi deberis, quod factum est, & dimissum vidisti; mihi debes & tu, quod non admististi.* *Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit Receptor, à quo factus est homo.* Post hæc & alia respondet porro & observat Defensor Immaculatæ Conceptionis, esse aliquem à peccato immunem ex Gratiâ Dei secundum Augustini doctrinam, verbis sequentibus: *Pro responsione ad auctoritatem Augustini de Naturâ & Gratiâ & alias multas, quæ ex adverso generaliter contra hanc Doctrinam allegantur, quasi dicere velit, quod Doctrina hæc, quia adserit, in Beatissimâ Virgine nihil culpæ aut peccati fuisse, idè contra ipsam militent prædictæ aut similes intentiones; attendendum est, quod tempore Augustini contra Gratiam Dei insurrexerint Juliana & Pelagiana hæreses, quæ; ut ex Sententiâ Augustini refert Magister, sic adserbant, in tantum extollentes arbitrium voluntatis, ut Gratiæ Dei locum non relinquerent, dicendo, quod sine Gratiâ posset homo Divina implere mandata & æternam obtinere Vitam; nec oporteat, quod Ecclesia porrigeret Orationes pro infidelibus aut peccatoribus, ut convertantur, siue ut piis augeatur Gratia, quia absque Gratiâ auxilio quocumque ex solâ virtute naturæ & arbitrii libertate poterant converti, si vellent; adserbant etiam, parvulos omnes sine ullo peccati vinculo nasci.* Adversus hujusmodi hæreses Fidei pietatem destruentes Augustinus in multis suarum Doctrinarum locis arguit vehementissimè, & specialiter in libro (vel opere) contra Julianum, & in isto de Naturâ & Gratiâ. In hoc autem libro declarat intentionem suam, dicens, *quod sua disceptatio adversus eos non sit super hoc, quasi reputetur impossibile, hominem siue naturam humanam sine aliquo esse peccato, sed super hoc, cujus auxilio hoc possibile sit, videlicet, Naturæ & (vel) Gratiæ?* Etenim si consentiant ipsi, quod auxilio Gratiæ Dei hoc sit possibile, dicitur, quod jam pax sit inter ipsos. Nam sicut ipsi opponunt se, dicendo, velle se Naturam defendere; ita & Augustinus in defendendo Gratiam. Equidem Deus simul est Creator & Salvator. Undè in capite vicesimo in vehit contra eos, dicens, *Qui in Naturâ justificamini, à Gratiâ excidistis.* De hæc Augustini intentione habetur capite post vicesimum primo libri de Naturâ & Gratiâ, dicit enim sic in „Adversarii persona: In ipsa non peccandi possibilitate contendit, in qua nec nos adversus Eum certare opus est. Nam neque illud nimis curo, utrum fuerint hic aliqui, vel „sunt, vel esse possint, qui perfectam, cui nihil esset addendum, habuerint, vel habeant, „vel habituri sint charitatem Dei, ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimaque

Pag. 299

conf.
P. 489.
& seqq.
Lib. II.
distinct.
28. & 30.

Justitia, quoniam id, quod voluntate hominis per Dei gratiam adjutâ fieri posse con-
 fiteor & defendo, quando, vel ubi, vel in quo fiat, nimium certare non debeo; neque
 de ipsâ possibilitate contendo, cum sanctâ & adjutâ hominis voluntate possibilitas ipsa
 simul cum effectu in Sanctis, proveniat, dum Charitas Dei, quantum plenissimè Natu-
 ra nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum
 Sanctum, qui datus est nobis. Melius itaque Dei causa agitur, quàm se Ille agendo di-
 cit defendere Naturam. *Item capite post quinquagesimum octavo:* Proinde si rectè senti-
 mus, sicut pro membris sanatis agere gratias, ita pro sanandis orare debemus, ut abso-
 lutissimâ, cui nihil possit addi, Sanitate perfruamur perfectâ Dei suavitate, plenâ liber-
 tate. Non enim abnuimus, humanam naturam esse posse sine peccato, aut ullo modo
 negare debemus perfici posse, quam perficere non negamus; sed gratiâ Dei per Domi-
 num nostrum Jesum Christum eo adjuvante fieri dicimus, ut justa sit & beata, à quo
 creata est, ut sit. *Item capite sequenti:* Quod verò contra eos disputant, qui dicunt: Et quis
 nolit sine peccato esse, si hoc in hominis potestate esset positum? Rectè quidem dispu-
 tant, hoc ipsum eos confiteri, impossibile non esse, quia hoc vel multi, vel omnes vo-
 lunt. Sed hoc undè sit possibile, confiteantur, & pax est. Ipsa est enim Gratiâ Dei per
 Dominum nostrum Jesum Christum. Ipsa natura Dei Gratiâ per Dominum nostrum
 Jesum Christum vel sanatur, quia est viciata, vel quia sibi non sufficit, adjuvatur. Utrum
 enim in hoc Seculo fuerit, vel sit, vel esse possit aliquis ita vivens justè, ut nullum habe-
 at omninò peccatum; potest esse aliqua Quæstio inter veros piosque Christianos. Possit
 tamen esse, post hanc certè Vitam, quisquis ambigit, desipit. Sed Ego nec de istâ volo
 contendere Vitâ. Addit Concilii Basileensis Informatior: *Ex his patet clarè de Augustini*
intentione, quod disceptatio sua principaliter esset super abnegatione Gratiæ, non autem
 super immunitate peccati, dummodò hoc non virtuti Naturæ, sed Divinæ Gratiæ dono
 attribueretur. Undè, quia hæc Doctrina adserit, Immunitatem Originalis peccati fuisse
 in Beatissimâ Virgine, non virtute quidem Naturæ, sed dono gratiæ singularissimo; hu-
 jusmodi auctoritates Augustini generales contra eam non militant. Et quidem Iplemet
 dicit, penes se nullum esse dubium, quin in hac vita ex auxilio Gratiæ Dei possit homo
 esse à peccato immunis. Quod autem illi conabantur defendere hæretici, videlicet vir-
 tutem & sanitatem Naturæ, doctrina hæc maximè redarguit; confitetur enim juxta Sen-
 tentiam Augustini allegatam ex adverso, quod nullus sine Gratiâ Christi sit sanus, & ideo
 dicit, quod ex modo suæ Conceptionis communi cum omnibus aliis propter corruptio-
 nem Naturæ humanæ, quæ inoleverit ex penâ primi peccati, necessitas intuerit Beatis-
 simæ Virgini Mariæ culpam contrahendi originale, sed auxilio Divinæ Gratiæ præve-
 nientis non contraxerit. De hoc autem Divinæ Gratiæ auxilio, quod tuere specialius in
 Beatissima Virgine, quàm in aliis, quantum rationabile sit adserere, quæ supra tuere ab-
 undantius commemorata, satis demonstrant; nec si non contraxit, ideo non inde dicitur
 eguisse auxilio Gratiæ, imò hoc eidem suffragante non peccavit. *Pluribus interpositis:* Ad
 pag. 307. **AUTHORITATEM EX ENCHIRIDIO ALLEGATAM,** super hoc, quod peccatum Adami
 non solum ipsum, sed omne infecerit humanum genus, cum sit de illis, quæ loquuntur
 universaliter, non faciendò mentionem de Beatissima Virgine, differtur responso ad o-
 ctavum usq; medium, ibi enim declarabitur de hujusmodi Propositionum universalita-
 te. **SED CUM DICIT,** quod, quia Adamus stirpem suam pena Mortis & damnationis ob-
 strinxit, aut quod omne nocuit genus humanum; negatur illatio, quod eodem modo
 dicatur comprehendi omne suppositum generis humani. Ratio autem negationis nota
 esse creditur ex superioribus, Christus namque est suppositum generis humani. *Adver-*
tiam ex scripturâ auctoritatem, Augustini auctoritate illustratam hæc inter alia notantur: Di-
 Rom. 5. citur, quod, ut docet Augustinus libro de Natura & Gratiâ, per hoc, quod Apostolus di-
 cit, Sicut per unius delictum in omnes homines &c. non sit intelligendum, quod omnes
 homines per Gratiâ Christi sint justificati, sed, quod sicut omnes, qui sunt justificati,
 sint justificati per Gratiâ Christi; sic omnes, qui sunt condemnati, fuerint condemnati,
 non alterius, quàm ex delicto primi Parentis, ita ut, sicut nullus est justificatus, nisi per
 Gratiâ Christi, ita nemo condemnatus est, nisi per delictum illius, primi nimirum Pa-
 rentis. Sermo est de condemnatione non aliter acceptâ, quàm loquitur Apostolus in
 præsentia auctoritate. Et secundum istam Augustini intelligentiam, quam Ipse hic & aliis
 pluribus locis Operum suorum ad istam & similes multas Auctoritates universaliter de-
 cludat. *Aliquibus iterum interjectis:* Porro dicitur, quod Augustini auctoritas ex Epistola
 ad

ad Opratum super hoc inducta viam aperiat huic responsioni. Dicit enim, quod incon-
 cussè debeamus tenere, neminem nasci ex Adamo, nisi vinculo delicti obstrictum: ne-
 minemque liberari indè, nisi renascatur per Christum. Undè adparet, quod loquatur
 de lege communi; nam plures fuerunt ab hoc liberati, sanctificati in Utero ante, quàm in
 Baptilmo renascerentur per Christum. Sicut ergò hoc secundum dicit pertinere ad Fi-
 dem, loquendo de Lege communi, & non excludendo singularis privilegii gratiam; (a-
 liàs Augustinus in hoc non fideliter loqui videretur,) ita & præcedens potest intelligi,
 quod loquatur de Lege communi. Et hoc sic esse de Lege communi verum, doctrina
 hæc de S. Conceptione Virginis Beatissimæ infallibiliter confitetur. *Ad quintam auctori-
 tatem ita scribit:* Dicitur, quod Beatissimæ Virgini opus fuerit Medico, & maximè opus.
 Equidem, si fas est dicere, plus indiget Medico, qui ex necessitate Naturæ infirmabilis
 est, & ab infirmitate, ne unquam incurrat, curatur, quàm qui liberatur. Illi enim necessa-
 ria est omni tempore adfistentia Medici, ut præservare doceat à contrariis Sanitati; huic
 autem adfistere consuevit modico tempore, videlicet, usquequò ab infirmitate curatur.
 Undè magni Principes, & alii, qui possunt, continuò quasi habent propè se Medicos, ut
 ipsorum auxilio præservati, rarius aut nunquam infirmitates curabiles incurrant. Nec
 ut allegabatur ex auctoritate Augustini, Beatissima Virgo Maria esset ex hoc ingrata
 Salvatori, quin imò præ aliis omnibus grata, quia maximo Sanitatis beneficio potita,
 prout de hoc Proposito plenius fuit supra deductum. Unum verò ex hæc Augustini auctori-
 tate attendendum est: Nullus omninò hominum non ægrotus, nullus sine Christi
 gratiâ sanus. Itaque ex intentione ipsius est, quod qui non est sanus Dei gratiâ, ille sit æ-
 grotus: dicere autem, aliquem semper fuisse sanum gratiâ Christi, non repugnat huic,
 quod absque illâ omnis homo sit ægrotus. Hæc verò doctrina confitetur, Beatissimam
 Virginem semper fuisse sanam, non aliâ, quàm ex Dei gratiâ. Undè in hoc non com-
 putatur inter illas doctrinas, quas Augustinus vocat alienas & fallas, ut ex adverso præ-
 tenditur; sed potius, ut in primâ Allegatione dictum est, Matrem Dei Sanctam esse &
 Immaculatam, Ecclesia semper tenuit, ac majori Fide percepit, & hoc usque in finem
 perleveranter custodiet. *Ad nonam & ultimam Scripturam & ei conjunctam Augustini auctori-
 tatem hæc iterum inter alia habet:* Primò interrogandum esset, ubi adversa Positio speci-
 ficè legerit, quod Christus pro Virgine Matre sua tanquam pro Peccatrice fuerit mor-
 tuus? Quantum enim est de allegatis, in omnibus nõ reperitur. *Deinde* dicitur, quod cum
 sub illa generalitate, qua dicitur, omnes homines esse peccatores, Augustinus jam semel
 fuerit professus Virginem non comprehendendi sub hac deductione, nec fuerit de Ejus
 intentione, Beatissimam Virginem debere intelligi peccatricem. Est, quod Augusti-
 nus multas adducat auctoritates de Peccato Originali, principaliter tamen se refert ad
 illam: *Omnes in Adamo peccaverunt.* Undè si rationabiliter ab hac generalitate intelligitur
 exceptam fuisse Virginem Beatissimam, prout jam constat ex dictis; simili modo intel-
 ligenda erit hæc exceptio ab omnibus Auctoritatibus, quæ generaliter in S. Scriptura de
 Originali Peccato loquuntur, eadem namque ratio militat in omnibus. *Sequuntur nunc
 media rationum, Augustini ut plurimum auctoritate firmatarum, ad quæ Concilii Basileensis
 Informator itidem respondere tentat. Et quidem ad primum post aliquam in genere, ita in specie ad
 Augustini testimonia scribit:* Augustinus quia non fecit mentionem de dono Gratia Divi-
 na, ideo simpliciter dixit, quod, quia sine libidine non est Parentum concubitus, ideo
 filiorum exindè nascentium non possit esse sine peccato conceptus. Ista tamen duo non
 contradicunt, Genitus ex libidine non potest concipi absque peccato originali, & Geni-
 tus ex libidine cum auxilio Divina Gratia absque originali peccato potest concipi. Ita-
 que doctrina hæc de S. Conceptione Virginis Beatissimæ non repugnat doctrinae Augu-
 stini, quia non virtute Naturæ, quod Augustinus dicit impossibile, sed Operatione Mu-
 neris Divini singularis adferit. Virginem Beatissimam fuisse absque Originali Peccato
 conceptam. *Ad secundum ex eodem libro* patet similiter responsio, siquidem Augustinus
 loquitur de cursu communi, secundum quem omnes per concubitum nascentes origi-
 nale contrahunt peccatum. Non autem ipse dicit expressè, quod Beatissima Virgo, etsi
 hoc modo est concepta, originale contraxerit peccatum. *Ad tertium ex eodem,* Augu-
 stinus manifestè seipsum declarat, quod loquatur de communi lege; aliàs certum est, quod
 non habeat verum. Dicit enim, omnem hominem, qui per concubitum concipitur, na-
 sci cum peccato originali. Constat autem, Johannem Baptistam, Jeremiam & alios, de
 quibus communiter tenemus, quod fuerint in Utero sanctificati, non fuisse natos cum
 Originali Peccato; & sic jam dicendo, omnes, sub hoc Signo universali concluderentur
 etiam

etiam privilegiati, & illud caput, *Firmissimè*, non diceretur Regula Fidei. Idem constat etiam ex adterione contrariâ, Beatissimam Virginem non esse natam cum peccato originali: & cum de ipsâ in hoc passu non fiat exceptio, intelligendum est igitur, quod loquatur, ut dictum est, de Lege communi. Unde sicut in Nativitate autoritas hæc non excludit singularem Gratiâ Privilegii, ita nec in Conceptione. Unum verò ex hæc authoritate excerpitur, quod peccatum sumatur in distrahente satis significatione ab intelligentiâ communiter pro Sacrificio, & secundum hoc caro Sacrificii vocari potest caro peccati, & sic ratio peccati non semper dat intelligi culpam subiecto præinuisse aut inesse. Hæc tamen significatio, quod Sacrificium pro Peccato vocetur peccatum, ex Novo habetur, ac etiam ex V. T. *Insertis iterum non paucis*: Est porrò circa hoc advertendum, quod Augustinus, cum fuerit vehementissimus hæreticorum confutator, quandoque contra aliquem invehebat errorem, ut efficacius improbarer, videbatur aliquando ad alterum Veritatis extremum declinare. Et quidem cum Pelagiani hæretici adfirmarent, parvulos nullum contrahere peccatum originale, Augustinus in tantum execrabatur illorum errorem, quod in pœnâ originalis peccati videatur excedere. Simili modo reperitur etiam in quibusdam aliis operibus, & hoc etiam patet legitimum *Retractionum*, ubi proficitur, se aliquando amplius expressisse ex causâ dicendi. Itaque cum pro tempore suo crebresceret error ille Pelagianorum in loquendo de originali peccato, ut directè illis contradiceret, communiter sub terminis universalibus loquitur, frequenter adhuc non excipiendo Christum. Verum quia in aliquibus excepit, intelligitur sic fuisse intentionem suam. Et ita, ut jam deductum est, intelligi potest de Beatissimâ Virgine, ex quo semel Eam excepit. *Ad medium secundum septem adducit modos, quomodo dicatur de carne peccati, in duobus ultimis respondens ad testimonia Augustini. De sexto hæc habet*: Potest dici caro peccati propter Mortis necessitatem & alias pœnalitates puras in eâ existentes, quæ provenerunt ex primi Parentis peccato. Constat enim quod in S. Scripturâ peccatum sæpè accipitur pro pœnâ peccati; & prout supra declaratum fuit isto modo non competeret Christo, quia pœnalitates in Eo voluntarie fuerunt adsumptæ, sed Beatissimæ Virgini infuerunt ex necessitate Naturæ. Veruntamen Augustinus in autoritate superius adductâ videtur adpropinquare ad istam significationem de corpore Mortis sive peccati, id in Christo fuisse propter Mortem, quæ venit ex peccato Adami, & exemplificando, quomodo effectus aliquando denominatur eodem nomine, quo causa ipsius, dicit, quod verba vocentur Lingua Græcâ aut Lingua Latînâ, (*Nota Lector, hic non ablativum, sed nominativum intelligi debere*;) & Scriptura alicujus dicitur esse manus ipsius, quia per manum ejus est facta. Sic ergò, quod mors Domini dicitur peccatum, quia ex peccato facta est. Ex quâ doctrina adparet manifestè, quod necessitas Mortis sive pœnalitates aliæ, quæ sunt in nobis propter peccatum primi Parentis, dicantur peccatum, quia sunt facta ex peccato; & sic Caro illis ex necessitate subiecta meritiò dicitur caro peccati. Unde ex hoc evidenter adparet responsio ad ultimam partem hujus autoritatis, inductam è contra, quod Maria ex Adamo mortua sit propter peccatum Adæ. Sic etiam supra dictum est, quod quicumque innocens politus in hoc Exilio moriturus esset de necessitate propter peccatum illius, nimirum Adami. Itaque illatio non sequitur, Maria est mortua propter peccatum Adami, ergò contraxit peccatum originale. Patet etiam responsio ad aliam Augustini autoritatem ex libro de *Baptismo parvulorum*. Equidem manifestum est jam, carnem Beatissimæ Virginis posse dici carnem peccati ex necessariâ subiectione pœnalitatum, quamvis nunquam contraxerit Peccatum Originale. Ad hunc etiam sensum potest intelligi autoritas ex opere contra Julianum, (*quod quarto supra loco Bellarminum adduxisse, & ad illud parâsse responsum vidimus*;) constat enim quod multis omnino alia Caro humana dicatur caro peccati, & tamen non sic dicatur de carne Christi. Et sic attendi hoc potest, quod licet in istâ ac in aliis ex adverso inductis autoritatibus mentio fiat de peccato, Virginem nominando, nunquam simpliciter tamen, ut intelligatur culpabilis persona ipsius, vel Anima, sed determinatè duntaxat, referendo se ad Mortem vel ad Carnem. In carne autem est certum non esse peccatum, prout culpa dicitur, ex quo persona dicitur odiosa & obominabilis Deo; quod nunquam fuisse Virginem Beatissimam, vel Ejus animam, hæc doctrina defendit. De carne verò, an, & si fuerit subiecta corruptioni vitiositatis, aut Mortis sive peccati, citra reatum culpæ, non est materia presentis disceptationis, sed de peccato sive culpâ originali, quam qui contrahunt omnes Diabolus incipit quasi vernaculos possidere. *De modo contra medium secundum septimo ita*: Potest dici caro peccati illa, quæ nec dum subiecta est necessitatè & aliis pœnalitatibus puris; sed quæ actu est vel aliquan-

in Plat. 34.

conf. pag. 497.

dō fuit subjecta aliis passionibus vitiosis five ignominiosis, ut fomiti ac concupiscentia
 & similibus, & hoc absq; unquam contractione aliqua peccati originalis, prout supra de-
 claratum extitit. *Ex isto septimo modo* carnem adlumendi evidenter adparet responsio ad
 auctoritatem Augustini super Genesin ad literam, quibus adsertio contraria maximè
 confidebat. *Ad primam*, omisso nunc super illo, & quid incoquinatius &c. patet, quod
 Augustinus hic duo dicat, quæ aliquibus primà facie hujus Doctrinæ videntur contra-
 rari. Primum est, quod caro Virginis Beatissimæ venerit de propagatione peccati. Se-
 cundum, quod corpus Christi non fuerit conceptum per legem concupiscentiæ. Ex pri-
 mo non sequitur intentum Adsertionis contrariæ; stat enim, carnem Virginis venisse de
 propagatione peccati, & animam Ejus five personam nunquam fuisse infectam originali
 culpâ. Sæpè enim dictum est, quod illa caro poterat dici caro peccati, quia in ipsâ juxta
 multorum Sententiam erat vis transfusiva originalis peccati, quæ carnem potuit contin-
 gere, nunquam transfundi. Multo minus sequitur ex secundo, Christus non fuit conce-
 ptus per legem concupiscentiæ, ergo Beatissima Virgo contraxit originale peccatum;
 connexio enim, quam fecit Augustinus, id non dicit. Sed esto, quod diceret, etiam non
 inest jure inter illa habitudo necessitatis; potuit enim esse in Virgine vel in Ejus carne lex
 fomitis & concupiscentiæ, & tamen nunquam originale peccatum. *Similiter patet respon-
 sio ad secundam.* Nam quod caro Beatissimæ Virginis alio fuerit concepta modo, quam
 Christi caro, non arguit, in eâ fuisse originale peccatum eo ipso. Quod autem dicat,
 Christum non accepisse reatum moriendi, & ex hoc præsupponat, (quod tamen Autho-
 ritas non dicit,) hunc moriendi reatum fuisse in Virgine, undè concludit, quia hic reatus
 propriè dicitur peccatum originale, ergo sequitur, quod Virgo fuerit concepta in origi-
 nali peccato; jam supra patuit, quanta sit differentia inter necessitatem moriendi & ori-
 ginale peccatum. Cum enim hæc fuerit in Christo, si propriè dicitur unum, alterum in-
 ferretur. Ergo de ipso decet potius hoc intelligere juxta Augustini Sententiam supra po-
 sitam, quod peccatum primi Parentis & reatus moriendi in omnibus filiis consideretur in Pal 41.
 ut causa & effectus. Ex his potest quisquam intelligere, quantam habeat evidentiam,
 quod ex his auctoritatibus prætendebat Adsertio contraria, videlicet, quod pro regulâ
 infallibili esset hoc habendum in omnibus Augustini operibus, semper debere intelli-
 gendam esse Virginem in universalibus Augustini propositionibus de materiâ origina-
 lis peccati loquentibus; poterat enim intelligi in illis, quæ loquuntur de pœnâ originalis
 peccati, prout intelligitur primi Parentis. Sed in his, quæ de culpâ, hoc non dicit in præ-
 senti, &c, quod amplius, ut jam patuit, nec ex dictis Ejus sequitur necessariò. *Ad tertiam
 auctoritatem* levior est responsio. Dicit enim, quod Virgo concepta sit modo communi
 propagationis humanæ, quia descendit ex Abrahamo secundum substantiam corpulentam
 & secundum rationem feminalem; Christus autem fuit conceptus miraculose, quia
 solum descendit ab Eo secundum substantiam corpulentam. Hoc autem nullus negat, &
 attendendum, quod in omnibus his Augustini auctoritatibus id videatur solum aut prin-
 cipaliter intendi, quod differens modus sit conceptionis Beatæ Virginis & aliorum à mo-
 do, quo Christus fuit conceptus. Si verò nunc instetur dicendo, quod Augustinus hic in-
 tenderit de peccato originali, ac ex intentione suâ fuisse, quod ad Virginem aliquandò
 pertineat originale peccatum aliquo modo; dicendum est, quod, ad aliquem pertinere
 peccatum originale, possit intelligi quadrupliciter, vel primò quantum ad reatum & con-
 trahendi modum, & sic pertinet ad omnes ex Abrahamo feminaliter descendentes; aut
 secundo, nec quantum ad reatum nec contrahendi modum, sic refertur ad Christum, si-
 quidem in Ipso nec fuit culpæ reatus, & contrahendi modus suæ Conceptionis de lege
 communi repugnat contractioni originalis peccati; vel tertio, pertinere dicitur quantum
 ad reatum, sed non contrahendi modum, & sic pertinet ad primum hominem, in quo fuit
 reatus culpæ, sed non modus contractionis; vel quarto quantum ad contrahendi modum,
 sed non quantum ad culpæ reatum, & sic intelligendo sanè posset dici pertinere ad Beatis-
 simam Virginem, suus etenim modus conceptionis erat modus contrahendi peccatū o-
 riginale, nisi subvenisset Virtus divina cū singulari dono Gratia, præveniendò contra-
 ctionem originalis culpæ. Et de isto pertinenti modo omnes possent intelligi hic adductæ
 Auctoritates, hoc enim significari videtur in omnibus, quod modus conceptionis Ejus
 fuerit velut contrahentium originale peccatū, quod illud tamen contraxerit, non neces-
 sariò sequitur. Ad hunc etiam tendit sensum sequens auctoritas Augustini, quæ facit men-
 tionem de lumbis Abraham. Multorum enim est vitiosa origo, & tamen ex hoc ipsi non
 censentur culpabiles, quemadmodum contingit filiis ex adulterio vel alio quovis coitu
 damna-

damnato genitis. Aliud est nimirum, per vitiatam exivisse originē, aliud autem, vitiatam in se culpabiliter esse. *Pergit Concilii Basileensis Informator*: Unum adhuc avilamentum vel Monitum pro responsione ad hujusmodi auctoritates Augustini de libro super Genesim ad litteram, quod Ipsemet attendi voluit, est commemorandum, videlicet, inter alios suos Doctrinæ libros istum non esse auctoritatis tantæ, sic enim dicit in libro retractationum: Titulus horum librorum inscribitur de Genesi ad litteram, id est, non secundum significationes allegoricas, sed secundum proprietates rerum gestarum; in quo opere plura quaesita, quam inventa sunt, & eorum, quæ inventa, pauciora sunt firmata, cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint. Aliud etiam est commemorandū, quod post compositos hosce de Genesi ad litteram libros Augustinus librum ediderit de *Naturâ & Gratiâ*, in quo profiteretur, cum de peccatis agitur, nullam prorsus de Beatissima Virgine propter Domini honorem velle fieri quaestionem. Unde ex hoc patet, quomodo contrariæ Adversionis illatio procedat, quæ dicit, verba Augustini in hoc libro (vel opere) de Genesi ad litteram polita debere teneri pro regulâ infallibili, ut Virgo cõprehendatur sub omnibus locutionibus universalibus in suis quibuscunq; libris, ubi de peccato loquitur originali. Ecce enim, hic Augustin. dicit, quod ubi de peccatis agitur, nullam velit de ipsâ haberi quaestionem, quodque in hoc de Genesi ad litteram libro vel opere pauciora sint in veta, quam quaesita, & de his pauciora sunt formata; & tamē ex adverso dicitur, quod pro regulâ infallibili sit tenendum. Credendū est ipsi potius Authori operum, profitemi, quod in materiâ de peccatis nullam velit haberi quaestionem de Beatâ Virgine. *Continuat porro responsum verbis sequentibus*: Nunc datâ responsione ad præmissas auctoritates Augustini, per modū considerationis aliud se dicendū offert super illo primæ auctoritatis verbo, *Et quid incoquinatus illo Virginis utero?* Videtur enim hic dicendum, quod sub Deo non fuerit quidquā immaculatus sacratissimo Virginis utero, dicit enim Augustinus, quod illo nihil incoquinatus, ex hoc autem manifeste sequi videtur, quod Beatissima Virgo non contraxerit originale peccatū. Nam si contraxisse dicatur, tunc aliquid reperiretur incoquinatus, illud videl. & pro tēpore eo, in quo nulla fuit macula. Et sic primò Angelus diceretur, simpliciter incoquinatior sive purior, quia in eo nulla tunc fuit macula culpabilis; tertio primus homo, cui pro tempore Status Innocentiæ nullū adfuit inquinamentū; quarto eadem ratione prima Mulier. Cum ergo dicatur, quod nihil incoquinatus beatissima Virgine, oportet intelligi eam immunem ab omni maculâ originali pro tempore quocunq; alias juxta doctrinâ Thomæ non diceretur Angelos excedere in puritate. Super quo, cum in Angelis tanta intelligatur puritas, quod nunquam fuerit in eis macula, intelligendum se obiter, quomodo sit verum, quod excedat Angelos in puritate, ut sic intelligere possimus, quod nihil sit Illius utero incoquinatus. *Hoc ubi prolixissime conatus est demonstrare, post multa etandē concludit*: Ex præmissis manifestè potest patere cuilibet intuenti, quod auctoritates August. de Gen. ad lit. non probent contrariæ Adversionis intentū, vid. orig. peccatū fuisse unquā in Virg. Beatiss. Imò quia August. dicit, quod nihil incoquinatus sit illo Virg. utero, sequi videtur, quod Illius puritas fuerit major, quam Angelorū, & per consequens, quod nunquā fuerit in Evâ peccat. orig. Unde jam constat evidenter, quod huic doctrinæ non obstat idem de carne peccati mediū. *Ad mediū sequens 31um et si laudata ex August. resp. superius non fuerint attentæ, ex eodē de Gen. ad lit. opere desumpta, quia nullâ B. Virg. in specie vel individuū faciunt mentionē, dum tamen Magister Sententiarū fuit ab adversariâ parte productus, ad August. auctorit. ex libro de Natur. & Grat. provocans, quid Concilii Basile. Inform. de constitutione censuerit, videamus. Ita autē scribit*: August. auctoritatē ex libro de Nat. & Grat. quæ dicit, quod, cum de peccatis agitur, nullam prorsus propter honorem Dni. de Mariâ velit haberi quaestionem; Magist. dicit intelligendâ esse post conceptionem Filii; itaq; dat intelligi manifestè, quod primò fuerit in peccatis. Et cum August. dicat absolute, nullam de peccatis haberi quaestionem Respectu Virg. Beatiss. non determinando tempus aliquod, imò dicat, quod Beatiss. Virgo singulari gratiâ sit præventa atq; repleta; mag. hic subtrahit annos 12. sicut doctrina ex adverso excipit instans imum, ita ut Adversio contrariæ & Magister Sententiarū in hâc materiâ de Innocentiâ Matris Dei odiū amplificent & restrinant favores, quod inter absurdiss. humano cõputatur iudicio. Propterea ex adverso doctrina dicit, hanc Auctorit. non posse intelligi de peccato orig. *Quantū ad hoc, oppositū manifestè patet prædictum de Naturâ & Gratiâ librum considerant. Hoc autem sic allegare generaliter remittendo ad librum, sufficere credebatur. Verum quia Adversio contraria de hoc libro quædam ad suum allegat intentum; ut videatur, quod de intentione Augustini fuerit loqui etiam de peccato originali, necessitas compellit, quæ circa ipsius Augustini propositū & pro hâc doctrinâ faciunt, allegare. In hunc finem vbi plurima ex hoc libro collegit, hæc subjunxit*: Generaliter prædictum intuentes librum, transiunt etiam facile

pag. 329.

facile possunt videre, intentionem Augustini fuisse, arguere contra illos, qui adferebant Naturam humanam non esse vitiatam aut infirmam, sed per se sanam, & non indigere Medicinâ Salvatoris. Itaque principaliter de peccato originali loquitur, quàm de actuali. Patet etiam ex titulo libri. Ut enim fuit dictum ex aduerso, peccatum originale dicitur peccatum naturæ, actuale autem personæ; Augustinus verò librum intitulat non de personâ & gratiâ, quasi principaliter de actuali tractet peccato, sed de *Naturâ & Gratia*, ut de vitio naturæ intelligatur præmaximè loqui. Equidem est de naturâ peccato primi hominis vitiatâ, & Christi gratiâ ipsam sanante. Undè ex hoc adparet, quàm rationabiliter supra in *Allegatione tertiâ* inferebatur, quod, cum hoc libro, in quo quâsi præ omnibus aliis Augustinus nititur ostendere, omnes sub peccato esse inclusos, singularem hanc de beatissimâ Virgine faciat exceptionem, quod non sit intentionis suæ eam comprehendi sub quibuscunque universalibus in materiâ de peccato propositionibus. Et licet, prout ex aduerso exponebatur, Augustinus non dixisset universaliter, *Si omnes sancti & sanctæ congregarentur*, &c. Sed de illis, quos ante commemoraverat, patet manifestè, quod loquatur universaliter. Nam cum illic commemorati fuissent tam sancti, quod reputabantur Innocentes, & hic Augustinus comprehendit sub peccato; quid de omnibus aliis dixisset, nisi quod de istis, puta, omnibus aliis reputatis singulariter sanctis? Ex præmissis jam manifestè patet, quod non ab anno duodecimo, ut Magister in literâ dicit, sed simpliciter de beatissimâ Virgine, cum agitur de peccatis, nullam fieri deceat quæstionem. Et quia quæstio est dubitabilis propositio, adparet amplius, videlicet, quod Augustinus voluerit, nec esse dubium aliquod, beatissimam Virginem non includi sub peccato. Quod vero ad confirmationem sensus sui objicitur ex aduerso, hanc Augustini exceptionem intelligi solum de actuali peccato, ex eo, quod dicitur, *ad vincendum ex omni parte peccatum*, quia (non originale, sed) actualia, quæ in potestate sunt nostrâ, vincuntur; manifestum est, quod ex dicto Augustini verbo non mediocriter hæc doctrina de sanctâ conceptione Virginis Mariæ fulciatur, quia datur intelligi, quod nullâ ex parte habuerit peccatum, & sic non ex parte naturæ, quod est originale, nec ex parte personæ, prout est actuale. Nec obstat verbum, *ad vincendum*; nam in S. Scripturâ vincere reperitur attribui, ubi nullus est liberi arbitrii usus, & respectu originalis, non actualis peccati. *Ad medium sextum et si suprâ à omisso fuerit Augustini ex libro de Perfectione justitiæ testimonium, ut porè à Bellarmino & tertio quidem loco adductum, quia tamen sæpe dictus Concilii Basileensis Informator peculiare ad illud responsum exhibet, illud etiam adscribere jurat:* Ad testimonium ex libro de Perfectione Justitiæ, patet, contra quos loquatur Augustinus, videlicet, contra illos, qui impiâ adserunt intentione, posse homines esse, qui sine Mediatore Christo liberante atque salvante liberentur à peccato & salvantur absque redemptoris gratiâ. Hæc autem doctrina de sanctâ conceptione Virginis Beatissimæ eam dicit liberatam, ne peccatum incurreret, non sine Mediatore Christo, sed per ejus singularissimam atque abundantissimam præ omnibus aliis gratiam, ita ut amplius in ipsâ replenderit redemptionis fructus, quàm in aliis quibusdam; quodque illi fuerit opus Medico, quia ipso operante ab eo præservata, quem aliàs ex necessitate naturæ oportebat incurrere morbum. Itaque doctrina hæc non contradicit Augustino, sed est illi conformis. *Prætermittam Augustini auctoritate aliquantò generaliori, cujus ad sextum hoc Medium, sicut & plurimum aliorum Ecclesie Patrum, ex Thoma & laudat à ab eo Concilii quinti determinatione, facta est mentio, quid informatori nostro de testimonio Zosimi Pontificis, ab Augustino in Epistola adoptatum commendato fuerit visum, videamus, qui ita de eo.* Ad testimonium ex Epistola ad optatum dicitur primò, quod Augustinus pag. 342.
ex intentione arguat in eâ contra hæresim Pelagianam, quæ, ut dictum est, negabat gratiam Dei, adferens, homines absque gratiâ posse divina implere mandata, & justos esse, ac æternam mereri vitam; dicebat etiam, parvulos non nasci cum originali peccato. conf. p. 304
Cum autem doctrina hæc adferat, beatissimam Virginem non habuisse peccatum, & fuisse præservatam non ex conditione naturæ, sed ex dono gratiæ singularissimo, nihil commune habet cum hujusmodi condemnatis. *Secundo* dicitur, quod Augustinus in hac epistola faciat mentionem, quod nemo liberetur ab originali peccato, nisi renascendo per Christum in Baptismo: Et hoc idem continetur in epistola Zosimi Papæ; quæ dicit, quod omnis, qui nascitur, sit obnoxius peccato ante quàm liberetur per Baptismum. Undè patet manifestè, quod loquatur de lege communi; nam constat, sanctificatos in utero potuisse liberari à peccato originali ante Baptismum, prout de

aliquibus jam factum esse nulli est in Ecclesiâ dubium. Quod verò Beatissimam attraheret Virginem, utraque confitetur doctrina, quod fuerit ante Baptismum sanctificata; unde si Epistola hæc esset Fides catholica, prout adserbatur cum sentu, qui opponitur, quod debeat intelligi absque omnimoda exceptione, credere, Virginem fuisse in utero sanctificatam, esset hæreticum, imò dicendum esset, quod jam fuisset in peccato per annos quadraginta, quia tot & plures habuisse creditur annos, quando Christus instituit Baptismum. Itaque debet intelligi, quod loquatur de lege communi, & quod non excludat privilegium singulare; & similiter id, quod dicitur, quod dici non possit redemptus, nisi qui per peccatum, verè fuerit captivus ante, si dicat actum, intelligitur jam supra expositum, si verò dicat aptitudinem, posset etiam Virgini competere; nam in aptitudine, imò in necessitate erat, ut sub originali peccato fuisset captiva, nisi ex dono gratiæ fuisset preservata. *Tertio* dicitur, quod doctrina Augustini in hac Epistola non sit multum extendenda. Nam hodiè est certa Fides catholica de eo, quod ipse in dictâ dicit Epistolâ, sine Fidei labe dubitari posse, videlicet, quod animæ rationales non essent à Deo per creationem ex nihilo, sed propagatæ ex animâ parentis primi. Undè dicit, quod nunquam de hac quæstione in suis operibus determinaverit, nec aliud (fortè, aliquid) certum de origine animæ adhuc eo tempore in Canonicis reperierit scripturis, & quod valde dubitet, quæ sit causa animæ subeundi peccatum originale, si anima cujuslibet parvuli nullam ducat originem de animâ peccatrice primi parentis. Et ex hoc patet, quod Augustinus in operibus suis magnam disseruerit esse necessitatem contractionis peccati originalis in omnibus à primo parente propagatis. *Post aliqua*: Equidem gloria & laus sit Deo, non ut tempore Augustini dubium nunc exisset, sed inter certissima Fidei Christianæ hoc certissimum habetur, quod animæ rationales non sint ex traduce de parente primo, sed creentur de nihilo; & jam manifesta est causa contractionis peccati originalis. Esto, quod anima filii tempore contractionis dicatur esse alia à patris anima, in quo plurimum occasionaliter operata est adversa doctrina; nam propter declarandam hanc exceptionem Beatissimæ Virginis à contractione originalis peccati materia de originali peccato à tempore introductæ hujus Controversiæ incomparabiliter crevit & evidentissimâ cognitione. *Iterum post aliqua*: Licet Augustinus dicat, quod ex S. Scripturâ non habeatur sufficiens testimonium, quod animæ sint per creationem; non ex eo sequitur, aliud nunquam fuisse dicendum. Constat enim posterioribus & sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ hoc firmiter credit, super hac quæstione aliud visum fuisse. *Adhuc post aliqua*: Per hæc autem non est intentionis adserere, nostro viventes tempore, esse doctiores antiquis; sed quod multa, imò plura reperiantur in scriptis sequentium Doctorum magis sacrificata & resoluta, quam in quibusdam originalibus antiquorum, sicut dicimus de Glossa Augustini super Epistolas Pauli vel Homiliis Ipsiis & aliorum Doctorum super Evangelis, nec tamen divinus Augustinus Paulo doctiorem, vel sanctos Evangelistæ doctiores. Imò tunc expositores plurimum commendantur, quando adparet, eos attigisse sensum illorum. *Ad medium nonum & ultimum Augustini itidem auctoritate ex libro de Naturâ & Gratia firmatum ita Concilii Basileensis Informator*: Ad auctoritatem Augustini pro parte primâ responsio est manifesta, hæc enim auctoritas capitulo continetur sexto; sed ipse post fecit illam, de quâ pluries supra commemoratum est, exceptionem, quod cum loqueretur de peccatis, nullum prorsus propter honorem Domini de Beatissimâ Virgine vellet fieri mentionem, itaque cum ipsam specialiter exceperit, ex intentione ejus non intelligitur inclusa. Quantum ad partem secundam de carne peccati, jam supra ostensum est, quomodo, etiam si diceretur habuisse carnem peccati, non necessario concludat, ipsam fuisse in peccato originali. *Repetit hæc in sequentibus & addit*: Etsi in scriptis suis Augustinus contrariam firmasset Adserionem, (quod tamen fecit nunquam, imò contrarium suâ expressit doctrinâ) non videtur obstare, quin aliud, quam ipse dixerit, verum esse & declarari, meritò debeat & rationabiliter possit, quando-cunque videatur Ecclesiæ. *Post hæc omnia, ubi præter alia illud etiam adsumpsi demonstrandum*, pro sacre scripturæ zelo licitum esse tueri Beatissimam Virginem à macula originalis peccati, ad sequens Augustini ad Eremitas Monachos provocat testimonium: *Quia genus humanum à corruptione liberandum erat, idè pretium redemptionis esse debuerat incorruptum. Propterea Mater Maria est electa, & super omnes creaturas præelecta, omnibus Gratia fecundata, omni sanctitate*

Et virtute in utero matris repleta, ut de mundiffimâ matre mundiffimus nasceretur filius, & sicut in cælo Patrem habuit æternum & immortalẽ, sic & in terrâ haberet matrem omni corruptione carentem. Igitur in cælo qualis est Pater, talis est filius, & in terra qualis est mater, talis est secundum carnem filius. In cælo cum Patre est immensus, & in terra est cum matre immaculatus. In Avifamento, ut vocat, vel monitis totidem, quæ allegationes sequuntur, & alteram operis faciunt partem, pleraque ferè paucis quibusdam omiffis, iisdem ut plurimum verbis, non sine nausæa quadam repetit, undè nunc cæteris omnibus sepositis ex Avifamento ordine secundo ea tantum videamus septem Augustini de Adfumptione Virginis Beatiffimæ testimonia, ex quibus inferti putavit Concilii Basileensis Informator, quod sancta fuerit illius conceptio. *In hoc sermone, inquit, nimirum de Adfumptione Virginis, Augustinus ponit septem dicta, quæ specialiter pertinent ad materiam præsentem. Primum est, quod ubi scriptura divina nihil commemorat specialiter de Virgine, ibi quarendum sit ratione, quid conveniat veritati, ipsaque veritas fiat autoritas, sine quâ veritate nec est, nec valet autoritas. Sic igitur in præfenti, cum nulla de adfensione contrariâ loquatur autoritas expressè. Secundum est, quod ubi aliquid omnibus est commune, cum illud Beatæ Virgini volumus attribuire, librandum est, an hoc conveniat tantæ sanctitati? Quoniam igitur peccatum originale omnibus est commune, priusquam attribuat eadem, deliberandum est, an ejus conveniat sanctitati? Et constat, quod minimè conveniat, imò evidentè contrariari videtur. Tertium est, quod Virgo excipienda sit à gradibus pœnæ, quibus omnes subjacent mulieres; & hoc propter magnitudinem gratiæ, suæque dignitatis prærogativam. Si igitur Virgo propter magnitudinem gratiæ suæque dignitatis prærogativam excipitur à communibus pœnæ gradibus, quanto magis à damnabili opprobrio culpæ, quæ simul cum gratiâ esse non potest. Quartum, quod ab opprobrio conditionis humanæ, à quo Christus excipitur, rationabile sit, ut Maria excipiat. Equidem multò pejus fuisset Virgini, vel per unicum momentum in originali fuisse peccato, quam corpus ejus resolutum esse in cineres, sicut aliorum hominum corpora. Quintum est, quia non obviat aliqua S. Scripturæ autoritas expressa, credendum est, fuisse glorificationem corporis Virginei. Sic igitur quia non obviat hic autoritas expressa, dicendum est, sanctam fuisse conceptionem Virginis Beatiffimæ. Sextum, quod si nullus Ecclesiæ Doctorum dubitat de potestate Christi, quin potuerit matrem perpetuò incorruptam servare, non est etiam dubitandum, id voluisse, quod ad tantæ dignitatis gratiam pertinet. Simili modo quia nullus dubitat rationabiliter, quin Deus potuerit præservare matrem suam ab originali culpa, non est ergò dubitandum, quin præservaverit; nam hoc pertinet ad maximæ benignitatis gratiam. Septimum & tandem, quod nulla corruptio Mariam sequi debeat, quam tanta perfudit gratia; & sic corruptio originalis peccati non debuit sequi personalem Virginis constitutionem, quemadmodum pœnale de hoc decretum omnes consequitur homines, qui in hoc nascuntur mundo. Concludit autem Augustinus in dicto sermone, quod quia de Beata Virgine Maria matre non potuit sentire, nisi quod pium, justum & sanctum est, non est credendum adferenti contrarium ejus: quod ratio dicitur, convenire dignitati Virginis, nisi ostendat, se super hujusmodi specialem à Deo habuisse revelationem. Ex præmissis manifestè patet juxta doctrinam Augustini, quod licet S. Scriptura illud non dicat, possit tamen Catholicè adferri, Beatam Virginem Mariam regnare cum Christo in corpore & in Anima, ratione illud dictante, quia corpus Virgineum fieri escam vermium non convenit excellentiæ dignitatis suæ & gratiæ; & quia multò plus contrariatur excellentiæ dignitatis suæ & gratiæ, fuisse cum originali culpa, eò quod fuisset ratione hujusmodi aliquandò digna summo opprobrio, quod nullatenus condecuit futuram Dei matrem. Ergò à simili arguendo, imò à fortiori, multò amplius licebit adferere, Beatam Virginem nunquam fuisse conceptam in originali culpâ, quia sic percipere docet evidentia rationis, siquidem non minus ipsam decet virtus innocentix, quam glorificatio corporis; quia si corpus ejus non debuit esse esca vermium, nec ipsa dæmonum ancilla. Item quia incineratio est corruptio partis, sed peccatum originale totius personæ; item quia hæc culpabilis, illa minimè; denique altera ex conditione naturæ, sed alia ex divina maledictione, multa in se opprobria continente. Vnum adhuc restat Augustini testimonium à parte adversariâ objectum, ad quod Concilii Basileensis Informator respondere tentat. Nititur illud autoritate oraculi ex Esaia de prompti, quo nomine totius humani generis scripsit Propheta, omnes nos quasi oves erravimus, quam autoritatem Augustinus dixit vocem esse omnium Christi membrorum. Respondet autem sicut ad alias plures, quod Beata Virgo sub*

Pag. 394.

cap. 53.

his generalibus opprobriis non comprehendatur, vel juxta ordinariam glossam, quod Propheta, & ita etiam Augustinus, loquatur de actuali & pater putat, quia subjungitur, *unusquisque in viam suam declinavit.*

Et hæc hæctenus Segovia ante Bellarminum, imò plus quam ante duo secula, tempore nimirum Concilii Basileensis, pro cujus informatione hanc quaestionem expendere jussus, prolixissime eam & justo opere tractavit, nihil eorum intermittens, quæ ad ejus elucidationem pertinere videri poterant, ut ex iis videre licet, quæ circa solam Augustini auctoritatem exinde sunt satis prolixè excerpta. Poterant autem hæc videri sufficere, & nihil ferè super amplius esse, quod ad rem hanc posset dici & conferri. Sed nunquam majori fervore publicis etiam scriptis hæc Controversia, quam proximis agitata est annis, non paucis eam singulari studio retractantibus, præsertim ubi ante aliquot annos nova *Alexandri* Pontificis Bulla in favorem immaculatæ Conceptionis prodiit. Eminent inter eos & præter alios plures è Societate Ighatii, cui ante cæteros ordines hæc res curæ cordique videtur esse, *Vincentius Fassarus*, Panormitanus, *Trutinam* varia continentem opuscula, cum Adpendice ad dictam Pontificis *Alexandri* Bullam scribens, & ut sibi videtur, methodo novâ atque hæctenus inusitatâ, quâ hanc Controversiam ita sibi visus est tractasse, ut ad summam nihil jure possit desiderari perfectionem. Hic itidem ea tantum excerptur, quæ Augustini respiciunt auctoritatem. Omissis autem iis, quæ Disputationis tertiæ Procemialis *Divisione quinta* habet, ut demonstret ex Augustino & aliis Patribus, nomen Conceptionis non significare apud ipsos, nisi primam receptionem seminum antecedenter ad primam fetus animationem, quia hunc concipiendi modum Bellarminus etiam attendit, de quo ex antecedente Controversiâ fieri debet judicium; ad ea potius erit attendendum, quæ auctoritate simul Biblicâ nituntur. *Disputatione* igitur sequenti tractans verba regii *Psalmis, Ecce, in Iniquitatibus conceptus sum*, &c. ostensurus, sermonem esse de Conceptione carnali, prout dicit primam initiationem formationis humani corporis, nulla mentione factâ de prima animatione fetus, & intellectu peccato pro eo, quod contrahitur ab Adamo seminiter, postquam Augustini sententiam, in explicatione hujus *Psalmi* legendam, prolixè adduxit, sequentia ad eam observavit *Trutinator: Augustinus notavit*, ipsum Prophetam agnovisse originem iniquitatis, & propaginem mortis, quæ trahitur ex Adamo id quod contingit in primâ mixtione & receptione seminis ordinati ad formationem corporis humani. *Rursum de conceptione illa loquitur*, quæ habetur ex operâ maritali & legitima, non adultera, quæ certè est antecedenter ad animationem. *Tertio de ea conceptione habet sermonem*, quæ est de concupiscentia, cum contradistinguat illam à conceptione Christi, quæ fuit sine illa, quæ non-nisi ea, quæ animationem antecedit, esse potest. *Quarto notat*, non esse in peccato hominem conceptum, quia peccatum est opera maritalis, sed quia conjugum est genitura, & fit ex carne peccati; undè manifestè totum refundit in opus carnale, quod provenit ex carne parentum infecta & transmissiva originalis peccati radicaliter. *Quinto* concipi confundit eum seminari Augustinus, dum scribit, quod concipitur & seminatur de corpore mortuo propter peccatum. *Sexto repetit*, quod opus hoc (certè non-nisi formationis corporis) castum in conjugè non habeat culpam; animatio enim & infusio Animæ rationalis non est opus conjugum, sed Dei creatis, & ad summum conjuges dicuntur disponere materiam ad introductionem Animæ. *Septimo* manifestè conceptionem in peccato refundit in susceptam carnem mortalem morti subditam propter peccatum Adami, quam non habuit Christus, talem scilicet seu procedentem, ut ipse habet de opere in Adam, v.gr. per rationem feminalem, undè loquitur manifestè de conceptione seminum, & per consequens de mera carnali, nec ulla ratione meminit de Animæ prima infusione in dicto homine concepto, ut patet. Ita ad locum ex libro *Jobi, Quis potest facere mundum de immundis* &c. ut idem obtineat, sequenti utitur Augustini testimonio: *Ob hanc solam peccati formationem, quam trahit non de conjugii bono, sed de libidinis malo, parvulus brevis vita & ple-nus iracundia est.* Ubi, addit hoc *Trutinator*, nemo non videt, sanctum Doctorem de ea conceptione exponere hunc locum, quæ ex libidine procedit, quæ certi non est nisi carnalis; non illa primæ animationis; nam prima procedit ex libidine, non secunda. Et immediatè superius ait Augustinus: *Parvuli utique, ut Apostolus dicit, natura sunt filii iræ, Adami scilicet parentis offensione connexis, non enim dicerentur filii iræ, nisi non id est, peccatum Protoplasti, qui peccando Deum ad iram primus in nostrum genus provocavit, traherent seminari.* Ubi, iterum subjungit *Trutinator*, refundit tractionem originalis

conf.
Marth.
Hauz.
Collat.
T. II.
p. 427. &
seqq.

Psal. 50.
vel 51.

NB

cap. 14.
lib. V. Hy-
pogr. c. 4.

ginalis peccati Augustinus in id, quod seminati ab Adamo procederent; atque adeò vult, Jobum sanctum agnoscere immunditiam in semine & in actione seminali, quæ est carnalis conceptio, non animatio prima. *Disputatione* itidem sequenti, numero & ordine *quinta*, ac ejus divisione *quinta*, & numero hujus *tertio* advertit Trutinator de Augustino, quod in sola carne Virginis, non in anima peccatum admittere visus fuerit, atque adeò, concipi eam in peccato, intelligendum esse ratione conceptionis carnalis. Ut hoc doceat, ita scribit: Ponderandus est pro hac re & videndus primò Augustinus in libro contra Julianum & Claudium, ubi loquitur de omni carne humanâ & sic falsus est: *Omnis caro, illa excepta, que sine peccato venit in similitudinem carnis peccati, sub origine peccati & sub lege peccati est nata.* Ubi, addit pro more Trutinator, Augustinus loquitur etiam includendo Johannem & Jeremiam, ac proinde loquitur de carne in utero, non ex utero nascente, atque adeò de conceptione carnali; & in speciali de conceptione Virginis carnali meminit his alibi verbis: *Quid incoquinatus illo Virginis utero &c.* Et post pauca: *Christi corpus ex carne femine est adsumptum, que de illa carnis propagatione fuerat concepta.* Conceptionem ergò, Virginis ita iterum Trutinator, eam nominat Augustinus, quæ tota est de eo, quod sumit ipsa ex parentibus, quæ aperte est conceptio carnalis. Id ipsum patet ex Augustino, qui ita alibi scribit: *Si dementis est dicere, & sine dubio Christi caro non est caro peccati, quid restat, ut intelligamus, nisi ea excepta omnem reliquam carnem humanam esse carnem peccati & hinc adparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propagationem mali, quia Mariæ corpus, quamvis inde venerit, tamen non trajecit eam ad corpus, quod non inde concepit.* Quo loco Augustinus, inquit Trutinator, statuit omnem carnem, excepta Christi, esse carnem peccati, atque ab hac traxisse corpus sanctissimam Virginem ac proinde propter hoc potuisse dici conceptam in peccato; ubi Augustinus dum hæc scribit, non potest intelligi, quod aliud dicere velit, nisi hoc tale de peccato restrictum ad carnem, non verò extensum ad animam Virginis, nec est interpretandus, quasi ex hoc ipse & ceteri Patres inquinare voluerint verâ & propriâ peccati maculâ animam sanctissimæ Virginis; extra rem est enim, ad hoc deducere Augustinum, cum ipse hujus rei non meminerit neque à longe, nec ullum in his ejus dictis inveniatur verbum, quod possit significare, quod is voluerit refundere veram peccati maculam in animam Virginis. Id autem ex eo efficaciter probo, inquit porro Trutinator, quin eo modo dat peccatum carni Virginis in sui conceptione Augustinus, quo signat, ejuscemodi carnem peccati non posse neque per aliquam dementiam tradi Christo Domino; sed Christo Domino non laboratur ab Augustino, ut non detur caro peccati; quæ transfundat veram peccati maculam in animam Christi Domini, sed solum ne possit dici caro peccati, & habere maculam debiti etiam peccati in carne. Ergò non nisi dictam carnem peccati tribuit Augustinus sanctissimæ Virgini, & nullo modo ex his textibus potest inferri, quod Virgo fuerit concepta in peccato, nisi loquendo de carne, quodque potest dici competere conceptioni carnali etiam Christi, si non divino genitus fuisset modo. *Major syllogismi patet*, quia comparatio tota est circa carnem à Virgine sumtam, qua ipsa modo communi est concepta, & per consequens super hæc duo est affirmatio vel negatio; undè id, quod negatur Christo, hoc solum hic traditur Virgini de carne à se suscepta in conceptione sui. *Minor item liquido constat*, quia quando agitur de remotione peccati à carne Christi, non intenditur contròverti nec dubitari, quod Christus in animâ suâ sanctissimâ verum contraxerit peccatum, nam hoc nemo unquam in dubium revocavit; sed sola inquisitio fit & facta est à Patribus, quomodo is, qui carnem suscepit humanam, non dicatur, quod suscepit carnem peccati seu peccato obnoxiam? Ex quo constat manifestissimè, quod in his locutionibus Augustini & aliorum Patrum, qui dant Virgini carnem peccati, ad summum illi dant carnem, seu transfusivam originalis peccati, vel carnem naturæ corruptæ & non integræ, & habentis fomitem. Nam divisi sunt hæc in re Patres, & aliqui esse conceptum hominem in peccato tradunt per hoc, quod per ipsum transfunditur originale in animam; vel per hoc, quod concipitur omnis homo ex concupiscentiâ, & trahit naturæ corruptionem & fomitem, qui dicitur peccatum, ut explicavit Concilium Tridentinum. Hunc etiam sensum fuisse Augustini, patet ex opere *ἑταρολογισμῶν* contra Pelagium, ubi scripsit: *In peccato damnavit peccatum in carne, quia de humanâ carne peccatrice absque culpâ suscipiens, & hanc innoxiam crucifigens, peccatum, quod nos damnaverat per inobedientiam Adami, pro nobis patiendo damnavit.* Et alibi: *Solus ille homo etiam factus, manens Deus, nullum*

cap. 5.

lib. 10. de Gen. c. 18.

lib. I. contra Jul. bap. 15.

lib. I. de peccat.

merit. c. 24

unquam habuit peccatum, nec sumit carnem peccati, quamvis ex maternâ carne peccati.

Quo in loco Augustinus, inquit Trutinator, quando ait, Christum sumisse carnem ex carne humanâ peccatrice, non potuit loqui de carne Virginis, quæ ut animata esset talis, & per id, quod caro ejus habuit, ut animata, & ejus propria, sed ut caro erat ab Adamo derivata, propter quam derivationem dicebatur caro humana peccatrix; seu procedens ab homine primo peccatore, peccatum originale per semen in illam transfundente. Nam tum Patres, tum Theologi, & ipse Augustinus, carnem humanam peccatricem, quæ transfundit originale peccatum, & peccatrix dicitur, non intelligit nisi semen humanum, quod est virtus generantis, quo medio transfunditur originale peccatum; Semen verò humanum, præsertim præcisum à generante, non est animatum, & ut sic præcisum est virtus generantis, & infecta & peccatrix caro. Quando igitur Augustinus de tali loquitur carne, non debet intelligi ullâ ratione de carne animatâ loqui, quæ est constitutiva compositi Virginis, sed de semine, ex quo ipsa est formata, quæ est caro peccati; quod quia non habuit Christus, ex quo scilicet genitus fuerit, sed ex puris sanguinibus Virginis; inde dicunt Patres, quod ipse non habuit carnem peccati, etiam si origo carnis suæ fuerit ex carne, quæ verè genita fuit ex semine, & semine immundo juxta immunditiem, quæ illi competit, quem sensum rectè confirmat secundus Augustini locus, qui concedit, Christum sumisse carnem ex maternâ carne peccati (*legendum, ex naturâ carnis peccati*) sed ait, non sumisse propterea carnem peccati, & primum videtur destruere secundum. Nam si ipse dicitur sumisse carnem ex maternâ carne peccati, ergò conceditur, quod ex carne peccatrice sumserit carnem; & cum omnis caro, quæ in Virgine erat, erat caro peccati, dum Christus eam dicitur suscepisse, carnem peccati debet dici suscepisse, alioquin concedendum esset, quod in Virgine fuisset aliqua pars carnis, quæ non esset caro peccati. Quasi verò Deus in Adamo aliquam carnis partem ab infectione reservaverit, & hæc propagata fuerit ab Adamo usque ad Virginem, de quâ Christus sit conceptus, ut voluerunt aliqui falsissimè. Ex hoc autem, quod objicitur, constat, quod, quando dixit Augustinus, quod Christus sumserit carnem ex maternâ carne peccati, sed non carnem peccati; omnino debeat intelligi, quod voluerit maternam carnem dici carnem peccati, quia profluxerat & formata fuerat ex semine infecto & transfundente ex naturâ suâ peccatum originale, vel derivante fomitem in Virginem, sicut alii ex Patribus solent hoc explicare. At quia Dominus Jesus ita sumit carnem ex istâ carne infectâ, ut non haberet ab eâ particulam carnis transfusivam originalis peccati vel fomitis, proinde non potest neque potuit dici, quod sumserit carnem peccati, sicut Virgo sumit carnem peccati, quæ propterea dicitur habuisse carnem peccati; nam ipse non est genitus, sicut ipsa ex semine. Ubi nota, quod benè potest dici, quod Christus Dominus sumserit materialiter illam carnem, quæ fuerat infecta in Virgine, sed non suscepit illam taliter, quæ infectionem transfunderet in ipsum, sicut in omnes alios genitos, & quæ esset caro peccati quasi formaliter secundum modum, secundum quem erat in ipso. Undè dicitur absolute, quod Christus non suscepit carnem peccati. *Sed dices, quomodo caro, quæ erat in Virgine caro peccati, in Christo desit esse caro peccati?* Ad quod respondeo, inquit Trutinator, quod ad hoc, ut illa caro sumta ex Virgine in Christo esset caro peccati, debuisset eo modo sumta Christo, quo sumit illam Virgo à Parentibus suis & ex Adamo, viâ scilicet seminali, ut sic enim retineret rationem carnis peccati, etiam factâ positione divinitatis, quæ eam sanctificaret. Quando autem caro Virginis translata est ad Christum sine illis conditionibus, quos requirebat, ut similem denominationem formalem daret, amittit omnino in eo rationem carnis peccati. Quæ omnia sint dicta, inquit porro Trutinator, ut adpareat manifestissime, hæc omnia, quæ tradit Augustinus de carne peccati, nullâ prorsus ratione ad carnem pertinere, quæ esset animata & haberet in se relidens originale peccatum in actu secundum propriam rationem veræ maculæ animæ Virginis gratiâ sanctificante privantis. Nam evidenter est certum, quod etiam si Deus constituisset non privare Virginem gratiâ pro instanti primo infusionis animæ ejus, tota hæc doctrina de carne peccati, quæ fuisset in Virgine, verificaretur de eâ & verè diceretur, quod ipsa esset genita ex carne peccatrice, & habuisset carnem peccati, & Christus Dominus sumisset ab eâ carnem, sed non carnem peccati, eo prorsus modo, quo loquitur Augustinus. Undè impertinentissimum est, velle ex verbis sancti Doctoris inferre, quod ipse voluerit dicere carnem Virginis carnem peccati, quia per aliquod instans caro ejus anima.

animata fuit maculata peccato originali in actu & privatione gratiae; cum prorsus, ut vidimus, nihil conferat illa suppositio peccati originalis taliter contracti ad dicta ejus verificanda. Cui discursui non video prorsus quid possit in contrarium adduci, quod aliquam vim habeat pro inducendo sensu diverso in carne peccati. Stet ergo, quod, quando ab Augustino agnoscitur in Virgine caro peccati, non agnoscitur in ea, nisi peccatum originale causaliter sumtum, nec ipse de aliâ Virginis conceptione est locutus, in qua agnoverit carnem peccati, nisi eam, quæ consistit in organizatione corporis, non verò in aliâ, in quâ est infusio animæ, & dicitur conceptio naturæ. In ejusdem *quintæ Disputationis* divisione nonâ advertitur, *peccatum negatum in antiquitate conceptioni Christi Domini, fuisse causaliter originale, quod carni convenit; & ex eo infertur apertissimè, quod, quando concessum est Deiparæ, carni ejus datum fuisse, ac proinde dictam in peccato conceptam, esse intelligendum de conceptione non alia ab illa seminum, & de peccato causaliter.* Ad hæc post testimonia Hilarii & Ambrosii, ab Augustino commendata, ipsius etiam Augustini sequentia adducit. Primum hoc est: *Solus sine peccato natus est Christus, (scilicet in utero) quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis Virgo concepit: Sola nostro vulnere Medicinam parare potuit, quæ non ex peccati vulnere germen novæ prolis emisit.* Alterum ex opere in Johannem super verba, hæc facta sunt in Bethania, &c. *Omnes ex illa traduce & ex illa propagine, de qua David cantat, ecce, in iniquitatibus, &c. Solus ergo Agnus ille, qui sic non venit, non enim in iniquitate est conceptus, quia non de mortalitate est conceptus, nec in peccatis mater ejus aluit, quem Virgo concepit.* Et paulò post: *Non habet iste traducem de Adamo carnem, peccatum non adsumsit, (utique, quia non per semen est derivatus ab eo) qui non adsumsit de nostra massa peccatum, Ipse est qui tollit peccatum nostrum.* Divisione sequenti decima demonstratur, *quod diu, genitricem Dei conceptam esse in originali peccato, non importet in ipsius anima idem originale peccatum in re secundum Patres, sed vel in debito, vel in carne, ex eo, quod à Patribus dicitur Christus in originali peccato concipiendus, si ex semine profuisset.* Trutinator hæc iterum ex Augustino profert: *Christus sumsit quidem ex Virgine veram carnis substantiam, non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiscentia sive seminatam, sive conceptam.* Et alibi: *Quid incoinquinatus illo Virginis utero &c.* Addit pro illustratione: In quibus locis apertè pronuntiat Augustinus, in tantum dici Christum non adsumsisse carnem peccati, & per consequens non conceptum in peccato; nam si in Conceptione accepisset carnem peccati, utique diceretur conceptus in peccato. Per ipsos enim adversarios fumere carnem peccati, est concipi in peccato; & ex primo ipsi inferunt secundum. Et omninò in omnium sententiâ, si Christus in instanti adsumtionis habuisset carnem peccati, hoc non posset habere, nisi conceptus esset in peccato. In tantum ergo Christus dicitur ab Augustino adsumsisse carnem peccati, & non conceptus in peccato, in quantum non fuit conceptus ex carnali concupiscentiâ & per semen traducens originale peccatum seu propagativum ipsius, id est, quod in primâ dicitur sententiâ, seminatam ex carnali concupiscentiâ carnem, & in secundâ, de peccati propagatione venientem, videlicet ex semine, nam ex eo est propagatio peccati, ut alibi vidimus, nec dissentiunt adversarii, & iterum idem sanctus Doctor ibidem: *Christi corpus quamvis ex carne femina est adsumtum, quæ de illa carnis propagatione fuerat concepta, tamen, quoniam non sic in ea est conceptum, quomodo illa fuerat concepta, scilicet ex semine; nec ipsa erat caro peccati.* Trutinator addit, quod si ex semine Christi caro processisset, utique fuisset caro peccati ex sensu Augustini. Sed hoc non potest intelligi de peccato, quod inficeret originali secundum formalia Christi animam, cum qua à verbo adsumta non erat tale peccatum compossibile, neque per absolutam Dei potentiam. Ergo sermo est omninò de peccato præcisè in carne, vel de peccato in anima in debitrice potentia, quod bene potest stare cum unione hypostatica, ut aliàs videbimus. *Divisione duodecima* ejusdem *Disputationis* quintæ confirmatur porro, *quod scilicet Beatissimam Virginem dici conceptam in peccato non inferat, eam incidisse in re in peccatum originale, sed hoc de ea adferri ratione conceptionis Carnalis seu seminum, quia totum hoc bene predicatur & dicitur de ea pro tali statu sue carnis, quamvis in eo integrè & secundum animam tunc ipsa non fuerit.* Probat hæc Adversario, inquit Trutinator, apertissima Augustini autoritate, qui eandem probat autoritate scripturæ, cujus verba hic referimus,

lib. 1. de peccat. merit. c. 29.

Epist. 99. ad Eccad.

remus, & ex ejus in illa ponderationibus, nec non ex doctrinâ, quam tradit in libro de origine animæ ad Renatum, constabit manifestè, quod quæ conveniunt parti hominis, dicuntur rectissimè toti convenire, tum quia pars stat pro toto, & totum pro parte, atque adeò quæ conveniunt parti, convenire etiam dicuntur toti & contra; tum etiam quidquid parti convenit, ipsi etiam convenit toti, quia totum est sua pars, si non adæquate, saltem inadæquate. Et primum quidem patet evidentissimè & frequentissimè ex Augustini opere citato, ubi ait: *Ex parte tota natura humana dicitur, quæ per mulierem nascitur, sive caro sola.* Ubi admittit, juxta Trutinatorem, ex parte hominis, nempe carnis, quæ est pars ejus, intelligi vel solam carnem, vel totam naturam humanam; nam utrumque dicit posse dici ex carne haberi. Et paulò post: *Ex uno sanguine cum, id est, Apostolum dixisse, ex uno homine, à parte totum significante locutionis modo.* Et subdit: *si enim ipsi licet intelligere à parte totum, quod scriptum est, factus est homo in animam viventem, ut illic intelligatur & spiritus, de quo scriptura ibi tacuit; cur aliis non liceat sic accipere, quod dictum est, ex uno sanguine, ut illic & anima & spiritus possit intelligi, quoniam homo significatus nomine sanguinis (ecce, ex parte totum apertissimè) non solum constat ex corpore, sed & animâ & spiritu?* Et deinde tradit totum pro parte, nam notat: *Fortè ita dictum est, omnes homines, ut secundum solam carnem intelligerentur; videlicet in illo Pauli, in quo omnes peccaverunt, sola omnium caro est intelligenda, (quæ scilicet sola trahitur ex Adamo) quæ inde transfusa est, à toto partem significante scriptura.* Et iterum tradit de parte accepta pro toto: *Hic autem tropicè ex uno sanguine totum significatur à parte, id est, totus homo, qui constat ex animâ & carne, vel potius ut ille amat loqui, ex animâ & spiritu & carne.* Et utrumque docet sanctus Doctor haberi in scripturâ, nam sequitur: *Ex parte totum & ex toto partem divina significare consueverunt eloquia; ex parte enim totum est significatum, ubi legitur, ad Te omnis caro venit, quia ex carne intelligitur totus homo, ex toto autem pars, cum Christus dicitur sepultus, cum sola ejus caro est sepulta.* Et iterum: *Ac per hoc, si primæ mulieri anima est, (ubi Augustinus dubitabat, inquit Trutinator, an anima Evæ fuisset tanquam ex traduce ab animâ Adami derivata?) à parte totum est significatum, ubi legitur, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ; cum tota ex viro, non sola caro sit sumpta. Si autem non ex viro, sed eam Deus insufflavit, sicut viro, à toto pars est significata, ubi legitur, de viro sumta est, cum caro ejus, non tota sit sumpta.* Ex quibus locis apertè demonstratur, juxta sententiam Trutinatoris, quod Beata Virgo bene potuit dici concepta in peccato originali, quia scilicet caro ejus mera, quæ est pars ejusdem Virginis, dicta sit in tali peccato concepta, non quidem formaliter, sed causaliter & materialiter sumpto. Quod autem ea, pergit ita Trutinator, quæ conveniunt parti, tribuantur toti, patet jam ex Augustino, qui notavit, Christum dici sepultum, licet sola caro ejus sit sepulta; & præterea, quia notat, mulieres dici intus in animâ ornatas, cum hic ornatus non competat earum corpori, sed animæ, sic scribens: *Utique pietas intus est in animâ vel in spiritu, & tamen mulieres etiam adpellatæ sunt, ut se intus ornarent, ubi nullus est sexus.* Atque alia his similia habentur in Augustino, quæ apertissima sunt in plurimis evidentibus aliis enuntiationibus, ubi pronuntiatur cum omni veritate, competere toti, quod soli convenit parti. Sic homo dicitur intelligere, velle, habere gratiam sanctificantem, virtutes Theologicas, & similia, quæ non nisi in animâ resident. Nec solent hæc solum dici de toto ratione partis inexistens, & quando existit in toto, sed etiam, quando separata est à corpore. Sic Petrus dicitur vivere in æternum, in cælis degere, Deum videre, nec non resurrecturus & gloriosus corporaliter futurus in die Judicii; cum tamen hæc omnia ei conveniant vel ratione animæ in præsentem, vel ratione corporis. Numero divisionis post decimam sextæ tertio, in recensione suffragiorum ad probandum, per concepti in peccato non significari contractionem originalis peccati in re, sed in debito, ad sequentia Augustini testimonia provocat Trutinator, scribens: Augustinus non solum contra Fidem esse adseruit, negare peccatum originale in parvulis, sicut primò negavit Pelagius; sed etiam adfirmare, quod non omnes tangit, nemine excepto, ex vilegis ordinariæ, sicut Pelagius secundo dixit: Videndus est in libro de Natura & Gratia, ubi inquit: *Illud, quod commemoravi, per unum hominum intravit, &c. & antiquos, & recentiores & nos posteriores sententia ista complectitur. Ponit etiam Pelagius testimonium, unde probet committitur, omnes, non semper omnes, nullo prætermissio, intelligi debere, sicut, inquit, peccatus unius hominis delictum, &c. cum per Christi iustitiam, inquit, non omnes homines, sed eos tantum, qui obedire illi voluerunt, sanctificatos esse, dubium non sit.* Non pla-

ne isto probat testimonio, quod vult. Nam sicut dictum est, per unius delictum &c. ut nullus pratermitteretur; sic in eo, quod dictum est, per unius iustitiam in omnes &c. nullus est pratermissus. Non quia omnes in eum credunt, sed quia nemo iustificatur, nisi in eum credat. Adhuc alibi, postquam probavit Augustinus, illud verbum, omnes, significare omnes, nullo pratermissio, subdit: Vos autem, dum non omnes, sed multos per Adamum lib. 6. contra Jul. cap. 12. alias 24. de Perfect. Justit. c. 21. condemnatos, sive per Christum liberatos, intelligi vultis, horrenda per veritate religioni Christiane resistitis. Iterum alibi iisdem ferè verbis & sub eadem censura loquitur Augustinus dicens: Quisquis esse vel fuisse aliquem in hac vita hominem, vel aliquos homines putat, uno Mediatore Dei & hominum excepto, quibus non fuerit necessaria peccatorum remissio, divinae contrarius est scripturae, ubi ait: Per unum hominem &c. & necessum est, ut impia contentione adserat, posse homines esse, qui sine Christo mediatore, liberante & salvante, sint liberi salvi que à peccato. Illatio aperte sequitur, inquit Trutinator, in sententia Pelagii, si ex vi legis & secluso Privilegio non in homines nullo pratermissio transfret peccatum, sed aliquis sine illo generaretur; tunc enim ille non indigeret redemptione per Christum, quia ex ipsa lege ordinaria careret peccato.

Et ita haecenus si fuerit producti, qui olim & nunc aliquantò prolixius pro immaculata beatæ Virginis conceptione, ex Augustino præsertim egerunt, omni conatu sanctum Doctorem in suam trahere ausi sententiam. Et tamen nondum illud Mare exhaustum est, in quod ab aliis etiam scriptoribus non pauca præter hæc sunt illata, quorum aliqua tantum, & breviter quidem, porrò adducemus, non ubivis obvia. Primum hic occupet locum Legatio Philippi Tertii & Quarti, Catholicorum Hispaniæ Regum, ad Paulum Quintum & Gregorium Decimum quintum, Pontifices Romanos, de definiendâ hac immaculatæ conceptionis controversiâ, per Antonium à Trejo, nominatum Carthaginensium Episcopum, ex ordine Minorum descripta per Lucam Quaddingum, ejusdem ordinis, Lovanii anno hujus seculi post vicesimum quarto cum Privilegio & plurium Doctorum ad probationem edita, in cujus sectione secundâ exhibetur oratio ad Paulum Pontificem quarta, quinti Tractatus locum occupans, quo nullatenus sanctos Patres sensisse, virginem Mariam in originali peccato fuisse conceptam, ostenditur, & eorum fallacia, qui pro affirmativa plurimos adducunt sanctos, detegitur. Quæ ex inde nostro interservite proposito, hæc sunt: Quod quidam volunt quibusdam testimoniis probare, affirmativam fuisse communem inter sanctos Patres, & quidem ex Augustini loco quodam, quem quotidie circumferunt & confidenter objiciunt, in quo sanctum Doctorem plures pro eorum sententia Patres compulisse affirmant; parum certè roboris habet, nec ex Augustini verbis, id quod volunt, colligitur. Locus ille ita deducitur. Propter quam veritatem Catholicam sancti ac beati, & in divinarum eloquiorum pertractatione clarissimi lib. II. contra Jul. c. 10. Sacerdotes, Irenæus, Cyprianus, Rheticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, Innocentius, Johannes, Basilius, quibus addo Presbyterum, velis, nolis, Hieronymum, ut omit tam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam, unde nemo eruit, nisi quem sine peccati lege, legimentis repugnante, Virgo concepit. Addit legatus & orator regius: Suas habet non violentas, nec tortuosas explicationes, sed genuinas & evidentes patitur solutiones. Nec certè in casu dubii nostri loquitur expresse sanctus Doctor, quod ex eo manifestius patet, dum illi, quos nominat, Doctores nec verbum habuerint de Virgine Maria in locis, quæ huic Augustini propositioni possent favere, & quæ ille primo contra eundem Julianum libro citavit sed tantum de lege & obnoxia successione, sicut ipse ibidem loquitur Augustinus, omnium mortalium ad contrahendum originale peccatum, quod non obstat. Quin ex ejusdem Augustini & Doctorum, quos citat, mente & doctrinâ singularem hanc feminam, puram non solum ab omni contagione peccati, sed & singularitate naturæ, ut egregie dixit Bernhardus, singulari præventam gratia fuisse dicamus, ne peccatum, cui cum cæteris erat obnoxia, incurreret.

Paucis post annis in lucem publicam prodiit Lugduni, superiorum permisso, Elicitarium Deiparæ, auctore Poza, Ignatiani ordinis scriptore, Professore Complutensi, quod etsi non planè nullis de causis induci Romano insertum inter libros habetur prohibitos, ab Alegambio tamen, ordinis Bibliothecario, hoc non obstante inter cæteros scriptores Marianos, nulla prohibitionis facta mentione recensetur, eodemque quantum præstari potuit, honori restituitur, in testimonium, non ubivis nec omnibus sanctam esse Inquisitionis Romanæ auctoritatem. Præter alia plura sub finem hujus Elicitarii, id est, libro operis ultimo, ac Tractatu ejus quarto, id probandum in se suscepit,

omni a

omnia ferè antiquorum contra immaculatam Deiparæ conceptionem testimonia ab aliis esse depravata, aut truncata, aut confecta, aut infirma, de tribus Augustini testimoniis sequentibus ita scribens: Primum est, quod Concilii Basileensis Informator etiam ad medium ordine secundum, & loco quidem ultimo adduxit & expendit, & ita habet: *Adamus est mortuus propter peccatum, Maria ex Adamo mortua est propter peccatum, caro autem Domini ex Maria est mortua propter peccata delenda.* Poza respondet, locum hunc aliter legi in Impressione Lugdunensi A. 1561. & Venetâ A. 1570. sub hoc ordine, *Maria ex Adamo mortua est propter peccatum Adami.* Deinde, non docuit Augustinus, Mariam contraxisse peccatum originale, sed mortuam esse propter peccatum, non quidem suum, sed Adami. Secundum hoc est: *Christi corpus, quamvis ex carne femina sit assumptum, quæ de illa carnis peccati propagine fuerat concepta; tamen quia non sic in ea fuit conceptum, quomodo illa fuerat concepta, ideo ipsum non fuit caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Hunc locum quoque dictus Concilii Basileensis Informator, ut & Trutinor Panormitanus expenderunt. Sed Poza more suo aliter procedit. Dicit enim, hunc locum fideliter non referri, ut constet ex impressione Antverpiensi A. 1576. Deinde, non esse expressum, cum de labe originariâ Deiparæ nulla sit memoria, sed de carne duntaxat. Tertium ita habet: *Solus ille homo factus, manens Deus, nullum habuit peccatum, nec sumit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati.* Uterque iterum ex laudatis modo tractatoribus de hoc testimonio dixerunt sententiam, & Trutinor quidem Panormitanus sibi non displicere observationem Pozæ ostendit, qui aperte scribit, etiam hunc locum esse corruptum, ut Lovanienses, Antverpienses & Parisienses Codices subtilis ostendant verbis, *quamvis de natura carnis peccati.* Addit præterea: *Et verò sermonem non habet, nisi de carne seu natura in communi.* Ita Elucidator tractat & illustrat hanc Controversiâ Augustinum.

E recentioribus ad vindicandam Augustini autoritatem Nierembergii in expensis Concilii Tridentini pro omnimoda Deiparæ Virginis Puritate Exceptionibus alia duo Augustini loca proponit & expendit, de quibus tamen alii etiam egerunt. Et primum quidem, à Bellarmino quoque, primo statim loco tractatum, sequentibus ex libro de naturâ & gratiâ exhibet verbis: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo questionem; Unde* (Bellarminus legit, inde) *enim scimus, quod ei plus gratiæ fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum?* Post Bellarminum Nierembergii ita scribit: Non potest hic responderi, Augustinum loqui solum de peccatis actualibus; quia alioquin debuisset etiam excipere innocentes ab Herode occisos, parvulos baptizatos, Johannem Baptistam, qui actuale peccatum non habuerunt aut habent. Ergo loquitur Augustinus de peccato etiam originali, maxime cum disputet contra Pelagianos, qui negabant, peccatum Adami cum suis oneribus & damnis in omnes suos translatum esse posteros; negabant etiam, nos omnes contraxisse peccatum originale ex carne & corruptâ ipsius Adami naturâ, & e contra adferebant, quemlibet hominem ex propriæ naturæ viribus per solum arbitrium liberum, absque speciali gratiâ Dei, posse peccatum omne evitare & divina implere præcepta. Cum verò Pelagiani allegarent contra Augustinum multos ex utroque Testamento sanctos, ipse libro citato respondet, quod licet omnes istos ob ingentes virtutes scriptura adpelleret justos, fuerint tamen aliquando sub aliquo peccato, & si quando actualia vitaverint peccata, hoc non fuisse ex viribus propriis, sed ex speciali gratiâ Dei. Excipiens hic ergo Beatam Virginem Mariam censendus est loqui non de solis actualibus peccatis, sed etiam de originali; dicit enim in primis, propter honorem Domini. Honor autem Domini JESU non minus postulat, ut mater ejus careat originali peccato, quam actuali aliquo. Deinde, generaliter dicit, de Beatâ Virgine Mariâ, cum de peccatis agitur, nullam se velle habere quæstionem. Dicit etiam, matri Christi gratiam esse collatam ad vincendum omni ex parte peccatum. De altero Augustini testimonio ita porrò Nierembergii: Solet hic opponi, quod agens contra Pelagium scribitur idem Doctor de omnium hominum successione peccato obnoxia, unde neminem eruit, nimirum Catholica veritas, ad quam Augustinus in proximè antecedentibus provocavit, nisi quem sine peccati lege, legi mentis repugnante, Virgo concepit. Hoc testimonium vidimus proximè etiam ab Oratore Hispano subiectum examini. Exceptionum Tridentinarum expensor ita de eo scribit: Videtur Augustinus solum à peccato originali Christum excipere; sed non obstat. Nec enim ipse Augustinus & alii, qui Beatissimæ Virginis immaculatæ Conceptionem defendunt, exemerunt eam à lege & obnoxia success.

successione omnium mortalium ad contrahendum originale peccatum; sed docet tantum, sanctam hanc Virginem Mariam singulari gratia fuisse præventam, ne peccatum originale, cui ex natura sua cum cæteris erat obnoxia, incurreret. Addit ex abundantibus *Nierembergius*, illa etiam Augustino tribui verba solere: *Cum subjectio peccati originalis caput sit diaboli, tale caput Maria contrivit*; quia peccati subjectio nulla in animam Virginis habuit ingressum. Et dicit, producere hæc verba in primis *Bernardinum de Busto*, & ex eo alios, hac tamen monitione subiecta, *ea in Augustini codicibus hodie non reperiri*. Et hæc tenus, ut spero, non satis tantum, sed plus quam satis si non omnino ad nauseam usque lectoris, & scriptoribus in Ecclesia Romanensi celebratissimis ostensum fuit, quanto conatu, labore & studio in hac Controversia fuerit desudatum, ne sanctus Doctor Augustinus quidquam videri possit scripsisse, quod sententiæ de immaculata Virginis Conceptione videri possit contrarium. Non opponam nunc illos ex ordine Prædicatorum seu Dominici, hodie *Cyriacorum*, scriptores, qui iidem non paucos nec pauperes adparatu à longo jam tempore aliam defendunt sententiam, quorum nomina alibi non parè leguntur; quibus nuper modò ex eodem ordine adnumerari voluit *Marcellus* quidam *Siderens*, edita Synopsi historica de Conceptione *Beate Virginis Mariæ*; quam opusculo ut vocat ex temporaneo, *sub velo nominis diaphano*, ut scribit, *Baldwinus Helenocæjus*, cum licentiâ superiorum, & cum adprobatione, *Salisburgi*, si titulo libri fides est habenda, edito, ad *Trutinam Bullarum Apostolicæ Sedis* adpendit & examinavit, quod tamen, quia ad institutum præsens nihil exhibet notatu dignum, hic nominasse iusticiat. Prætermittere autem silentio non possum scriptorem post laudatum supra Concilii Basileensis Informatorem satis inter iuos celebrem, *Vincentium de Bandedis*, ordinis quondam sui Magistrum Generalem, cuius Tractatus de *singulari puritate & prerogativa Conceptionis Christi*, ex Authoritatibus ducentorum sexaginta Doctorum, eorumque clarissimorum, non ita pridem ad exemplar *Bononiæ* impressum, quia rarius in Bibliothecis comparebat, non sine omnium bonorum adplausu, luci publicæ fuit restitutus & verè redonatus, ut qui antehac in pauciorum erat manibus, plerisque Eruditorum titulo tantum cognitus, omnium nunc teri possit, æque omnibus veritatis Evangelicæ studiosis non absque plurimâ informatione legi. Contra hoc opus etiam laudatus paulò ante Legatus & Orator Hispanus peculiari ad Paulum Pontificem oratione, quæ eam proximè sequitur, ex qua pro Augustino aliqua fuerit proposita, & in sectione secunda quintum, sextum verò in Tractatum serie occupat locum, prolixissimè verba fecit, plurima ex eo colligens, quæ sententiæ, quam communiter piam vocant, sunt opposita, hac cum obtestatione, ut Indici Librorum prohibitorum infereretur; impetrare tamen non potuit, id quod nec à compositoribus Indicum Expurgatoriorum Hispanis est factum, non intermissuris, nisi pretium operis æstimassent ex debito. Quia ergo nulli publicæ nominatim adhuc subjectum fuit, censuræ, præter rem non erit, si ea exinde huc adponantur, quæ Instituto ad percipiendam ritè Augustini sententiam videbuntur inservire. Capitulo igitur nono exhibet decem & quatuor auctoritates Augustini, adferentes, *Beatam Virginem originale peccatum contraxisse*. Primum testimonium est, quod ex Commentario in Psalmum tricesimum quartum prolixè auditus supra Concilii Basileensis Informator, & post eum *Poza* etiam adduxit & more suo emendavit, si non potius corruptit. *secundum* ex libro vel opere *π. γ. γ. ο. κ. α. ν.* ad suas partes trahere est conatus *Trutinator Panormitanus*. *Tertium* ex libris, cur & quomodo Deus homo: capite decimo, hoc est: *Sciebant sancti Patres, quod post primi parentis lapsum nemo ex eius stirpe propagandus erat more naturali, qui se vel alios erigere valeret, nisi ille veniret de sursum, qui virtute divinitatis de carne peccatrice Humanitatem sine peccato acciperet, cum qua homines peccato prostratos erigeret*. Quartum est ex eiusdem libri capite sexto: *Si forte alicui per hominem purum videtur fieri potuisse hominum redemptionem, convenit ut intelligat, quod de stirpe Adami nullas naturaliter prorogari (fortè, propagari) poterat, qui illius delicto non teneretur adstrictus, & ideo quilibet tanto minus univ. ersale chirographum posset delere, quanto univ. ersali vel propria (etiam) culpa minime careret*. Quintum à Concilii Basileensis Informatore, *Poza* Elucidatore, ut & *Trutinatore Panormitano*, ex opere de parvulorum Baptismo exhibitum, & aliqua ex parte correctum, pleniore textu ita habet: *Non est in filijs hominum, nec fuit, nec erit, qui nulli unquam peccato fuerit obstrictus, aut ad iustitiam non ex peccato pervenerit, uno Mediatore excepto, per quem finitis peccatorum inimicitis reconciliamur Deo. Solus ergo ille etiam homo factus manens Deus, nullum unquam habuit peccatum, nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim inde susce-*

susce-

suscipit, illud profectò mundavit suscipiendo. Addit Magister ordinis, Hugonem de S. Victore hanc Augustini auctoritatem in libro sententiarum exponendo dicere: *Christi caro fuit in Maria prius originali peccato obligata, sicut Augustinus ait, sed operatione Spiritus Sancti ante-quam à verbo Dei adsumeretur, fuit à peccato mundata.* Sextum ex opere contra Julianum à Bellarmino & Trutinatore Panormitano examen sustinuit, in sequentibus cum cæteris ex debito vindicandum. Notat verò ad ejus sensum Magister ordinis, quod Augustinus per carnem peccati intelligat hominem vel naturam hominis habentem peccatum, denominans à parte totum; in quem finem sequentia ex eo adducit testimonia. *Septimum* ex proxime laudato opere de Baptismo parvulorum: *Similitudo carnis peccati est illa, in qua fuit pœna sine culpa, caro autem peccati est, in qua fuit culpa & pœna.* Octavum ex eodem: *Vna est caro peccati in qua omnes ad damnationem nascuntur, & una est similitudo carnis peccati, per quam omnes à damnatione liberantur.* Nonum ex Commentario in Johannem: *Christus est passus, ut peccati caro redimeretur. Fugiamus ergo omnes ad Christum, & sub peccato nos esse fateamur, ut ejus sanguine redimamur.* Ex quo patet, inquit iterum Magister ordinis, quod Augustinus in prædictâ auctoritate per carnem peccati intellexerit naturam, habentem in se peccatum. Decimum hinc sequitur: *Misit Deus Filium suum, ut ait Apostolus, in similitudine carnis peccati, quia videlicet caro erat, sed caro peccati non erat. Non enim pro magno in Christo commendaretur similitudo carnis peccati, nisi excepta ea omnis cætera hominum caro esset caro peccati.* Quid est caro peccati, nisi illa, que mortem habet & peccatum? Quid est similitudo carnis peccati, nisi illa, que mortem habet sine peccato? Si enim haberet peccatum, esset caro peccati; si autem non haberet mortem, non esset similitudo carnis peccati. Ex quibus manifestè patet, iterum observat Magister ordinis, quod cum Augustinus in prædictâ auctoritate adserat, omnem humanam carnem, excepta Christi carne, esse carnem peccati, etiam nominando Virginem beatam; per hoc intelligit, quod omnes præter Christum homines habuerint aliquod peccatum. Intelligit etiam, quod quicumque adserit, aliquem hominem fuisse semper sine omni peccato, cogatur concedere, illum fuisse æqualis cum Christo puritatis, quia puritas intenditur per recessum à contrario. Unde si duæ carnes vel naturæ æqualiter recedant à peccato, & nullius peccati habeant admixtionem, æqualis sunt puritatis. Et cum Augustinus hoc esse dicat hæreticum, consequens est, ut quicumque dicit, beatam Virginem nullam unquam peccatum habuisse, hæreticus sit adpellandus. Item cum dicat, omnes homines per concupiscentiam generatos habuisse peccatum originale, & adserat beatam Virginem per concupiscentiam fuisse generatam; consequens esse voluit, quod beata Virgo fuerit in originali peccato concepta. Undecimum, duodecimum & decimum tertium ex opere de Genesi ad literam sicut quoque & ferè eodem ordine Concilii Balleensis Informator, & ex iis medium Trutinator Panormitanus, & ante eum hunc Pœa Elucidator. Magister ordinis hoc exindè colligit argumentum: Peccatum Adami transfunditur in omnem carnem ab ipso seminali ratione propagatam. Sed beata Virgo fuit caro ab Adamo seminali ratione propagata. Igitur in beatam Virginem fuit peccatum Adami transfusum, Superest decimum quartum & ultimum ex quinquaginta septem locis Doctrinæ Augustini desumptum, videlicet, *solum Christum fuisse sine peccato & omnes homines excepto Christo aliquod habuisse peccatum.* Ex quibus clarescitet, ita claudit hoc Capitulum Magister ordinis, quod Doctor iste perspicuis tenuerit, beatam Virginem contraxisse peccatum originale, cum adserat, illam propter peccatum fuisse mortuam; Christumque dicat de carne & matre peccatrice humanam adfuisse naturam; adpellet etiam carnem illam peccati, atque ab Adamo seminaliter descendisse adfirmet. Possent his addi ex capitulo sequenti octo Ambrosii testimonia, de quibus monet Magister ordinis, quod ab Augustino in opere contra Julianum & alibi laudentur, atque idè pro Augustiniani habenda, nisi hæc in præsens possent sufficere, additis, quæ idem Magister ordinis in alterâ parte hujus sui Tractatus, responsonè ad objectionem decimam, quasi recapitulationem ad præsens Institutum pertineret observavit: *Cum Augustinus & alii Doctores sancti ac summi Pontifices fundantes in scripturis & eius divinum promulgante dicant, beatam Virginem in originali fuisse conceptam, videtur ex prædictis sequi, quod sententia Doctorum in hac parte dicta & confirmata quorumcumque sit præferenda, permaximè cum Augustinus in epistola ad optatum dicat, omnem animam excepta Christi anima aliquod habuisse peccatum, tam manifestè se debemus tenere, ut sciamus, cum, qui hoc negaverit, nullo modo ad fidem Christi pertinere.*

Serm. 16.
de Verb.
Evang.

pag. 157.

re. In responsione ad undecimam rationem meminit alicujus ex Augustino autoritatis, quæ allegatur in secundâ lectione officii Conceptionis, sed hac additâ cautione, quod illa Augustini non sit, adeoque hic etiam non attendenda, utpote non immerito suspecta.

Nunc quid de his omnibus statuendum sit, & cui ex his duabus sententiis fuerit Augustinus addictior, ut lector veritatis studiosus habeat cognitum, breviter indicari debet, & eo quidem ordine, qui hæcenus ex diversis scriptoribus fuit observatus, ne videlicet quid eo immutato omittatur ad institutum pertinens. *Bellarminus* primum hic occupat locum, qui & Augustini utitur autoritate ad probandam Conceptionem Beatæ Virginis immaculatam, & ad diversa quatuor ex eo testimonia respondet, quæ contra eam loqui videntur. Ibi eminent locus ex libro *de Naturâ & Gratia* contra Pelagianos, quo alii etiam scriptores plerique in hac Controversia nituntur, nominatim productus supra Concilii Basileensis Informatior. Egit de illo prolixissimè ante Annos non ita multos in justo opere de *immaculatâ Conceptione solius Christi* Theologus Erfordiensis, *Zacharias Hogelius*, cujus manducatione paucis ostenditur, quæ Augusti Patris ibidem fuerit sententia. Ante omnia autem & in genere circa illud testimonium notari debet, etiam in eo videatur expressè satis contineri exceptio Beatæ Virginis à peccato vel peccatis, non tamen eam intelligi, exceptionem, quam immaculatæ Conceptionis Patroni volunt; id quod erit manifestissimum, si Augustino verba, prout decet, restituantur ac corrupta lectio aboleatur. Nam quæ sanctus Doctor in formâ Quæstionis proposuit, *Bellarminus* cum aliis exhibet, quasi sensu absoluto scripsisset, sine ullo interrogationis signo, particulâ *indè* positâ pro *undè*, id quod sensum testimonii non parum turbat. Habet autem hanc lectionem, *undè*, cum signo interrogationis, Editio operum Augustini Parisina ante hoc seculum curata, eamque, ut paulò ante vidimus, in *Expensione exceptionum Concilii Tridentini* ita expressit *Nierembergus*, testaturque laudatus modò Theologus Erfordiensis, & *Coccium* in *Thesauro*, & *Barradium* in concordia eam ita sistere, quos quidem nunc inspicere non datur. Esse etiam & debere hanc lectionem interrogatoriam haberi genuinam, non solum testatur constans Augustini doctrina, solum excipiens Christum, ubi de peccato vel peccatis agitur, innumeris ferè locis tradita; sed & urget præsens tractatio, in quâ sanctus Pater expressè de Christo scribit, *de eo constare, quod nullum habuerit peccatum*, dubitans è contrario non solum de Mariâ, sed & suam agnoscens ignorantiam, *non sciri, undè ei plus Gratia fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum?* In hujus doctæ & modestæ Augustini ignorantia vestigiis si mansissent superlativi, vel si licet dicere, superciliosè Beatæ Virginis Cultores, progressus non inferè infinitum factus & promotus esset, nullo sine Elogiorum & commendationum hyperbolicarum nec dùm adparente. Estque porrò in specie notandum, quando Doctor Augustus scribit, se, cum de peccatis agitur *propter honorem Domini*, nullam prorsus velle quæstionem de sanctâ Virgine Mariâ habere primò eum non nomine totius Ecclesiæ, sed suo tantum scribere, adeoque nemini quidquam proscribere, nisi contrarium sibi metipsi, neminem suâ autoritate obligantem, de quo aliàs & alibi non parè scripsit, hoc etiam in opere testatus, *solis Canonicis debere se sine ulla recusatione consensum*, de cætero, in quorumlibet hominum, quos paulò ante Catholicos dixit Tractatores, scriptis liberum, idem aliis concedens Privilegium, quod ipse sibi liberum putavit. *Secundò*, eum non dicere, quod verè Beata Virgo à peccati reatu sit excepta, sed tantum se nolle de ea in hac materia habere quæstionem, non quasi verè sit excepta, sed *in honorem Domini*, id est, Filii, quem concipere ac parere meruerit, vocabulo merendi in latiori sensu hic usurpato, ut infra in Controversiâ de *meritis operum* ex locis aliis parallelis docebitur; *in honorem Domini*, inquam, quem respectum tamen latius extendere non licet, quam par est & justum, cum è contrario censendum sit non immeritò contrarium honori ejus, quem constat, *nullum habuisse peccatum*, si hic honor ei & quidem soli debitus, alicui præter & extra ipsum nullo scripturæ ductu prævio adscriberetur, Augustino id sufficere ad honorem Domini putante, si nullam ejus mentionem expressam & publicam in recensione aliorum Adami & Evigenarum faceret, atque eam silentio prætermitteret non inhonorifico. *Tertiò*, eum hac exceptione uti, disputando ad hominem, videlicet contra Pelagianos, & in specie vel individuo contra eum scriptorem Pelagianum, quem in toto hoc opere sibi refutandum proposuit, qui ubi commemoravit eos ex utroque Testamento, *qui non modo non peccasse, verum justè etiam vixisse referuntur*, ipsum quo-

que Domini ac Salvatoris Matrem adnumeravit, quam dixit sine peccato confiteri necessum esse pietati, unde venit sine dubio, ut sententia de Conceptione Beatæ Virginis immaculata communiter hodiè dicatur pia, scriptore Pelagiano primitus ei hoc Elogium adsignante. Ut ergo contra antagonistam obtineat Augustinus, illos omnes, quos scripturæ Codex hic & ibi ob singularem præ aliis sanctitatem commendat, ex propria confessione non sine peccato fuisse; ne impius inque sanctam Virginem Mariam ulla ratione videatur injurius, illam velle exceptam quasi compromisit, idque in honorem Filii, hac tamen subjuncta protestatione, nescire se & quemvis alium, quod ei plus gratiæ fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, cum de Christo confiteretur, eum nullum habuisse peccatum. Hæc si attendantur probè, facili operâ poterit ostendi quarto, eum hic agere non de peccato originali, sed actuali vel actualibus peccatis tantum, id quod laudatus antè Theologus Erfordienſis *Thome Aquinatis, Durandi, Bonaventuræ, Petri Aurcoli, Dominici à Soto* & aliorum auctoritatibus confirmat. Patet autem illud porro satis manifestè, si & antecedentia & consequentia in Augustini Textu respiciamus. In verbis quidem proxime antecedentibus adversario respondens eorum meminuit peccatorum, quæ vel ignorantia vel infirmitate committuntur, & quorum respectu in oratione Dominica etiam justi non frustra dicunt ad Deum, *dimite nobis debita nostra &c.* In paulò post sequentibus monet porro contra scriptorem Pelagianum, pro omnimoda sanctorum puritate & à peccatis immunitate è scripture silentio militantem, in eâ commemorandum non fuisse, si *Abel, quamvis merito justus sit adpellatus, paulò immoderatus aliquando risit, vel animi remissione est jocus vel aliquid ad concupiscendum vidit, vel aliquando immoderatus poma decerpit, vel plusculo crudior fuit cibo, vel cum oraret, aliquid, unde ejus in aliud avocaretur intentio, cogitavit, & quoties illi ista & similia irrepserunt multa.* Addit sanctus Pater: *An forte peccata non sunt, de quibus generaliter cavendis atque cohibendis præcepto admonemur Apostolico, ubi dicit, Non regnet peccatum in vestro corpore mortali ad obediendum desideriis ejus? Hoc quippe ne obediamus ad ea, quæ non licent vel minus decent, quotidianâ & perpetua consuetudine certandum est.* Et post pauca: *Hoc peccatum, id est, hunc vitiosè affectivis appetitum qui ex parte magnâ frænatur, ut non obediret desideriis ejus, nec sua membra exhiberent ei arma iniquitatis, etiam justis meruerunt adpellari, & hoc gratiæ Dei adiutorio. Verùm quia in levissimis sæpè & incantatis aliquando obrepit peccatum, & justis fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* Plus ultra non opus est ut eatur, cum hæc satis atque super doceant, Beatæ Virginis exceptionem, quam quasi condescendens Augustinus ex abundantia & ut dici solet, *posito* aliquatenus concessit adversario, non de originali peccato, sed peccatis tantum actualibus intelligendum esse, utpotè de quibus in antecedentibus & consequentibus apertè satis egit Augustinus. Patet hinc quinto, quid ad instantias Bellarmini sit respondendum, quibus evincere laboravit, non de actualibus solum peccatis, sed etiam de originali Augustinum hic esse intelligendum. *Primum* certe id non evincere, adducta Augustini ex antecedentibus & consequentibus verba ostendunt, non nisi de peccatis actualibus loquentia. Sit autem ita, intelligatur etiam simul originale peccatum, quamvis ex ipso Textu doceri non potest; Exceptiva tamen locutio Augustini Beatam Virginem non omninò excludit ab ejus reatu, sed tantum quid ipse velit observare, cum de peccatis agit, in honorem Domini testatur, salvâ semper & illa aliorum sententia, incertus quippè adhuc & ignarus, quod ei plus gratiæ fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, certus è contrario & indubius, Christum nullum habuisse peccatum, id quod probè hic attendi debet. *Secundum* itidem exinde infirmatur, dum quæ dubitanter, imò potius negativè scripsit Augustinus, quasi adfirmativè & sensu absoluto scripsisset, contra mentem & intentionem ejus intellexit & intellecta voluit Bellarminus; quamvis si ita scripsisset Doctor Augustus, argumentatio Bellarmini indè deducta nullum habere posset locum, victoriâ de peccato non nisi adscribenda ei, quam qui à peccato tanquam hoste tentatus & impugnatus fuit, solo iterum Mediatore Dei & hominum excepto. *Tertium* merito retorquetur, quia ob id ipsum, quod exceptam voluit Augustinus Beatam Virginem in enumeratione peccatorum ob honorem filii, indicat, nisi id faceret ex hoc respectu, cessante eo aliter de ea locuturus vel scripturus; discrimine hic etiam inter peccatum originale & actuale, illud necessariò mortale, hoc autem forsitan veniale, nullum habente locum, dum ex adductis testimoniis est manifestum, esse de peccatis tantum actualibus sermonem. *Quarta* tandem manifestissimâ laborat inconsequentia, quam ex alio quodam Augustini

cap. 38.

Rom. 6.

fini testimonio impertinenter deducit, ex adversariorum quoque sententiâ colligens, Beatam Virginem nulli peccato actuali fuisse obnoxiam, atque hinc à peccati etiam originalis reatu absolvendam; dum tamen Augustinus aperitissimè iterum in laudato ex opere contra Julianum testimonio solum excipiat Christum, testatus, *nullum esse hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia etiam nullus sit hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Ut ut enim in proximè antecedentibus verbis à peccato originali ad peccata argumentetur actualia, de Christo scribens, *quod peccatum major fecisset, si parvulus habuisset,* nihil id tamen pertinet ad omnimodam Beatæ Virginis etiam à peccatis actualibus exemptionem, quam et si in loco, de quo hæcenus ex libro de *Natura & Gratia* agitur, aliquatenus infinuavit, non tamen intelligendum esse, quasi verè fuerit exempta, jam satis ostensum est. Accedit, alibi non semel ita de Virgine Beatâ scribere Augustinum, ut non obscurè videatur statuisse, eam peccatis etiam actualibus fuisse obnoxiam. Unus instat plerumque esse & sufficere potest locus ex libro de *Fide contra Manichæos* delumtus, ubi sequentem sibi factam objectionem exhibet: *Quare Christus negavit Matrem suam, quando ei dixit, Quid mihi & tibi est Mulier? & quando, cum ei nuntiasset, quod cum vellet videre, respondit, Quæ est Mater mea, aut qui sunt fratres mei? atque hos potius in hunc cooptavit adfectum, qui facerent voluntatem Patris sui?* Et respondet, ideo factum hoc esse, quia exemplo suo jam docebat, negandos esse parentes terrenos propter Deum; opera enim divina facienti terrenis obstrepere non debebat adfectus. Terrenus inquam adfectus obstrepere non debebat. Vide hic, lector, & considera, an hoc obstrepere, & terrenus hic adfectus absque peccato fuerit actuali, & annon eomet ipso Augustinus, non obstante exceptivâ, Beatam Virginem Deiparam ejus fecerit & accusaverit ream? Atque ita satis est factum instantiis Bellarmini, per quas lectori voluit persuasum, Augustini sententiam hanc exceptivam, quâ ferè solâ, certè primariâ & ante omnes alias, nuntantur immaculatæ Conceptionis Patroni, non de actualibus tantum peccatis, sed de originali etiam intelligi debere, ostensumque, et si id locum habere exque Textu demonstrari posset, non id tamen de omnimodâ & reali exemptione intelligendum esse, Augustino tantum in disputatione ad hominem indicante, quid sibi in hac materiâ visum fuerit observare propter honorem Domini.

Nunc antequam in his Augustini Vindicis pergam, prætermittere non possum, ut significem, mihi, dum hæc scribo, ad manus veniserecens & è Typographiæ carceribus adhuc quasi calidum opus *Theodori Moreti*, è Societate Ignatii scriptoris, sub titulo *Principatus incomparabilis primi Filii Hominis Messia, & primæ Parentis-Matris-Virginis, in illius Conceptione immaculatâ exhibiti*, cum adpendice Tractatu *Petri Aureoli*, integro seculo Concilium Basileense ejusque Informatorem antecedentis, de eodem argumento, aliisque, quæ ad rem hanc pertinere videbantur, imprimis Responso *Johannis Everardi Nidhardi*, ex eadem Societate, Ex-confessarii Regina Hispaniarum, & hujus loco Cardinalis, ad rescriptum *Johannis Martinez de Prado*, ordinis Prædicatorum, primarii in Universitate Complutensi Professoris, & electi in Hispaniæ Provinciâ Provincialis, super eadem Controversiâ; quàm hoc ipso docetur nondum esse sopitam omninò, quod ex citatis antè *Marcelli Sideri* & *Balduni Helenocci* scriptis confirmatur. Equidem & *Aureolus* in Tractatu ante plusquam tria secula scripto, & *Moretus* in opere hocce suo, quo post omnes alios hoc argumentum illustrare suscepit, non pauca ad Augustini auctoritatem vindicandam pertinentia exhibent, quæ tamen omnia in eis continentur, quæ ex aliis fuerunt adducta, & nunc ordine suo vindicias expectant. Id tantum exinde placet notare, utrumque hoc Augustini ex libro de *Natura & Gratia* testimonium, quod hæcenus ab instantiis Bellarmini fuit liberatum, & porro ab aliorum exceptionibus liberabitur, iniquius, quàm rei gravitas requirit, habuisse. *Aureolus* quidem, et si agnoscat, loqui Augustinum de peccato actuali, quod contra Bellarmini instantias potest inservire, ipsa tamen sancti Doctoris verba hunc in modum proponit, ut Textum intepixisse non videatur. Dicit, quod Augustinus propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccato agitur, de Maria velit haberi questionem, sibi (scribere voluit ei) enim collatam esse gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum, ex eo, quod concipere & parere debuerit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Moretus autem, provocans ad hanc ab *Aureolo* factam citationem, ita hoc testimonium proponit, quasi Augustinus scripsisset, quoties de peccato loquatur, tunc velle se Filium Dei & ejus Matrem pro exceptis & exclusis haberi, & iterum post pluram hanc rem congesta agnoscens, Pelagium

cap. 25.

Tract. r.
c. 4 n. 129.lib. I. c. 10.
num. 34.

lib. II. c. 5.
n. 313.

lagium objecisse Augustino, ipsam Domini ac Salvatoris nostri Matrem sine peccato confiteri, necessum esse pietati, ut vel unam saltem personam nulli peccato originali aut actuali infectam Augustino exhiberet; Augustinum mox respondisse scribit, *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere questionem, & hanc addidisse causam, quia scimus, quod ei plus Gratiæ fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.* Nota bene, lector optime, an *Pozæ* supra habuerit causam conquerendi contra adversarios, omnia serè *Antiquorum Patrum*, & ita etiam Augustini, contra immaculatam *Deiparæ Conceptionem* testimonia ab aliis esse depravata, aut truncata, aut conserta, aut infirma. Unicus certè hic locus Augustini testatur, quàm non opus habuerit *Pozæ* hanc adversariis dicam scribendi, cum in propria domo inter immaculatæ Conceptionis patronos inquisitionem institueret, non una hujus criminis, cuius alios facit reos, invenisset documenta satis manifesta. *Bellarmino* hoc testimonium contra Augustini mentem & meliorum Codicum fidem citanti sententia jam est dicta, unde constare potest, quid de citatione ejus à *Petro Aureolo* facta sit habendum, quæ à *Bellarminiana* non ita multum abluvit; qui tamen *Aureolus* forsitan exinde aliquam meretur excusationem, quod Codice videtur usus corrupto, integro nimirum seculo ante inventam *Artem Typographicam* Manuscriptis antiquioribus & accuratioribus non cuicumque obviis. Hac autem excusatione fidem liberare non potest *Moretus*, post ostensam loci lectionem veram Codicibus impressis firmatam nihilo tamen minus eam ita depravatam & alieno sensu perversam sistens, ut si Augustino daretur hodiè eam inspicere, nihil in ea, quod suum esset, posset agnoscere, utpote verbis apertissimis exceptionem Christi distinguens ab exceptione Virginis Beatæ in materia de peccatis, de Christo nimirum testatur, quod constat, videlicet è sacris, eum nullum habuisse peccatum, de Maria autem è contrario, nesciti, quod ei plus Gratiæ fuerit collatum ad vincendum omni ex parte peccatum, plus inquam Gratiæ quam laudatis ex utroque Testamento sanctis & Viris & Fœminis. Et tamen ausus fuit *Moretus*, simul in societatem falsationis & depravationis *Aureolum*, ad quem provocat, iniquè quamvis attrahens, verba Augustini ita proponere, quasi una eademque ratione & modo Filium Dei & ejus Matrem pro exceptis habuerit & exclusis; neque id solum, sed id etiam pro causa citans, cur Augustinus voluerit Matrem Dei exclusam, quam potius rationem esse voluit, cur in honorem Domini, id est, Filii id faciat, quo respectu non fuisset opus, si ex sacris cognitum habuisset, quod ei plus Gratiæ fuerit collatum, quam aliis. Jam si, quid alii de hoc Augustini testimonio in gratiam Conceptionis Immaculatæ fuerint commenti vel commentati, postò videamus, patebit, hunc locum præ aliis pluribus fuisse in hoc argumento vexatissimum. Nempè proximo post *Aureolum* seculo productus supra Concilii Basiliensis Informator eum, si dicere auctor scribere verum licet, non parùm deformavit, adfuitis ei quibusdam verbis, quæ in Editione *Parisiâ*, & fortè etiam in aliis non habentur, nec haberi sine mentis Augustinianæ manifesta eversione possunt. In allegatione enim tertia, ad septimum è sermone de Assumptione Virginis (de quo post) testimonium, ubi hunc ex libro de *Natura & Gratiâ* locum adduxit, eo tenere, quo à *Bellarmino* & aliis factum, particula *inde* pro *unde* substituta, & signo interrogationis omisso, sequentia quasi ipsius Augustini verba adjeicit: *illa autem Virgo singulari Gratiâ est præventa atque repleta, ut ipsum haberet Venitur sui fructum, quem ex initio universitas habet Dominum.* Addit Informator, hic potius deformat, attendendum esse verbum, *Gratiâ singulari præventa*; hoc est enim, inquit, quod ostendere nitimur, quod præveniente in eam singulari Gratiæ dono non contraxerit culpam originalem. Sed dum hæc verba non ex Augustini pennâ fluxerunt, nec etiam fluere poterunt, nisi una eademque paginâ sibi met ipsi contradicere & contradictoria scribere voluisset; nullum omnino merentur responsum, quæ suspectus hic Informator exinde induit deducere, utpote infirmo nixa fundamento, si non planè nullo. Quod ipsam verò exceptionem attingit, quâ Augustinus Beatam Virginem voluit propter honorem Domini, ubi de peccatis agitur, exceptam nullamque de ea haberi questionem, magnificè nimis de ea sensit Informator, ita scribens loco citato: *Ex hac auctoritate unum speciale habetur, quod, si in hoc libro, in quo quasi præ omnibus aliis Augustinus ostendere nititur, omnes sub peccato inclusos esse, hanc singularem faciat de Virgine Beatissima exceptionem, quidquid dixerit in aliis peccati materiis, etiamsi mentionem faciat de Beatissimi Virgine, non sit intentionis suæ, eam sub peccato, quasi ipsa culpabiliter fuerit aliquando peccati reo,* inclu-

includere. Unde ex ista exceptione, quam hic Augustinus facit, adparet, sufficienter responderi posse ad omnes Augustini auctoritates, quæ in hac materia sunt ex adverso allegatae generali & specifico sermone, attentò, quod dicit, nullam prorsus Quæstionem, quare nec de hoc voluit esse dubitandum. Est enim manifestum, quod, quando à generali dispositione semel fit specifica exceptio de aliquo, illud nunquam sub generalibus verbis censetur includi, quantumcunque eadem ratio adversus hoc singulare, quod exceptum est, sicut contra alios, militare videatur; siquidem jam semel, non obstante illa ratione, judicatum est, non includi debere, nisi forte de prima exceptione fieret mentio expressa & revocaretur. At julto generalius hanc exceptivam locutionem intellexisse Informatorem, atque hinc non ita benè Concilii Basiliensis Patres eum informasse, ex iis, quæ supra ad eam fuerunt observata, manifestum est; & plus omnino requiritur, ut cæteris sancti Doctoris auctoritatibus, quæ solum excipiunt Christum, fiat ex asse satis, id quod sequentes earum Vindiciæ sufficienter demonstrabunt. Ea inter pergendum amplius est in ulterioribus hujus adhuc testimonii vindiciis, utpotè quod omnibus modis adversariae parti contrarium voluit Informator, multa de eo dicens, ut obtineat, inservire illud ad demonstrandam Beatæ Virginis Conceptionem immaculatam. Hinc in Allegatione septima ad medium ex rationibus auctoritate Doctorum firmatis tertium varia excogitavit, quæ ad hoc institutum pertinere videbantur, inprimis Lombardo, Sententiarum Magistro se opponens, qui hanc exceptivam Augustini locutionem de Maria Virgine intelligendam esse dixit post *Filii Conceptionem*, adeoque non de originali peccato, sed de peccatis actualibus. Illud enim ut evertat, suamque adstruat de Beatæ Virginis à peccato etiam originali juxta Augustinum (scilicet) exceptione sententiam ad ipsum provocat augusti Patris de *Natura & Gratia* librum, libri titulum & argumentum, auctorisque scopum & intentionem, id est, si paucis rem hanc expedire velimus, ipsum Controversiæ & Quæstionis statum, quæ Augustino fuit cum Pelagianis, utpotè ex quorum omnium attenta consideratione evinci posse putavit Informator, ipse non pauca opus habens informatione, non de actualibus peccatis, sed principalius de originali peccato hoc testimonium, sicut & totum huncce librum esse intelligendum. Verum præter id, quod ipsa series libri, & producta ex eo superius ex antecedentibus & consequentibus testimonia plus satis evincunt, non solum de peccato originali; sed peccatis etiam actualibus quam maxime Augustino cum Pelagianis fuisse disputationem; ostensum est insuper, etiam si & integrum opus, & nominatim hoc testimonium, de quo hætenus, exceptivam continens locutionem, ageret & intelligendum esset principalius de peccato originali, de quonon agere nec intelligendum esse, claritas verborum exinde laudatorum docet satis superque; non tamen sequi, omnino, realiter & verè exceptam & exclusam ab eo fuisse Virginem Beatam, sed Augustinum ex mente propria & privatâ, non publicâ totius Ecclesiæ, ne impius & injurius in Matrem Deiparam videretur, de quâ necessum esse pietati jam tum putaverunt Pelagiani, *Eam sine peccato confiteri*, connivendo quasi & condescendendo, disputans ad hominè, ac aliquid adversariae parti ob causâ principalis bonitatem concedens, & quod notanter exprimit, *propter honorem Domini*, in hoc de peccatis argumento noluisse habere (active, non passive, haberi) quæstionem vel mentionem de eâ, hac tamen additâ protestatione observatu dignissimâ & nunquam negligendâ, non se solum, sed omnes nescire, quod ei plus Gratia fuerit collatum, quàm aliis Adami & Evigenis, sicut è contrario de Christo constat, ex indubitatis nimirum & perspicuis S. Scripturæ otaculis, *Eum nullum habuisse peccatum*; quod omnino hic iterata vice inculcari debuit, ut omnibus instantiis adversariae partis ex debito eatur obviam. Et si hæc probè attendantur facillimum quoque erit respondere ad ea, quæ Nierembergii post Bellarminum & alios de hoc Augustini testimonio in *Exceptionibus Concilii Tridentini* expensis scripsit, ut Mariæ Virginis à peccato originis immunitatem ejus auctoritate tueretur.

NB.

Una tantum restat instantia, breviter refellenda, quâ ostendere & evincere laboravit, non valere responsum, si dicatur, Augustinum loqui in hoc testimonio de peccatis solum actualibus, quia alioquin debuisset etiam excipere *Innocentes ab Herode occisos, parvulos baptizatos, Johannem Baptistam, qui actuale peccatum non habuerunt, aut habent*, scribit Nierembergii. Sed instantia hoc infirmo stat tali, imò planè nullo. Id si exemplo infantum baptizatorum ex Augustino ostenderetur, de cæteris infirmandis nullum erit super negotium. Bellarminus quidem libro proximè sequenti, ac capite ejusdem tertio, *Evangelicos infantibus prorsus motus cordis adscribendo, cum Augustino*

lib. I. de
peccat.
merit. c. 35.

vid. c. 54.

NB.

scribit pugnare, Pelagianos quosdam ridente, qui in infantibus recens natis actualia esse dicebant peccata. Verum si laudatam Augustini disputationem cum Pelagianis attentè quis evolvat, nullum sancti Doctoris risum ob tributa infantibus recemer baptizatis actualia peccata observabit, sed è contrario potius non paucum dolorem ob miseriam hominis à primâ, quod ajunt, nativitate peccatis etiam actualibus obnoxii. Nimirum disputat sanctus Doctor contra Pelagianos, in hac quæstione de peccatis parvulorum inter se dissidentes, quibusdam omninò parvulos ab omni peccato & originali & proprio puros & liberos defendentibus, aliis autem eos jam natos propria contraxisse peccata, à quibus per Baptismum eos oporteat purgari, existimantibus. Quamvis vero Augustinus in harum sibi invicem certâ ratione oppositarum opinionum discussione dicat, priores in ipsa natura humana bene vidisse, quod facile sit, et ætatem illam in sua jam vitâ propria nihil posse peccati contrahere, quæ Augustini sententia Bellarmino & Nierenbergio favere videtur; non prætermittendum est tamen ejus judicium de opinione posteriorum, eos nempe intruendo scripturas & auctoritatem totius Ecclesiæ & formam ipsius sacramenti bene (NB) vidisse, per Baptismum in parvulis fieri remissionem peccatorum, non peccati solum originalis, sed peccatorum quoque actualium. Quid ergo: an Augustinus uno eodemque loco sibi met ipsi contraria scripsit, ac oppositas Pelagianorum sententias simul esse veras dixit? Atqui potuisset ita videri in re ferri ludere, ac se Adversariis ridendum proponere. Non ergo credamus, tam ineptum disputatorem fuisse Augustinum, & tam omnis Logicæ artis ignarum, quinon unos veritatis hostes, inter quos Pelagiani illo tempore principatum ferè obtinebant, tam gloriôsè & maximo cum Ecclesiæ adplausu vicit ac prostravit; sed ex ipso disputationis actu videamus, quid per peccata propriæ vitæ voluerit intellectu, & qualiter peccata majoris ætatis à propriâ voluntate provenientia distinxerit à peccatis ætatis minoris & adhuc imbecillioris, atque sic Augustino secum optimè conveniet. Exhibent hoc discrimen ipsa Patris augustissimi verba, quibus se Pelagianorum posterioribus videtur opposuisse, sed videtur saltem. Ita autem scribit: *An & hoc quæsturi, & de hoc disputaturi, & tempus ad hoc impendendum, ut probemus, atque doceamus, quomodò per propriam voluntatem, sine quâ nullum vitæ propriæ potest esse peccatum, nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes? Nonne tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nullâ omninò præcepti capacitas, nullus vel naturalis vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multo testatiore silentio, quàm sermo noster proclamat atque indicat? Valeat aliquid ad persuadendam seipsam ipsa evidentia. Nam nusquam sic non invenio quod dicam, quàm ubi res, de quâ dicitur, est manifestior, quàm omnè, quod dicitur. Vellem tamen, quisquis hoc sapit, diceret, quod peccatum viderit vel putarit infans ab utero recentis, cui jam redimendo Baptismum fatetur necessarium; quid mali in hac propria vitâ suâ per animum propriumve corpus commiserit? Si forte, quod plorat, tatioque est majoribus? Mirum, si hoc iniquitati, non infelicitati potius deputandum scitur? At hoc ignorantia est, in quâ jacet profundissimâ, quâ etiam Matrem, cum post exiguum tempus valuerit, percussit iratus, & sæpè ipsas etiam mammæ, quas dum esurit, exugit. Hæc non modò feruntur, sed etiam diliguntur in parvulis, & hoc quo adfectu, nisi carnali, quo etiam risus jocusque delectat, acutorum quoque hominum ipsa quasi absurditate conditus; qui si eo sentiretur modo, ut dicitur, non jam illi tanquam faceti, sed tanquam fatui riderentur. Ipsos quoque fatuos videmus, quos vulgò Moriones vocant, ad cordatorum delicias adhiberi, & in mancipiorum æstimatione pretiosiores esse cordatis. Tantum valet carnalis adfectus etiam minime fatuorum in delectatione mali alieni. Nam cum homini jucunda sit aliena fatuitas, nec ipse tamen talis esse voluisset, & si suum filium parvulum, à quo garriente Pater talia lætus expectat & provocat, talem sciret esse futurum, cum creverit, nullo dubitaret modo, miserabilius lugendum esse, quàm mortuum. Sed dum spes subest incrementorum, & ingenii lumen creditur accessurum ætatis accessu, fit, ut convitia parvulorum, in Parentes etiam, non solum injuriosa non sint, verum etiam grata atque jucunda; quod quidem nemo prudentium probaverit, ut à dictis vel factis hujusmodi non tantum non prohibeantur, cum prohiberi jam possunt, verum in hæc etiam concitentur, stultioridendi & vanitate majorum. Nam plerumque ætas illa jam Patrem Matremque agnoscens neutri eorum audeat maledicere, nisi ab altero eorum aut ab utroque vel per.*

permissa vel iusta. Verum hæc eorum sunt parvulorum, qui jam in verba prorumpunt, & animi sui motus qualibuscunque signis linguæ promittare jam possunt. Illam potius recentium natorum profundissimam videamus ignorantiam, ex qua ad istam non permanfuram balbutientem fatuitatem, tanquam ad scientiam locutionemque tendentes, proficiendo venerunt. Illas, inquam, consideremus tenebras, mentis utique rationalis, in quibus & Deum prorsus ignorant, cujus sacramentis etiam, cum baptizantur, *obsistunt*. Et post aliqua: *An nullum est ignorantia malum, & ideo nec purgandum? Et quid illa vox ait: Delicta juventutis & ignorantia ne memineris? Est enim damnabiliora sunt peccata, quæ à scientibus committuntur, tamen si peccata ignorantia essent nulla, hoc non legeremus, quod commemorari.* Debuerunt omnino hæc, ut aliquantò prolixiora exscribi, ut adpareat, Augustinum hic loci sententiam Pelagianorum quorundam de peccatis infantum recens natorum actualibus non ridere, ut Bellarmino fuit visum, sed deplorare potius, ut dixi generis humani miseriam, ob peccatorum quoque actualium in infantibus à primâ ætate observationem, quæ etsi distinguat à peccatis in crescentis ætatis profectu, & quæ per propriam voluntatem fiunt, ea tamen infantibus etiam recens natis adscribit, quorum si accurata fiat consideratio, facile docebunt, in numero actualium peccatorum recenserit debere. Hinc adfectum dicit *carnalem* parentum, quo eam infantibus recens natis non modo ferunt, sed etiam diligunt, eomet ipso damnans, quasi *delectationem mali alieni*. Inde est, quod hæc & talia Parentes *miserabilius, quàm infantes mortuos lugere* esse censet. Atque huc in primis pertinet deplorata ab eo, non irrita, infantium recens natorum ignorantia, quam vocat *profundissimam*, cujus malum dicit *Sacramento Baptismi* purgandum, aque eo provenientia juventutis delicta agnoverit & deprecatus apud Deum fuerit Paltes Regius, peccata nimirum *damnabilia*, quamvis ea sint *damnabiliora*, quæ à scientibus & in provectioni ætate constitutis perpetrantur. Talia certè hæc sunt, quæ Augustino risum movere non potuerunt, quin potius ferium dolorem excitaverunt, uti in memoriam sibi revocavit, suam quoque primam ætatem & infantiam his obnoxiam fuisse malis. Nam si Doctorem sanctum in *Confessionibus* ad Deum audiamus, nulli risus, plurimâ verò ferri doloris documenta observabimus. Notanter ibi inter alia legimus: *Quis me commoneat peccati infantia mea; quoniam nemo mundus à peccato coram me, nec infans, cujus est unius diei vita super terram? quis me commoneat? an quilibet tantillus nunc parvulus, in quo video, quod non memini de me? Quid ergo tunc peccabam? an quia uberibus inhiabam plorans? Nam si nunc faciam, non uberibus quidem, sed Esæ annis meis congruenti ita inhians, deridebor atque reprehendar justissime. Tunc ergo reprehendenda faciebam; sed quia reprehendentem intelligere non poteram, nec mos reprehendi me, nec ratio sinebat; nam extirpamus & ejicimus ista crescentes, nec vidi quemquam scientem, cum aliquid purgat, bona projicere.* An pro tempore etiam illa erant bona, stendo petere etiam quod noxiè daretur, indignari acriter non subjectis hominibus liberis & majoribus, hisque, à quibus est genitus, multisque (fortè multum) præterea prudentioribus, non ad voluntatis nutum obtemperantibus, feriendo nocere niti, quantum potest, quia non obeditur imperis, quibus permittosè obediretur? Ita imbecillitas membrorum infantium innocens est, non animus infantium. Scilicet. *Vidi ego, inquit porro Augustinus, & experius sum zelantem parvulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro adpectu suum collactancum. Quis hoc ignorat? Expiare se dicunt ista Matres atque Nutrices, nescio, quibus remediis. Nisi verò & ista est Innocentia, in fonte lactis ubertim manante atque abundante, opulentissimum, opis egentissimum, & vitam illo adhuc uno alimento ducentem non pati consortem. Sed blande hæc tolerantur, non quia nulla vel parva, sed quia ætatis accessu peritura sunt, quod licet probes, æquo tamen animo ferri eadem ipsa non possunt, quando in aliquo anno fore deprehenduntur. Sufficere hæc possunt & debent ad ostendam instantia ab infantibus recens natis desumptæ nullitatem, quæ Nierembergus infringere voluit veritatem sententiæ, Augustinum in vindicato hæctenus testimonio de peccatis egisse actualibus, non autem de peccato originali. Accedere nunc jubet ordo ad ea, quibus contra immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem usus est ex Augustino Chemnitzii, Bellarmino, ut ad ea respondeat, occupatissimo. Et quia primum ex numero eorum idem est cum eo, quod jam prolixè satis tractavimus, & quo solo Bellarminus pro sententiâ, ut vocatur piâ militavit, brevius jam illud expediri poterit. Nimirum Chemnitzii observationem circa illud quod attinet, certum est, si datum fuisset ei aliquam*

de corrupto Augustini textu habere suspicionem, eum vix huic observationi inhaerentem; sublato enim mendo & indicata correctione, omnia melius fluunt, neque opus est ad talia devenire, re per se satis manifestâ, quamvis Bellarmini distinctio inter Naturam & Gratiâ, & instantia à Protoplastis mutuata observationem *Chemnitii* non infirmet. Nam si Gratiâ in ipsa animæ infusione, (ad hypothesein Bellarmini scribo, mox amplius examinandam) prævenit originale peccatum, id vicissè Virgo Deipara proprie dici non potest, quod nunquam habuit sibi adversarium; & si per singulare hoc Gratiâ prævenientis donum (id quod iterum intelligi debet ad hominem) à primo instanti animationis caruit originali peccato, nulla opus fuit ulteriori Gratiâ ad vincenda peccata actualia, quia radice succisa nullus ex hac arbore fructus expectari potuit. Estque par omni ex parte impar, multaque disparitas inter hanc Gratiâ, quam Virgini Deiparæ collatam scribunt omnimodæ puritatis ejus defensores, & inter Gratiâ Protoplastis primùm divinitus collatam, utpotè quam non supra naturalem, sed omninò naturalem fuisse, ex Augustino supra fuit ostensum. Ut adeò *Chemnitii* observatio contra immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem ex hoc Augustini testimonio, stante etiam ejus mendo, quod in quibusdam adhuc legitur Editionibus, per Bellarmini responsum non responsum adhuc possit, imò debeat obtinere & vincere. Sed & neque ad *secundum* *Chemnitii* ex Augustino testimonium Bellarminus quidquam attulit, quod non aerem feriat. Certè enim sufficit exindè probari, neminem esse præter Christum, qui ex vi generationis non traxerit originale peccatum. Et quia Augustinus expressè solum excipit Christum, nullibi de peccato agens originali hanc exceptionem ad Virginem quoque Deiparam extendens, *singulare illud donum Gratiæ*, per quod illa etiam excipitur, demonstrari debet & sufficienter ex probato quodam documento probari, id quod etiam contra malum Concilii Basileensis *Informatorem* notari hic par est, qui ad primum ex rationibus *medium* hac Augustini ex libro de *Fide ad Petrum* auctoritate firmatum, eodem modo elabi conatur, *singulare aliquod Gratiæ auxilium* in Conceptione Virginis Deiparæ præterens, ac inter id, quod ex virtute & communi cursu Naturæ, & id, quod ex operatione muneris divini singularis fit distinguens, quam quidem distinctionem non difficulter admitterent Evangelici, si rite & cum ratione applicaretur, id est, si aliquid ostendi posset fundamentum, undè constaret liquiddè, in Conceptione Virginis Deiparæ aliquid præter ordinariam naturæ virtutem ex singulari Gratiæ auxilio accessisse, cujus neque scriptura sacra, nec ex ea Augustinus ullam ullibi fecit mentionem. Etsi enim nusquam dicat expressè, quod Beata Virgo communi cursu & lege concepta originale contraxerit peccatum; sufficit tamen, cum inter omnes solum excepisse Christum, qui sine peccato conceptus & natus sit, utpotè quâ ratione alios omnes fecit pares, omnemque modum exclusionis amplioris præclufit. Debet autem interpetitiones principii ac postulata nondum probata referri, quod in extensione hujus divini favoris *Informatorem* etiam in numero eorum, qui sine peccato originali sunt concepti & nati, recenset Johannem Baptistam, Jeremiam & alios, utpotè in *usuro Matrum sanctificatos*; quoniam illa sanctificatio alium longè habuit respectum, quam ut per eam ab omni, adeoque etiam ab originali peccato fuerint liberati, cum & hujus rei nullum planè habeamus in sacris literis indicium. Ineptum est præterea, si non omninò blasphemum, quod, dum in eodem libro de *Fide ad Petrum*, præeunte Apostolo, Christus dicitur peccatum factus pro nobis, id est, *sacrificium pro peccatis nostris*; *Informatorem* Basileensis hanc peccati significationem, quam nescio quâ de causâ dicit distrahentem ab intelligentiâ, locum in solâ Christi personâ habentem, ausus fuit etiam ad Virginem Deiparam applicare, non sine manifestâ unci Sacerdotis summi & sacrificii verè expiatorii injuria & honoris ei solum debiti detractio. Ut verò etiam dicatur, Augustinum tanquam vehementissimum hæreticorum confutorem, sicut in aliis *Questionibus* controversis, ita hic quoque ad *alterum veritatis extremum declinasse*, & dum Pelagianum adfirmavit, parvulos nullum contrahere peccatum originale, *visum fuisse in pena gustum excelsisse*, & directè illis contradicendo, communiter sub terminis universalibus fuisse locutum, *Christum frequenter non excipiendo*, illud quidem, quod excessum attinet, demonstrari debet, inque rem præsentem veniendum est, quia sub terminis hæc universalibus de peccato agens originaliter actualibus nihil aliud docuit, quam quod ad ductum S. Literarum docere eum oportuit. Quod verò Christi personam non semper nominatim excepit, id nulla ratione alia est factum, quia id in controversiam non venit, alibi tamen frequentius & vicibus sæpissimè iteratis eum & quidem semper solum excipiens,

cupiens, id quod de Virgine Maria nullibi legitur, si unum ex libro de *Natura & Gratia* testimonium excipias, quod tamen hanc rem non juvare, sufficienter & prolixè satis est ostensum.

Ad tertium ex libro de *Perfectione Iustitiæ* testimonium nimis frigide responder Bellarminus. Dum enim negare non potest, Beatæ Virgini necessariam fuisse peccatorum remissionem, & Christum ejus quoque, ut omnium cæterorum hominum fuisse redemptorem, ne illud sententiæ de immaculata Conceptione & omnimoda ejus puritate ab omni peccati labe videatur ob stare; fingit absurdissimè, remissa ei fuisse peccata, non in quæ incidere, sed in quæ incidisset, nisi Gratia Dei per Christi meritum fuisset præventa, ausus illud duplici è Psalmorum libro, addito etiam aliquo Augustini testimonio, impertinentissimè quamvis confirmare. Quasi verò de Protoplastis, si in statu innocentia & obedientia constanter permansissent, potuisset dici, remissa eis fuisse peccata, non in quæ incidere, sed in quæ incidissent vel incidere poterant, nisi Gratia Dei per Christi meritum, quod in illo statu non fuisset necessarium, fuisset præventi. Nec regii Pfaltis verba, ad quæ Bellarminus tanquam huic sensui congrua provocat, tale quid exhibent. In prioribus quidem gratias Deo agit, quia liberavit se à talibus peccatis, ut Augustinus explicat, per quæ deduci posset ad tormenta inferni inferioris, id est, ut ipse Bellarminus etiam agnoscit, quia ex magna misericordia sua, non ex meritis ipsius supplicantis, eruerit animam ejus ex inferno inferiore, id est, justificaverit eum à peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem descensus erat, nisi per Gratiam liberatus fuisset. Verum audebitne aliquis Bellarmini hyperaspistes eum dicere justificatum propriè à peccatis, quæ non fecit, sed facere poterat, nisi ab eis fuisset præservatus? Exempla de Medico hominem à morbo imminente per fidele consilium præservante, de Patroño dicentem è carcere, debitorem à suspendii poenâ liberante, quæ Augustinus ad illustranda Davidis verba adhibet, huc non quadrant; cum aliud sit præservare hominem à morbo, aut eum liberare ab hac vel illâ poenâ, cui ex debito est obnoxius, aliud autem remittere peccata, quæ quis non fecit, etiam facere, nisi præservatus, potuerit. In posterioribus ver-
bis idem regius Pfaltis Deo gratias agit pro beneficio corporali, id est, ut iterum Bellarminus interpretatur, pro victoriâ illustri contra Goliathi gladium malignum obtentâ, à quo beneficio, quod insigne erat, ad beneficium remissionis peccatorum argumentari, eorum scilicet, quæ quis non fecit, sed facere potuit, nihil est aliud, quàm argumentari à baculo ad angulum, & consequentias necere non nisi inconsequentes. Quæ Informator Basileensis ad hoc ex libro de *Perfectione Iustitiæ* testimonium notavit, nimirum, non sine Mediatore Christo, sed per ejus singularissimam atque abundantissimam præ omnibus aliis Gratiam fuisse Virginem Deiparam in Conceptione à peccato originali liberatam, ne incurreret illud, ita ut amplius in ipsa resplenderet fructus redemptionis, quàm in aliis; novitatem sapit in Theologiâ sacrâ non tolerandam, de fructu redemptionis Christi ita nos informantem, quatenus inservit ad remissionem peccatorum, non quæ fieri poterant, & quæ absque Gratiâ præveniente facta fuissent, sed quæ facta sunt verè, cum non entis nullæ sint prædicationes, & nulla debiti nunquam contracti, etiam potuisset contrahi, jure desiderari possit solutio, adeoque si homo non peccasset, nullus sub sola peccandi potentia redemptor necessarius fuisset, quod alibi probatum est.

Quartum nunc super adhuc est Augustini testimonium, quo Chemnitius contra immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem est usus, & ad quod Bellarminus respondere, satisque eidem facere laboravit. In eo dum Augustinus iterum expresse solam Christi carnem excepit, ne dicatur caro peccati, è contrario de Maria Virgine testatus, quod corpus, id est, caro ejus inde venerit, nimirum ex carne peccati; negare quidem non potuit Bellarminus, carnem Beatæ Virginis fuisse carnem peccati, sed provocans tamen ad singulare privilegium Gratiæ, seipsum fecit debitorem ad ostendendum hujus Privilegii tabulas, quæ omnino hic requiruntur, imò semetipsum labyrintho nexu intricavit, dum Beatæ Virgini hoc Privilegium adscripsit quidem, quod caro ejus à Conceptionis, id est, ut communiter explicant, animationis momento non manserit caro peccati, quia à peccato originali præservata, & tamen si more solemni ex complexu virili concepisset filios, scribere non veritus, illam ejus prolem minimè originali peccato fuisse carituram, sicut è contrario Christus, si liberos gignere voluisset, sine controversia absque originali peccato genuisset, quæ qua ratione & modo inter se possint conciliari, ii videant, quibus curæ debet esse, ne Bellarminus,

nus,

nus sicut alias non semel, ita & in hac Controversiâ, quæ non planè nullius, sed maximi omninò est momenti, contraria inter se & sibimet opposita scripsisse videtur. *Informatore* Basileensis in responsione ad Augustini testimonia, quæ secundum ex rationibus *medium* suo producit numero, præter id, quod in genere observat, peccatum sæpè in scripturâ accipi pro *pænâ peccati*, illud in specie notat, quod ubi caro Virginis Deiparæ ab Augustino dicitur *caro peccati*, non id simpliciter debeat intelligi, *quasi culpabilis sit ipsius persona vel anima*, sed determinatè duntaxat, referendo se ad carnem vel mortem, certumq; sit, *in carne non esse peccatum, prout culpa dicitur, ex quo persona dicitur odiosa & abominabilis Deo*. Sit ita peccatum sumatur in scripturâ pro *pænâ peccati*. At potestne in aliquo esse *pænâ peccati*, in quo nullâ præcessit culpa? Et quomodo non posset simpliciter de personâ Virginis intelligi, quando ejus caro dicitur *caro peccati*, si certum est juxta *Informatorem* malè informatum, *in carne non esse peccatum*, prout culpa dicitur, id quod in secuturis quoque ad alia responsionibus erit ulius?

Prolixior hic est *Fassarus*, Trutinator Panormitanus, Syllogismo rem conficere laborans, ne dum Virgo Deipara dicitur ab Augustino carnem peccati habuisse, illud de roto intelligi debeat supposito, adeoque etiam de animâ: cujus tamen integra subruitur structura, si juxta *Informatorem* Basileensem sit certum, *in carne non esse peccatum, prout culpa dicitur*. Estque illud omninò contra Trutinatorem, quod ipse, nescio, quâ ductus imprudentiâ, pro se ex Augustino adduxit, eo videlicet modo peccatum adscribente carnî Virginis in Conceptione, quo ostendit, *ejusmodi carnem peccati non posse, neque per dementiam Christo adscribi*, quo nihil manifestius ab Augustino ad indicandum discrimen inter Conceptionem Filii & Matris, illius omni modo & ratione puram, hujus verò cum cæteris Adami & Evigenis communem, dici & scribi potuit. Absurdum quoque est, & Trutinatore indignum, scribere, concipi in peccato, loquendo de carne (quod *Informatore* jam vidimus esse adversum) *posse dici competere conceptioni etiam carnali ipsius Christi, si non divino genitus fuisset modo*: Si enim illud comparationem hanc tollit, ac illationem indè factam ostendit esse nullam omninò. De cætero iustit, Patres Ecclesiæ, & inter illos Augustinum, hac locutione, quod Beata Virgo habuerit & acceperit in Conceptione carnem peccati, intellexisse *carnem transfusam originalis peccati, vel carnem naturæ corruptæ & non integræ, & habentis fomitem*, quia semper urgemus id, quod *Informatore* nobis suppeditavit, in carne, nimirum sola & anima apposita, id est in abstracto *non esse peccatum, prout culpa dicitur*, quod porrò contra aliorum quoque argumentationes, verius argutationes inservire poterit. Et quamvis divisos in hac re scribat Patres Trutinator, quod videlicet modum propagandi peccatum originale attinet, de quo jam non disputatur; nihil tamen hæc divisio impedit, quò minus certum sit apud omnes, ipsam propagationem esse malum commune, aq; eo neminem præter solum Virginis Mariæ Filium esse exceptum.

Et hætenus contra Bellarmini responsiones ad Augustini contra immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem testimonia à *Chemnitio* producta, iis etiam adjunctis & unâ simul expensis, quæ alii post Bellarminum ad ea duxerunt observanda. Sequitur jam Concilii Basileensis *Informatore*, de quo notari debet, eum & pro sententiâ, quam suscepit defendendam, & contra eam ex sententiâ adversarii, quem oppugnavit, non ejusdem vel paris æstimii & autoritatis ex Augustini testimonii usum & hinc iudicio discretionis in eorum examine opus esse. Ita quem in *Allegatione* secunda laudavit sermonem de *Nativitate Virginis*, omittens indicare, num in ordine sermonum de tempore, an verò sermonum de sanctis, & quo investigari debeat numero, rem ipsam fecit suspectam, quia non ignotum est, plures ex iis esse dubiæ autoritatis, ac Augustinum non agnoscere parentem. Certè verba, quæ ex hoc sermone tanquam Augustini laudavit *Informatore*, exhibentia sapientiam à Regio Parœmiastæ productam, quâ ratione septem columnarum excisione domum sibi edificaverit, Virgini Deiparæ adplicatam, vix permittunt credere, cum ab Augustino esse profectum, utpotè qui alibi longè alter hanc intellexit sapientiam, nimirum non corpus Matris, sed Filii, scribens: *Agnosceamus hic, Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patri coeternum in utero Virginali domum sibi edificasse corpus humanum, & huic tanquam capiti membra Ecclesiæ subiunxisse*. Et in eodem libro antecedenter, *Numero*, inquit, *septenario universa Ecclesiæ significata est perfectio, propter quod & Iohannes Apostolus ad septem scribit Ecclesias, modo se ostendens ad unius plenitudinem scribere, & in Proverbiis Salomonis hoc ante præfigurans &c.* Eadem suspicio est de sermone, quem de *Assumptione Virginis* *Infor-*

Prov. 9.

lib. 17. de Civ. Dei, cap. 20.

cap. 4.

Informator laudat in Allegatione *tertia* & post in *Avisamento*, ut vocat, secundo, utpote quem in eundem venire censum eum Tractatu hujus argumenti, non ita pridem à *Lambecio* in itineris Sacri Cellensis *Diario* post *Baronium* rejecto, non immeritò statuitur; ea enim continet, quæ facili operâ possent ostendi ab Augustino scripta & dicta non fuisse, neque dici & scribi ab eo potuisse. Ut alia quævis silentio præteream, illud observare placet, si juxta *Lambecii* notationem hoc Festum Assumptionis, quo hunc sermonem Augustinus habuisse vulgò creditur in Germaniâ & Galliâ, Caroli Magni tempore, sub seculi videlicet noni initium, *publicâ auctoritate nondum fuit confirmatum & sancitum*; non improbabiler credi, illud Augustini tempore, integris nimirum quatuor seculis ante, in Africâ vix fuisse ita solemniter celebratum Germanis pariter & Gallis non intermissuris sequi & imitari exemplum Ecclesiæ tam illustri Doctore fulgentis, & hujus Festi celebratione solenni non parvum Virgini Deiparæ honorem adscribentis. Quamvis igitur hujus sermonis, utpote non Augustinum agnoscens auctorem, auctoritate non teneamur, tamen ne quid prætermisisse videamur, quod ulla (rectius hic, nulla) ratione ad rem pertinere existimavit *Informator*, ad eum & in *Allegatione* & in *Avisamento* jam nominatis provocans, depromptis *septem* ex eo dictis, specialiter hoc argumentum illustrantibus, brevissimas observationes adjicere placet ad singula, eo ordine observato, quem supra ex *Avisamento* ipsum Informatorum adhibuisse vidimus.

Et quidem ad *primum* notet lector, si, ubi scriptura nihil commemorat specialiter de Virgine, ratione quarendum sit, quid conveniat veritati, ipsaque veritas fiat auctoritas; quam putet rationem adhibendum, ut veritas inveniatur, quæ auctoritatem possit facere? Consultissimum certè hic erit, & rationi quam-maximè consentaneum, eo niti fundamento, quod scriptura etiam generale exhibet, dum omnes in universum homines peccato & originali & actuali subjiciens solum excipit Christum, nullâ Matris Deiparæ factâ mentione, quam in honorem filii alicubi insinuare non omisisset, si verè excepta fuisset & è numero peccatorum exempta. *Secundum* ei superstruitur ratiuncula, quæ pariter indiget demonstratione, tantum præsupponens Virginis Beatæ sanctitatem, cui non conveniat, quod aliis omnibus Adami- & Evigenis sit commune. At sanctitas, quos Virgini Deiparæ adscribitur, considerari jure deberet tanquam effectus provenientis gratiæ & præservationis ab originali peccato in primo Conceptionis, vel juxta partis adversariæ hypothèses, animationis momento factæ, adeoque hanc illa præsupponat merito & prærequirat. *Tertium* à reatu penæ ad reatum culpæ quoad utriusque ablationem non concludit: Nimirum non sequitur, eum, cui ob magnitudinem gratiæ, quam à Deo accepit, & hinc dignitatis, itidem à Deo concessæ prærogativam in penâ communi aliquid condonatur, ab omni antecedente culpâ simul ita liberum esse debere, ut dicatur, nunquam ei obnoxius fuisse; aliàs de Enocho & Eliâ, quos sine mortis dolore vivos corpore & animâ ad sedes beatorum translatos fuisse, communior est Interpretum sententiâ, idem dicere cogeremur, eos ob magnitudinem gratiæ & dignitatis suæ prærogativam à damnabili opprobrio culpæ divinitus fuisse præservatos & exemptos. *Quartum* itidem hypothesi incertæ innititur, comparationem instituens inter resolutionem corporis Mariæ in cineres, & assumptionem originalis peccati tanquam labis hereditariæ à protoplastorum lapsu provenientis, dum hujus malum præ illo statuitur multò majus & Matri Deiparæ rationabiliter & quam-maximè incongruens. Sed quia de præservatione corporis Mariæ Virginis à resolutione in cineres æquè incerti ex defectu sufficientium documentorum & testimoniorum esse cogimur, malè hic à minori ad majus concluditur, cum si minus adhuc sit in dubio, ratio Logica ad majus argumentari prohibeat. *Quintum* responso planè eodem potest expediri, imò contra partem adversariam non immeritò retorqueri. Quia enim scripturæ auctoritas expressa ad utriusque confirmationem desideratur, tutius à definitione abstinetur; præprimis cum non pauca sint loca, quæ suâ universitate omnes in universum homines sub reatu culpæ peccati & penæ mortis continent, & dum non-nisi Christum Mediatorem eximunt, Virginem Deiparam non obscure videntur includere. *Sextum* à potestate Dei ad ejus voluntatem necit argumentum, quod tamen si ullum habere possit locum, nemo non videt, quales inde possent deduci consequentiæ, nec à parte adversariâ admittendæ. Nam ita dicemus; potuisse Deum create hominem omninò impeccabilem, quod tamen factum non esse, omnes sciunt, qui de lapsu protoplastorum è Mose & Paulo

Paulo

Paulo accuratius sunt docti & informati contra Præadamitas. *Septimum* tandem & ultimum falsæ iterum insisit hypothefi, videlicet corruptionem originalis peccati personalem Virginis constitutionem sequi ex virtute & communi lege ac cursu naturæ, non item ob accedens singulare auxilium Gratiæ eam prævenientis & dignitatis concessæ prærogativam debuisse, contra quam in ordine dicitur, ubi Trutinatoris Panormitani considerationes examini subjiciuntur. Nunc quia his *septem* dictis Augustino præter verum adscriptis pro fundamento substernitur Virginis Deiparæ Adsumtio in Cælum post mortem corpore & anima, quam hodiè indubiam esse volunt superstitionis ejusdem cultores, placet unum & alterum de ea adijcere testimonium, per quæ dubium non planè nullum de ejus certitudine in animo lectoris attenti potest oriri.

Iohannes certè *Beletus*, Theologus ante secula quinque Parisiensis, in explicacione officiorum, quæ jam tum in Ecclesia ex usu & consuetudine recepta obtinuerunt, suam de ea sententiam sequentibus proposuit verbis: *Verum esse, Beatam Mariam, quod animam ejus attinet, adsumtam fuisse certò novimus. An verò corpus illius postea etiam fuerit adsumtum, profecto incertum est. Pie tamen credimus, ipsam integrè adsumtam fuisse, sed prius anima, ac dein corpore.* Sed quomodo pie creditur, id quod est incertum? Ubi simul notari debet, Doctorem hunc *Parisensem* in recensione Festorum Mariæ Virginis de Festo Conceptionis ita mentem suam explicasse: *Festum Conceptionis aliqui interdum celebrarunt, & adhuc fortassis celebrant: sed authenticum atque adprobatum non est. Enimvero prohibendum potius videtur, in peccato namque concepta fuit.* Non multò post hunc *Guilielmus Durandus*, Mimatensis Episcopus in eisdem

argumenti opere ita de hac scripsit: *Hieronymus dicit, quomodo Beata Maria fuerit adsumta, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Augustinus vero dicit, quod in corpore. Veritas tamen est, quod primo adsumta est in anima, utrum vero corpus remanserit in Terra, incertum habetur, & melius est pie dubitare, quam aliquid circa hoc temere definire. Pie tamen est credendum, eam totaliter fuisse adsumtam.* Verum & hic non videt, pie non posse credi, de quo melius est pie dubitare, quam aliquid temere definire. Idem

in antecedentibus de Festo Conceptionis hæc habet: *Quidam faciunt Festum de Conceptione Beate Mariæ, dicentes, quod sicut celebratur de morte sanctorum, non propter mortem, sed quia tunc recepti sunt nuptiis æternis, similiter potest celebrari Festum de Conceptione, non quia sit concepta, quia in peccato est concepta, sed quia Mater Domini est concepta, adferentes, hoc fuisse revelatum Abbati cuidam constituto in Nausagio, quod tamen non est authenticum, undè non est adprobandum, cum in peccato fuerit concepta, scilicet per concubitum Maris & femine, eo ex corpore Juris Gratiani citato Augustini testimonio, quod ordine secundum ex libro de Fide ad Petrum contra Bellarminum & Informatorem Basileensem est vindicatum. Seculo superiore *Cajetanus* in peculiaribus*

opusculo de Conceptione tradidit, *Adsumtionem corporis Deiparæ solum esse probabilem, castigatus ob id post alios non ita pridem ab Andream de Mendo, opinionum hodiè nimis benignarum Ponderatore, addens causam, quod nimirum certa sit illa Adsumtio ex traditione Ecclesiæ, illam (hodiè) celebrantis, atque alias oppositum esset probabile, & ut tale defendere liceret, quod non præstaretur absque scandalo & temeritate.* Ante omnia autem debet notari, quod *Baronius* de hac Virginis Adsumptione acturus in antecessum

exertè protestetur, *neque ex scriptis Canonicis, neque ex antiquorum Patrum testimonio eam roborari posse, sed majorum traditione ad posteros, quæ de eâ habentur, esse delapsa, atque probatorum Authorum, postea scriptorum monumentis designata, probatos Auctores clarè satis ab antiquis Patribus discernens, addito, certum esse, quod falso hæcenus sermo de Adsumptione Virginis sub nomine Augustini latuerit, cum in eo citetur *Isidorus*, & hinc *Lovanenses* quoque in angulum rejecisse, pertinentem videlicet inter illas apocryphorum quisquillas, de quibus scribit, quod potius detrahant, quam probent veritatem, nobis jam ad ultteriores Augustini vindicias contra Informatorem Basileensem redeuntibus, qui dum in Allegatione *sexta* ad hyperbolica quædam Virginis Deiparæ Elogia provocat, quasi ex Augustini genio profecta, & tamen indicare non potuit, ubi locorum Augustinus hæc scripserit, nullibi etiam in genuinis ejus scriptis similia occurrant, imò talia scribere non potuerit, nisi doctrinæ, quam alibi sæpius de Christo-unico peccatorum refugio & credentium reparatione tradidit, contrarius eadem, qua tueruntur proposita, facilitate tanquam non agnoscentia Augustinum rejiciuntur.*

Quæ autem dictus Informator, quamvis itidem nullo capite citato, ex libro Augustini de *Agone Christiano* laudavit, sicut ab Augustino scripta facile concedimus, ita

immaculatæ Conceptioni Virginis Deiparæ ea infervire non videmus. Comparationem videlicet aliquam influit sanctus Pater inter Evam & Mariam, *per illam dicit mortem nobis accidisse, per hanc verò vitam nobis esse natam.* Quid autem hoc ad immaculatam Matris conceptionem? Nec sequentia evincunt eam, utpotè in quibus Doctor augustus manifestè loquitur *non de Persona, sed natura Matris,* quam Filius Dei ab ea accepit, adeoque victoriam de Satanâ & liberationem generis humani ab ejusdem subversione non Personæ, sed Naturæ Matris à Filio Dei susceptæ adscribens, id quod statim ab initio libri notanter indicavit & explicavit: *Quia diabolus nostram deceperat naturam, dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa (nimirum, Naturâ) vinceretur, & quem ipse semper sub se habet, etiam sub nobis cum esse faceret.* Ita in sequentibus porro scripsit: *Filius Dei hominem adsumsit, & in illo humanaperpessus est. Hæc Medicina hominum tanta est, quanta non potest cogitari.* Hæc Augustinus de Naturâ Matris Deiparæ à Filio Dei adsumtâ, non verò de personâ ejus, ut Patres Concilii Basileensis *Informator* hic non benè informavit, quod aliàs etiam non semel observare datur. Ut enim jam progrediamur ad Allegationem ejus *septimam*, quâ respondere conatur ad ea, quæ contra immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem ex Augustino sacra scripturæ de universali generis humani post lapsum corruptione oracula hic & ibi explicante testimonia, solent urgeri, *prima* Autoritas exhibet illa Pauli verba, *quibus omnes peccavisse homines dicuntur*, Augustino non solum in libro *de quinque Blasphemis*, qui tamen hodiè sub inscriptione hac inter ejus opera non legitur, sed & statim sub initium libri *de natura & gratia* eundem cum Aposto catholicissimum notante; *Informator* præter ea, quæ cum supra jam ad hunc librum in genere vidimus observasse, porro notat, Augustinum in eo agentem contra hæresin Pelagianam non disceptare super hoc quasi reputetur impossibile, hominem sine aliquo esse peccato, sed super hoc, cujus auxilio hoc possibile sit, *Natura an gratia?* Atqui infra in tractatione *de legis impletione* dabitur occasio ostendendi, quæ in hoc libro circa hanc *Questionem* Augustini fuerit mens & sententia constans, ac liberabitur *Chemnitius* à gravi accusatione, quasi *Questiones, utrum præcepta servari possint, & an possit homo vivere absque peccato?* confuderit, quas tamen ad eò diversas esse scribit Bellarminus, *ut ad priorem semper Augustinus responderit adformando, ad posteriorem negando.* Nunc illud sufficiat iteratò monuisse, Augustino cum Pelagianis neque solum de Originali peccato, neque etiam de actualibus solum peccatis, sed de utrisque, diverso tamen respectu fuisse litem. Sicut autem ea Augustini verba, quæ pars adversaria quasi in acie solet collocare, & expressum Virginis Deiparæ continent exceptionem, principaliter & primario de peccatis actualibus agere ostensum fuit; ita si nunc, quæ sub initium ejus libri leguntur, expendamus, constabit, ea principaliter & primario de peccato agere originali, de quo ante-quàm de peccatis actualibus exindè provenientibus, fuit agendum, radice fructus antecedente. Et quia nobis quoque hic præcipua est controversia de peccato originali, num ei Virgo Deipara ex Conceptione cum cæteris Adami- & Evigenis fuerit obnoxia, id eò illuc quoque & non aliorum respectus est habendus cum Augustino.

Ad secundam autoritatem simili locutione generali universum genus humanum sub peccato concludentem, Apostolo iterum scribente, *peccatum per unum hominem in mundum intravisse*, Augustino etiam id de omni prole ab Adamo & Evâ explicante, dum *Informator* provocat ad responsum octavo rationum medio oppositum, & instantiæ loco Christum nominat tanquam generis humani suppositum, ne lector hoc aliquid momenti habere putet, breviter informandus est. Nimirum distinguit Doctorum Doctor inter universalitatem *Logicam & Politicam*, mentem suam ita explicans, ut dicat, *in universalitate Logica unam particularem dici intermere universalem, politica autem universalitati non contradicere distrabentem ab ipsa unam vel plures etiam particulares; atque respiciendo communem loquendi modum observari, quod is ut plurimum in locutionibus hinc universalibus hanc non illam attendat universalitatem, & similiter omnem se artem habere & scientiam quia & sacram quoque scripturam, & in ea Apostolum præprimis Paulum uti hac universalitate Politicâ, ut & ejus ductu Patres Apostoli mentem explicantes.* Sed, ut de ipso distinctionis valore nunc non dicam, neque scopus Apostoli, neque intentio Augustini hanc admittit universalitatem *Politicam*, quia uterque Adamum quasi stirpem proponit in radice vitiatam, undè non-nisi proles vitiosa

riosæ est & fructus stirpi æqualis, cum juxta Christi oraculum arbor mala non possit nisi
 malum ferre fructum. Quamvis igitur Christus, tanquam *suppositum*, non generis
 humani propriè, sed in genere humano, quasi per instantiam videatur universalitatem
Logicæ interimere, solus tamen est & manet, quem & Paulus & Augustinus excipiunt,
 nullâ significatione factâ, quod præter eum aliquis alius, vel alia, nominatim Virgo Dei-
 para debeat excipi, quam potius carnem peccati habuisse non semel dixit. Ad *ter-*
tiam ex Paulo auctoritatem Augustini iterum explicatione firmatam non sine utrius-
 que mentis perversione respondet Informator Basileensis, locutiones utrobique catho-
 licas & universales, quo & *per unius delictum in omnes homines condemnationem* venisse,
 & per unius Gratiam omnes justificationem accepisse docetur, in particulares & restri-
 ctivas permutans, quasi scripserit Apostolus & ad ejus sensum Augustinus, quod sicut
 omnes, qui condemnantur, condemnentur non ex alterius, quam ex primi parentis de-
 licto, ita etiâ qui justificantur, justificentur non nisi per gratiam; quæ etsi sano sensu pos-
 sint admitti, non exhauriunt tamen vim verborum Pauli ac explicationis Augustinianæ,
 nec exinde huc ad præfens institutum possunt applicari, nisi perquam impetrentur.
 Et si Informator obtineri posse existimavit hac ratione, Virginitatem Deiparam & a con-
 demnatione per Adami delictum attracta vel attrahenda, & hinc etiâ à justificatio-
 ne per Christi meritum impetrata vel impetranda fuisse liberam & exemptam, contra-
 dixit Bellarmino, quem supra in responsione ad tertium ex Augustino argumentum vi-
 dimus concessisse, *Beate Virgini necessariam fuisse remissionem peccatorum, & Christum*
uti omnium hominum, ita ejus quoque fuisse redemptorem, quamvis addita explicatio ma-
 nifeste absurditatis sit convicta. Quod autem addit porro, Augustinum in epistola
 ad optatum hoc Apostoli oraculo utum loqui de *lege communi*, nec excludere singula-
 ris Privilegii gratiam, idem supra jam est indicatum, ut aliquis à lege communi per
 singulare Privilegium dicatur exclusus, certis & indubitatis opus esse documentis, sine
 quibus in omni jure talis exceptio est & non immeritò habetur pro invalida & nullâ.
 De exemplis eorum, qui in utero Matrum dicuntur *sanctificati*, quod videlicet hæc
 sanctificatio non aboleat omninò peccatum originale, quasi id nunquam adfuerit, ite-
 dem lector jam informatus est, ut ea repetere cum tædio minus sit necessa-
 rium.

Quia verò post in responsione ad medium ex rationibus *Sextum* auctoritate Au-
 gustini, vel potius *Zosimi* Pontificis ab Augustino in eadem Epistola ad optatum lauda-
 ti confirmatum prolixius respondit Informator, audiendus hic simul erit, & informan-
 dus lector. *Primo* dicit, Augustinum in ea ad optatum Epistola contra Pelagianos dis-
 putare, cum quibus in eo, dum parvulos nasci sine peccato originali, & homines abs-
 que gratia Dei posse mandata ejus implere, Doctoribus Pontificiis nihil sit commune,
 atque adeo, quæ Augustinus scripsit contra Pelagianos, hic locum haberi non posse
 vel debere. Non ero rigidior justo, ut Doctores Pontificios in omnibus similes di-
 cam esse Pelagianis. At si dixerò, eos in hac ipsa Quæstione de immaculata Beate
 Virginis Conceptione idem cum iis statuere, & quasi piam hæc proponere doctrinam,
 nullam fecero eis injuriam. Vidimus nimirum antè ex vexatissima, at tamen ad liqui-
 dum deducto Augustini testimonio, Pelagianos in numero sanctorum & sanctarum
 utriusque Testamenti, qui ex eorum sensu non modo non peccasse, sed justè etiam vixisse
 referuntur, etiam Domini Matrem recensuisse, addito, *Eam sine peccato confiteri, ne-*
cessum esse pietatis, hæc cum observatione, non sine causa videri ab hac Pelagianorum sen-
 tentia desumptum, quod hodiè opinio de immaculata Beate Virginis Conceptione
 communiter dicatur pia, consultius facturis ejusdem Patronis & juratis defensoribus, si
 eam non sub hoc dubiæ & suspectæ, atque sic ingratae Deo pietatis, sed potius sub indu-
 biæ & divinitus confirmatæ Veritatis elogio publicè proponerent. *Secundo* dum In-
 formator iterum dicit, & *Zosimum* Pontificem & cum vel ex eo Augustinum in hac
 Epistola loqui de lege communi, à quâ etiâ excipi debeant in utero Matrum *sanctifi-*
cati, ex antè jam dictis habet responsum. Cætera quæ opponit, ad partis adverfarie
 provocans doctrinam, juxta quam Virgo Deipara ante Baptismum sit sanctificata, ad-
 dito, si Epistola Augustini & doctrina *Zosimi* Pontificis in ea præter sensum jam indi-
 gitatum pro regula Fidei Catholicæ esset agnoscenda, dicendum esse, *Virginem Deipa-*
ram fuisse in peccato per annos quadraginta, quia tot & plures credatur annos habuisse,
quando Christus instituit Baptismum; ad Evangelicos non pertinet, sed ad originis Præ-
 dica-

dicatorum fcriptores, quibuscum hic Evangelici non faciunt. Diftinctio inter *actum captivitatis* fub peccato, verius paffionem, vel actum potius paffivum, & *aptitudinem*, imò neceffitatem fubjectionis vel captivitatis, hanc, non illam vel illum Virgini Deiparæ competere ftatuens, gratia fingularis dono iterum prætenfo; inter fupranotatas principiorum petitiones & hypothefes nondum probatas neque etiam probandas debet referri, adeoque nullo indiget refponfo. *Tertio* dicens, Auguftini doctrinam in hac Epiftolâ non effe extendendam ultra debitum, cum ille tum fuo tempore de animæ rationalis origine dubitari poffe fine Fidei labe fcripferit, hodiè autem certafit Fides catholica de ea, rem, quem tractamus, ex parte Informatoris non juvat. Nam, ut non repetam, quæ de hac Quæftione controuersâ ex Auguftino fati prolixè fuerunt deducta, ad quæ in proximè fequentibus etiam lector iteratò deducetur; hic illud obferuaffe in antecessum potest fufficere, quæcunque inter fententias fibi oppofitas attendatur, & five animam rationalem à Deo noviter creati, five ab anima Adami per Generationem traduci credamus, neutram earum quidquam facere pro Virgini Deiparæ ab originali peccato immunitate, fed quæcunque ex eis eligatur, indè deduci peccatum originale, nifi fingularis illud gratia Privilegium oftendatur, quod pars aduerfaria toties hætenus prætenfit, fed absque teftibus, & hinc in irritum. *Quinta* nunc fequitur Authoritas, oraculo Chrifti nixa, quo nonnifi ægrotis Medicum oftenditur effe neceffarium, Auguftino ex hinc docente, *nulum sine Chrifti gratia sanum esse*. Informator concedit, Virginem Deiparam ex natura neceffitate infirmabilem indiguiffe Medico, & quidem *plus-quam homines ceteros*, nimirum ob continuam Medici adfidentiam, quâ opus ceteri non habeant, nifi donec ab infirmitate curentur, addens pro illuftratione exempla Medicorum in aulis Regum & Principum, eorum confilio ab infirmitatibus præferyandorum. At Virginem Beatiffimam fenaper fuiffe sanam, quod Informator ad Auguftini teftimonium docet, id est, à peccato originali, omnium videlicet morborum fpiritualium radice & causâ, à primo Conceptionis vel (juxta partis aduerfariæ explicationem proximè excutiendam) animationis momento liberatam, & tamen Chrifto indiguiffe Medico, quâ ratione conveniant, non patet; nec comparatio Archiatrorum in Aulis huc quadrat. Qui enim sano funt corpore & prosperâ fruuntur valetudine, varias morborum caufas habent in fe, contra quas, ne in effectum deducantur, Medicorum confilia, si iis obtemperetur, non parum profunt. Verum juxta partis aduerfariæ hypothefes in Beatâ Virgine ob præuenientem gratiam & hinc à peccato originali præferyationem nulla superfuit peccati radix, nulla morbi alicujus fpiritualis caufa, & hinc nulla ulterior Chrifti tanquam Medici Gratia eidem neceffaria, utpotè quâ Adamus etiam non indiguiffet, si in concreata primùm fanitatis ftatu constans permaniffet. *Nona* fuper adhuc est authoritas, ad eam provocans Apoftoli authoritatem, quâ unus, nempe Chriftus, *pro omnibus dicitur fuisse mortuus*, Auguftino ex hoc concludente, *omnes contrahere peccatum originale*. Dum verò Informator more folito iterum contra hanc catholicam locutionem excipit interrogando, *ubi specificè legatur, quod Chriftus pro Virgine Mariâ tanquam peccatrice fuerit mortuus?* uttaceam, Apoftolum alibi, nimirum loco ante citato, notanter fcripiffie, *vix aliquem mori pro homine iusto*, undè per legitimam deducitur confequentiam, Chriftum non dici poffe Matris lux redemptorem, ac mortuum pro eâ, nifi pro peccatrice: oftendit certè hic Informator, fe artis Logicæ imperitum nefciviffe argumentari à genere ad fpeciem & individua, & quod polito genere in dictis de omni omnes fubintelligantur fpecies & individua, è contrario autem in dictis de nullo omnis ceffer exceptio, nifi clariffimè indicata & expreffa. Estque hætenus non femel nec perfunctoriè oftensum, eam Beatæ Virgini exceptionem, quam in uno faltem loco propofuit Auguftinus, & quâ Informator hic iterum est ufus, omnimodam à peccato & originali & actuali exceptionem non inferre, fed in honorem Filii ab Auguftino pro fe tantum, non autem nomine totius Ecclefiæ factam effe.

Post Authoritates è fâcrâ fcripturâ, teftimoniis Ecclefiæ Doctorum, & inter eos Auguftini firmatas, Informator ad ea tranfit media, quæ rationibus nituntur ab iisdem Doctoribus & nominatim Auguftino iterum exhibitis contra immaculatam Beatæ Virgini Conceptionem. Prætermiffio autem nunc *primò*, teftimonia ex libro de Fide ad Petrum fuppeditante, quæ in Examine Refponfionis Bellarmini ad fecundum

Chemnitii ex Augustino testimonium fuerunt vindicata; ad *secundum* rectè progredimur, in quo ex variis Augustini opusculis occurrunt, quæ vindicias desiderant, Ex eorum numero *primum*, quod Informator Responso quodam tentavit infirmare, est, quo sanctus Doctor Mariam æque ac Adamum scripsit & docuit esse mortuam *propter peccatum*; quasi diverso significato id intelligendum sit, ita ut Adamus dicatur mortuus propter peccatum, videlicet proprium, Maria itidem dicatur mortua propter peccatum, sed *Adami, non proprium*, undè non putat inferri posse, *Beatam Virginem contraxisse peccatum originale*. Quia autem dici posset, Augustinum id non expressisse, quod Maria fuerit mortua propter Adami peccatum, sed sine omni aditione & restrictione *propter peccatum*; idèd Poza *Elucidator* inter ea Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum testimonia, quæ in hac quæstione controversia ab aliis depravata aut truncata scribit, hoc etiam in specie retulit, observans, illud in Impressione Lugdunensi & Venetâ superioris seculi cum *Adami* additione legi. Potuisset addere Parisiensem, quâ ego hætenus utor. Sed his, & si quæ plures hanc exhibent lectionem cum *Adami* additamento, opponere licet ultimam Enarrationis in Psalmos Editionem paucos ante annos *Antverpiæ* opera Doctorum Lovaniensium ad Exemplaria, ut titulus promittit, *Manuscripta* castigatam, quæ additionem hanc notanter omittit, eoque testatur, eam nec in Manuscriptis Codicibus reperiri, quod satis est. Addo, neque Patrem augustum Virginis Deiparæ mortem ad solum Adami peccatum potuisse hic restringere, quasi ejus solum respectu, & non ob proprium quoque peccatum morti fuerit obnoxia, cum id soli Christo adscribat, quod propter aliena mortuus sit peccata, videlicet ad delendum ea. Etposito, non concessio, addidisse Augustinum huic sententiæ, & scripsisse, quod Maria *propter Adami peccatum* sit mortua, ex quo putat Informator Basileensis, infringi eorum consequentiam, qui Virginem Deiparam in originali peccato statuant ex hoc etiam testimonio conceptam, non id tamen obtinebit; quia illud Adami peccatum, propter quod Maria dicitur mortua, non considerandum est quasi alienum, sed proprium simul & commune, commune omnibus Adami & Evigenis, solo Mediatore excepto, proprium verò Mariæ ob individualem ab Adamo & Evâ generationem, utroque respectu ita habendo, quo Augustinus verbis à Bellarmino in capite sequenti laudatis ad sensum Apostoli bene scripsit, *unum hoc esse peccatum, in quo omnes peccaverunt*, id quod jam in sequentibus locorum ex opere de *Genesi ad literam* vindiciis erit observandum. Nam quæ potèd Informator de Metonymia effectus pro causa ad obscurandum hoc Augustini testimonium ex ipso profert Augustino, quemadmodum sancti Patris mentem non ritè percepit, ita non bene præsentati instituto applicavit; nimirum negligens attendere, quod quam-maximè debebat, etsi in figuratâ locutione hic tropus occurrat, tamen effectus positionem non esse exclusionem causæ, sed potius vi significatus inclusionem ejus, quia alias non esset verè tropus, nec inter figuratas referri deberet locutiones. Nunc ut ad vindicias testimoniorum ex laudato opere de *Genesi ad literam* fiat transitus, quæ itidem medio rationum *secundo* exhibentur, prolixus quidem est in eorum infirmatione Basileensis Informator, sed ut plurimum eadem oberrans chordâ, & non nisi peregrinum augustissimo Doctore adfingens sensum. Ut enim ostendat, Augustinus, solum Christum non habere carnem peccati, sed juxta dudum Apostoli similitudinem carnis peccati, manifestissimum discrimen facit inter conceptionem Filii & Matris, exerte scribens, *Virginis Deiparæ carnem venisse quidem de propagine peccati, non tamen de propagine peccati concepisse*. Informator quod huic veritati apertissimæ opponat non inveniens, hypothesebus iterum suis innititur, juxta quas stat ei sententia, carnem Virginis venisse quidem de propagine peccati, sed animam ejus tamen sive personam originali peccato nunquam fuisse infectam; & illam carnem posse dici carnem peccati, in qua fuerit vis transfusiva originalis peccati, quæ carnem potuerit contingere, nunquam transfundere, etiam hic non videns, quod jam est ostensum, se & principium petere, & sibi met iterum contradicere, dum in antecedente responso ad parallelum Augustini ex alio contra Julianum opere responsum quasi certum pronuntiavit, *In carne non esse peccatum, prout culpa dicitur*, quæ cum his simul stare non possunt, ubi carnem Mariæ Virginis agnoscit dici posse carnem peccati, venientem de propagine peccati, in quâ fuerit vis transfusiva origi-

NB.

originalis peccati, & tamen ejus animam sive personam originali peccato nunquam fuisse infectam Patres Concilii malè, si non pessimè informans. Et sequitur omninò ex Augustini sententia, quia solus Christus è numero peccatorum exemptus ideo dicitur, quia non conceptus fuit per legem Concupiscentia, per quam dicit conceptam ejus Matrem, ideo eam non excipi vel excludi, sed includi debere, quidquid etiam Informatori præter & contra rationem disputanti videatur; qui dum porrò ex solà, ut videri vult, liberalitate concedit, potuisse in Virgine vel in ejus carne esse legem fomitis & concupiscentia, *nunquam tamen originale peccatum*, sibi iterum ex more contradicit, & notissima absurditatis reum se facit. Neque differentia inter moriendi necessitatem, & originale peccatum exemplo Christi illustratà quidquam infert, quia ex mente sancti Doctoris paulò ante est ostensum, Mortem Christi alium planè, quam Virginis Mariae mortem habuisse respectum, neque instantia hac infringi universale & Pauli & Augustini pronuntiatum.

Debet etiam iteratò inculcari contra Informatorem, effectum hic nunquam considerari sine causà præcedente, neque quenquam hominum pena originalis peccati obnoxium dici posse & debere, nisi prævia ejusdem culpa & reatu. Quadruplex autem ille modus, quo ad aliquem pertinere dicatur originale peccatum, quartus præsertim, quo Informator fingit, posse dici pertinere illud ad Virginem Deiparam *quoad contrahendi modum, non quoad culpæ reatum*, & absurdus est, sibi quemetipsi contradictorius, & simul solà nititur potentia, à quâ tamen ad existentiam non ritè concludi, etiam tyrones in logica norunt. Et dum iteratò negat sequi, quod Beata Virgo contraxerit originale peccatum, *etsi modus conceptionis ejus fuerit velut contrahentium originale peccatum*, id negat, quod nemo prudens & intelligens rerum sine dispendio, quæ pollet, autoritatis potest negare. Quin & simile de hæc ex adulterio vel alio quovis coitu damnato impertinens est, secundum ea, quæ paulò ante Bellarminus ex Augustino ad mentem Pauli observavit, *unum Adami esse peccatum, in quo omnes ab eo nati, nimirum juxta consuetum naturæ ordinem, peccaverunt*; adeoque origo omnium Adami & Evigenarum non solum ratione causæ post lapsum, sed & in se & ratione effectus est culpabiliter vitiosa & vitata. Tandem quod atinet judicium Augustini de hoc opere suo in Genesin retractationibus insertum, *quod nimirum plura sint quesito in eo, quam inventa, & eorum que inventa, pauciora sint firmata, cætera autem ita in eis proposita, velut requirenda adhuc*, quo & me supra alicubi usum, nisi memoria fallit, meminisse; nihil illud præsentem obest Instituto, quia quod in laudatis ex eo opere testimoniis habet Pater augustus, in aliis etiam pluribus scriptis occurrit, adeoque pro constanti ejus doctrinâ debet agnosci, quam sicut nullibi retractavit, neque etiam nisi contra mentem Apostoli retractare potuit; ita per testimonium ejus ex libro de *Natura & Gratia* desumptum, post opus de Genesi scriptum, nihil huic sententiæ universali esse detractum, supra sufficienter est ostensum. Solum nunc super adhuc est illud ex hoc opere testimonium, quod in serie eorum, quæ ad *secundum* ex rationibus medium agnoscunt Augustinum, inter prima quidem legitur, at ab Informatore locum in responsione accepit ultimum, *quo nihil incoinquinatus Virginis Deiparæ utero dixit sanctus Pater, dictus autem Informator loco Glossæ scripsit, videri hic dicendum, quod sub DEO non fuerit quidquam immaculatus sacratissimo Virginis utero, & videri ex hoc manifestissimè sequi, quod Beatissima Virgo non contraxerit originale peccatum*, hac addita ratione, *quia aliàs aliquid reperiretur incoinquinatus Virgine, illud nimirum & pro tempore eo, in quo nulla fuit macula*, nominatim Angelus in bono confirmatus, Satanas pro tempore creationis suæ, primi homines in Statu Innocentiæ à DEO concreatæ; dum è contrario oporteat hoc Augustini dictum intelligere, quod Virgo Beatissima immunis ab omni macula originali fuerit *pro tempore quocunque*, imò juxta doctrinam Thomæ excedat nominatim Angelos in puritate, videlicet in Bono confirmatos. Quæ Trinitator circa hunc notavit locum, à jam dictis non differunt, adeoque specialem non desiderant recensionem, & hinc nullam quoque Responsonem. Contra Informatorem verò notandum, quæ ipsi videntur, aliis itidem oculatis non videri, atque pertinere hæc ad Theologiam invisibilem; id est, *videtur per non videtur*,

ubi clara requiruntur testimonia, remouetur, in primis ubi *non videtur* clarioribus nititur & confirmatur. De cætero nihil omnino est absurdum, si angeli non solum in bono confirmati, sed etiam mali, & ita quoque Protoplasti in statu Institutionis, dicantur esse & fuisse puriores Virgine Deiparæ, utpotè quibus nullum planè debitum ad contractionem mali adhæsit, quod tamen Mariæ Virgini ob carnalem ex Adamo & Evâ conceptionem adhæsisse, ipsi immaculatæ Conceptionis Patroni affirmant. Et si Patris augustissimi mentem ritè ponderemus, ac verba hæc accuratius ex debito intueamur, quibus *nihil incoinquinatus utero Virginis Deiparæ* dixit esse, ea impertinenter planè ad immaculatam ejus conceptionem trahi videbimus, quæ de immaculatâ ipsius Christi conceptione agunt apertissimè, ut proximè sequentia docent manifestè, dum de Beata Virgine porrò scribit sanctus Doctor, *ejus carnem, etiamsi de propagine peccati venerit, non tamen de propagine peccati concepisse*, ubi scribere debuisset, conceptum fuisse, si immaculatam Matris conceptionem hic adstruere voluisset.

Ad medium sequens *tertium*, & quæ ad Augustini testimonium ex libro de *Naturâ & Gratia* desumptum atque ad Lombardi explicationem respondit Informator, supra jam sufficienter sunt expensa, ut ex ea, quæ ad Zosimi Pontificis testimonium ab Augustino laudatum, quod medium ex rationibus *sextum* exhibet, fuisse ab eodem reposita, addo, quæ in secundæ partis secundo *Avisamento* sive *Monito*, post allegationem primæ partis tertiam, ex fictitio sermone de *Assumptione Virginis* lectori non sine fastidio sunt obtrusa. Duo tantum nunc restant ex Augustino, si ita videtur, testimonia, unum, quo Informator immaculatam Deiparæ Conceptionem probare, alterum, quod contra eam ab Antagonistâ objectum infirmare contendit. De utroque tribus, quod ajunt, verbis agendum. Prius quidem è sermonibus *ad Fratres in Eremo*, hyperbolicis Mariæ Elogiis referunt, per ea, quæ præter alios ipse Bellarminus de hoc opere observavit, omnem apud cordatos & sinceritatis amantes amittit auctoritatem, ut in nullum planè censum debeat venire, ubi de controversâ agitur Quæstione. Posterius autem, verba Esaiæ, *omnes nos quasi oves erravimus*, Augustini explicatione, quasi *voce omnium Christi membrorum* exhibens, non infirmatur per id, quod Informator iteratò dicit, sed non probat, *Virginem Deiparam sub his generalibus non comprehendit*, quia hætenus ratio fictitiæ exemptionis deest; neque etiam exindè ductam pro originali peccati reatu à Virgine Deiparâ in Conceptione à Parentibus passivâ suscepto consequentiam læbetactat, si Glossa, quæ dicitur ordinaria, hic obtineat, ut Prophetam de *peccatis actualibus* loqui credamus, cum peccata actualia præsupponant originale, & fructus testimonij præbeat de radice. Atque sic hætenus Informatorem male informatum, & hinc non melius informantem, fortè non absque rædio audivimus, undè quid de Concilio, cujus Patres conscriptos ex officio debuit informare, sententia in hac quæstione sit habendum, patet facile.

Succedat nunc *Trutinator* Panormitanus, novâ methodo, ut videri voluit, hanc Controversiam tractans, breviter cum novis, quas promittit, mercibus censuræ & examini debito submittendus, ut & hinc constet, an, quod priores non potuerunt, Augustinum non invitum ad suas traxerit partes, atque eripuerit adversariis. Hic ut ostendat, nomen Conceptionis apud Augustinum & alios Patres, non significare nisi *primam receptionem seminum antecedenter ad primam fetus animationem*, inter alia ad duo S. Scripturæ V. T. loca, Augustini auctoritate firmata provocat, quorum prius ex Psalterio Davidis, posterius ex libro Jobi est desumptum. E priori ut id extorqueat, septem observationes Augustini verbis adsuit, quas rem hanc non conficere, ipse verborum Augustini tenor ostendet, qui supra omisus, huc omnino reponendus est, & ea quidem seite, qua ipse *Trutinator* lectori suo exhibuit. Ita autem ad Psalmum quinquagesimum & primum Augustinus à *Trutinatore* laudatus: *Eccè, in Iniquitatibus conceptus sum* &c. tanquam diceretur, vincuntur illi, qui fecerunt, quod & tu David: non enim hoc parvum malum, parvumque peccatum, (*videlicet*) adulterium & homicidium. Quid illi, qui ex quo nati sunt de ventre Matris suæ, nihil tale fecerunt? Etiam ipsis imputas alia peccata, ut ille omnes vincat, (*nimirum, Deus bonitate sua*) cum cæperit judicare? Suscepit personam generis humani David, & omnia attendit vincula, propaginem Mortis consideravit originem Iniquitatis advenit, & ait,

ait, *Ecce, in Iniquitatibus, &c.* Numquid David natus erat de adulterio, & de Jef-
 fe, Viro iusto & conjugē ipsius? Quid est, quod se dicit in Iniquitate conceptum,
 nisi quia trahitur iniquitas ex Adamo? Etiam ipsum mortis vinculum cum ipsa ini-
 quitate est concretum. Nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœ-
 næ. Dicit & alio in loco Propheta, *Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cujus*
est unus dici vita super terram. Novimus enim ex Baptismo Christi peccata solvi, &
 Baptismum Christi valere ad remissionem peccatorum. Si infantes omni modo
 sunt innocentes, cur Matres ad Ecclesiam cum languentibus currunt? Quid illo
 Baptismo, quid illa remissione dimittitur? Innocentem magis video flentem, quàm
 irascentem. Quid diluit Baptismus, quid solvit illa Gratiæ? Solvitur propago tibi,
 quia si loqui posset infans ille, tibi diceret, & si jam haberet intellectum, quem habe-
 bat David, responderet: Quid me attendis infansem, numquid mea vides facino-
 ra? Sed, *ecce, in iniquitate conceptus sum &c.* Præter hoc vinculum carnalis concu-
 piscentiæ natus est Christus sine maculo ex Virgine de Spiritu Sancto concipiente.
 Non potest iste dici conceptus in iniquitatibus, non potest dici, in peccatis Mater ejus
 in utero cum aluit, cui dictum est, *Spiritus Sanctus super veniet in te, &c.* Non ergò
 in iniquitate idè concipiuntur homines, & in peccatis in utero à Matribus aluntur,
 quia peccatum est misceri conjugibus, sed quia illud, quod fit, utique fit de carne pœ-
 nali; pœna enim carnis mors est, & utique inest ipsa mortalitas. Undè Apostolus
 non moriturum corpus dixit, sed mortuum; *Corpus est mortuum, inquit, propter pec-*
catum &c. Quomodo igitur sine vinculo peccati nascitur, quod concipitur & fe-
 minatur de corpore mortuo propter peccatum? Opus hoc castum in conjugē non
 habet culpam, sed origo peccati secum trahit debitam pœnam. Non enim Mari-
 tus, quia maritus est, mortalis non est, aut aliundè nisi peccato mortalis est; erat enim
 & Dominus mortalis, sed non de peccato suscepit pœnam nostram, & idè solvit
 culpam nostram. Merito igitur in Adamo omnes moriuntur, in Christo autem
 omnes vivificantur. *Per unum hominem enim;* ait Apostolus, *peccatum in hunc*
Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines perti-ansit, in
quo omnes peccaverunt. Solus esse infans innocens potuit, qui de opere in Adamo
 non est natus. Debuerunt omninò huc adscribi verba Patris augustissimi, ut ex eorum
 tenore lector judicandi peritus agnoscat, quam malè ea pensitaverit Trutinator, dum
 suo adplicare ausus est scopo, quæ nimis procul ab eo abludunt. Quocunque enim
 veratur hoc Augustini testimonium, nullibi ex eo etiam per vim adhibitam expri-
 metur, nomen Conceptionis non significare nisi primam Seminum conceptionem an-
 tecedenter ad primam fetus animationem. Et omninò fecisset Trutinator aliquod
 operæ pretium, si ex testimonio sancti Doctoris tam prolixo ea digito indice ostendisset
 verba, quæ putavit instituto aliquatenus in servire. Ut enim taceam, Augustino du-
 plicem hominis in utero conceptionem fuisse ignorissimam, id quod ipse Trutinator
 non obscurè diffitetur, etiam si animæ hominis immediata creatio ei præ ejus mediata
 traductione probabilior fuisset visa, cujus tamen contrarium ad caput præcedens è tes-
 timoniis non adèdè illiquidis fuit ostensum, non tamen sequeretur exindè duplex
 Conceptio, nec tanto distingui deberent intervallo à se invicem ipsa conceptio semi-
 nis ab ejus animatione, sicuti notum est ex iis, quæ circa hujus Controversiæ illustra-
 tionem pro & contra ab utraque disputantium parte juxta hypothefes utrobique re-
 ceptas solent quasi indubia defendi. Imò si hujus testimonii verba accuratè per-
 pendamus & trutinemus, non solum nihil de duplici conceptione aut distinctione
 Conceptionis seminum ab ipsa fetus animatione in iis observare dabitur, sed potius
 omnia unam eandemque conceptionem & animationem testabuntur; præsertim si
 eam attendamus hypothefin, quam supra non semel nostræ proficuam sententiæ vi-
 dimus ab Informatore Basileensi ante plus quàm duo secula suppeditatam, in carne,
 (adeoque etiam in carnali conceptione) non esse peccatum, *prout culpa dicitur,* cer-
 tumque sit juxta ipsum Trutinatore, Regium Pfalten agere hic de carnali conceptio-
 ne. Addo, etiam si ex abundantia, ad hominem disputando concedatur illa duplex
 conceptio vel primæ feminum conceptionis distinctio ab insequenti fetus ani-
 matione, Trutinatori tamen adhuc incumbere probandum, id quod Virgo
 Deipara in prima sui conceptione passivè suscepit mali, postmodum in se-
 quenti animatione per singulare Privilegium & Gratiæ amississe, utpotè
 Zzz 4
 cujus

cujus nullum omnino in verbis Augustini extat documentum; præterquam quod hujus sententiæ Patroni, inter quos etiam Bellarminus aliquâ ex parte debet numerari, fictâ hac distinctione suâ & multiplicatione distinctionum præter necessitatem coguntur agnoscere, fuisse Virginem Deiparam respectu primæ Conceptionis & susceptæ per eam Carnis ab Adamo in statu peccati usque ad conceptionem animationis & susceptæ per eam Animæ, quod an omnimodæ puritatis ejus *pro omni tempore*, ut paulò ante Informatorem scripsisse vidimus, competat, videant, qui hætenus pro ea non tam constanter, quam perniciter militant.

Septem nunc Trutinatis notationes ad Augustini hoc testimonium quod attinet, parum, imò nihil planè eas valere ex observatis est manifestum. *Prima* quasi certum supponit, quod omnino erat probandum, eam sancto Patri adfingens mentem, quæ ex verbis ejus nunquam potest ostendi. *Secunda* itidem proponit distinctionem inter Seminis conceptionem & fœtus animationem, quam Augustinus Doctor agnovit nunquam. *Tertia* urgens pro instantia Christi in utero Virginis Beatæ conceptionem magis infirmat sententiam Trutinatis; quam confirmat. *Quarta* etiam evertit hanc distinctionem, quia carnem parentum, ex qua Seminum conceptio, dicit esse transfusivam peccati originalis, & quidem radicaliter. *Quinta* redarguit Augustinum ob confusionem vocum Conceptionis & Seminationis; sed frustra & præter culpam, dum ea hic intelligitur Seminatio, quæ cum proxima conceptione est conjuncta. *Sexta* per consequentiam non-nisi legitimam facit Deum originalis peccati in homine autorem, quia facit eum solum immediatum animæ, omni remoto, præter solam materiæ dispositionem, concursu humano, Creatorem & infusorem. *Septima* tandem solius Christi exceptionem à carne peccati iteratò urgens, quod & tertia fecit, iterum est contra Trutinatis opinionem, atque eam magis magisque evertit & infirmat, ut lector industrius per debitam collationem id facillè observabit. Sequitur nunc posterius scripturæ testimonium, ex quo Trutinatis juxta Augustini sententiam obtineri posse existimavit, nomen Conceptionis non-nisi primam Seminum conceptionem antecedenter ad primam fœtus animationem significare, contra omnem omnino rationem animo imprimens Conceptionem inanimatam, id est, conceptionem hominis sine homine, & si verum licet dicere, conceptionem humanam bestiali deterioriorem & longè viliorem. Exhibet illud Oraculum Jobi notissimum, *Quis potest facere mundum de immundo, &c.*

cap. 14.

vid. Coci
Cens. p. 352.
conf. Voff.
Hist. Pelag.
lib. I. c. 16.

Putat autem Trutinatis, illud Augustinum exponere de Conceptione tantum carnali, non autem animali, usus autoritate ex opere *Hypognoticon contra Pelagianos*. Non urgebo autem, quid de horum Jobi verborum sensu ex ipso Textu Ebræo sit habendum; non citabo Authores, qui hoc opus Hypognoticon non sine ratione Augustino adjudicarunt; sed id solum lectori ob oculos iustam, an ex verbis à Trutinatis laudatis id obtineri possit, quod voluit? Certè si ea & separatim & cum integro textu ponderentur, nihil in favorem sententiæ Trutinatis elicietur, quod usui ullâ ratione esse possit. Talia enim sunt, quæ Trutinatis in eis se putat vidisse, qualia nemo præter eum, oculatissimus etiam, nisi præjudicio occupatus, videre poterit. Nimirum vocat Author hujus operis, sub Augustini nomine, tractans hoc Jobi Oraculum, Originale peccatum non immeritò sordem, dicitque parvulos trahere peccatum Adami seminat. At non dicit, sordem hanc soli adherere carni, neque fingit sibi aliquam seminationem inanimatam, ut Trutinatis somniavit; quin potius si antecedentia consideramus, Authorem hunc huic figmento & somnio contradixisse & scripsisse constabit.

Prolixè autem de his Jobi verbis egit, ea inter cætera sequentem in modum proponens & explicans: *Quis mundus est à sorde? Ne unus quidem, etiamsi unus dicitur fuerit vita ejus super terram. Id autem est propter peccati sordem? quam trahit à peccante natura, quæ nascitur immundus in Mundo.* Et ne hæc è Græca translatione videantur minus cum Ebræo Textu convenire, ac sententiam Jobi non

rite ad ejus mentem exprimere juxta hunc ita exhibet atque illustrat: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es. Nisi parvulus esset immundus, non diceret, quis potest facere mundum; sed cum addit, de immundo conceptum semine, Parentum peccato dicit esse sordidatum, quorum semina sunt immunda, non conditione Natura, sed Protoplasti prævaricantis vitio.* Nota bene, lector optime, hunc Authorem, quem Trutinatore vult esse Augustinum sordem peccati derivare à peccante natura, non à peccante & sordidâ carne, & hinc per semen immundum, ex quo concipi parvulos scribit Jobus, non intelligere semen aliquod inanimatum, sed quam-maximè animatum, hoc iterum obtinente, quod Informator Basileensis docuit, in carne, adeoque in semine etiam merè carnali & inanimato, non esse peccatum, prout culpa dicitur.

His jam discussis & remoto Trutinatore à testimoniis scripturæ, quibus addita Augustini autoritate usus est vel abusus, ad novum Conceptionis significatum exinde adstruendum, quid porro ex aliis ejusdem testimoniis proferat videamus breviter. Prætermisissis autem iis, quæ ex opere de *Genesis ad litteram & contra Iulianum* pro suæ opinionis confirmatione urget, utpotè quibus jam ante satis ex assè putò factum, hoc solum adhuc semel observato, Trutinatore pro omnimodâ Beatæ Virginis puritate militantem, etsi conceptionem ejus, quam distinctè vocat animale, rectius dixisset animantem, velit esse & fuisse sine omni labe peccati, eam non agrè, & quidem ex Augustini sententiâ admittere, in Conceptione, quam dicit carnalem; quod tamen non solum omnimodæ Virginis Deiparæ puritati, sed repetitæ sæpius Informatoris Basileensis sententiæ contrarium esse jam ostendimus. Prætermisissis, inquam, hisce, de eâ solliciti erimus correctione, quam in loco quodam tentat Trutinatore, & ante hunc *Pozæ* Elucidator, discordes tamen in citationibus, dum hic quidem ex opere de *Baptismo* eum laudat, undè *Bandellus* etiam & Informator Basileensis, ille autem, videlicet Trutinatore, ex opere de *Peccatorum meritis & remissione*; uterque falso, cum talia, quæ volunt, neque hic leguntur, neque ibi. Non vacat nunc omnia sancti Patris operâ iteratò ob hæc solum verba evolvere, cum alibi non semel similia apud eum legantur; id tantum consideratione est dignum, num si admittatur correctio ab utroque tentata, id obtineri possit, quod volunt. Certè si res æquâ judicii benè sani lance ponderetur, unum videtur eundemque sensum gignere, quocumque ex duobus modo legantur Augustini verba. Sive enim dicatur Christus sumfisse carnem ex maternâ carne peccati, sive ex natura carnis peccati, ut *Pozæ* Elucidatori & post hunc Trutinatore videtur, res eadem planè recidit. Si enim ex natura carnis peccati, utique ex aliâ nullâ, quàm materna carne peccati, nisi Christum aliundè, quàm à Matre carnem accepisse dicamus. Et fateri hic iterum cogitur Trutinatore nolens-volens, carnem Virginis Deiparæ, utpotè ab Adamo derivatum, dici *Carnem peccatricem, procedentem ab homine primo peccatore, & peccatum originale per semen in illum transfundente*; utur negans, carnem Beatæ Virginis hic considerari debere ut animatam, quod sine manifestissima absurditate dici vel scribi non potuit, nec à quoquam poterit defendi. Alias mitto absurditates, quas Trutinatore hic non sine numero cumulat, lectore erudito ex jam observatis & notatis non inconspicuas. Neque etiam de eâ opus est dicere sententia, qua aliquos voluisse scribit ad hunc locum, *Deum in Adamo aliquam carnis partem ab infectione peccati puram reservasse, & hanc ab Adamo propagatam fuisse ad Virginem Mariam usque*; cum hac fictione non sit opus ad liberandum à carne peccati Christum, ne eam ex carne peccatrice vel naturâ carnis peccati suscepisse dicatur, alio præservationis medio ab hac labe in sacris literis obvio, cujus paulò ante Augustinus ad Regi Pfaltis testimonium fecit mentionem. Ad sequentia transeo, ea nimirum, quæ Trutinatore porro ex aliis Augustini scriptis laudat. Eminent in Disputationis quintæ divisione nonâ, quod his adducit verbis: *Solus sine peccato natus est Christus, quem sine virili complexu, non concupiscentia carnis, sed obedientia mentis Vir-* lib. I. de
go concepit. *Sola nostro vulnere Medicinam parare potuit, quæ non ex peccati vulnere germen novæ prolis emisit.* Præter id, quod loco *parare*, legi debet juxta Editionem Parisinam, *parere*, sensu planè diverso & multum immutato, responderi iterum potest, imò debet, Augustinum hic, quod testantur verba, non loqui de Conceptione Virginis Deiparæ passivâ, sed activâ, adeoque de conceptione Christi in utero Virginis, quæ

lib. I. de
peccat. me-
rit. c. 29.

quæ sola dum singulari cum Privilegio & exemptione legitur facta, eomet ipso significatur, ipsius Beatæ Virginis Conceptionem, videlicet passivam, hac exemptione & privilegio non gaudere. Atque eodem responso poterit expediri testimonium ex opere in *Iohannem*, quod huic proximè subnectitur, utpotè de eadem Christi conceptione singulari agens. Ita etiam, quæ in Divisione sequenti decimâ ex *Epistola ad Evodum* habet Trutinator, debent omninò intelligi; nec ullâ ratione potest tolerari illa inanis consequentiâ, quam exindè necit, quod, quia Augustinus docet, Christi carnem non ex carnali concupiscentia sive seminatam sive conceptam esse, dici debeat, eam omninò non seminatam, id est, ex semine profectam esse. *Si enim ex semine Christi caro processisset*, inquit Trutinator, *utique fuisset caro peccati, ex sensu Augustini* certe præter mentem Augustini, qui de inconsequenti hac consequentiâ nunquam cogitavit. Verùm non aliter fieri potest, quàm ut in tales absurditatum manifestissimarum incidant labyrinthos, qui sine filo & ductu scripturæ, absque etiam subsidio Artis Dialecticæ in campum Disputationis se immittunt, suo ostendentes exemplo, quod sine remis & velis in vasto Mari navigare sit intutum. Et huc etiam referri debet proluxa ejus disputatio de prædicatione *totius pro parte*, Augustini autoritate præter necessitatem firmata, quasi nimirum Virgo Deipara in originali peccato dicatur & dici possit concepta, sed non quoad totum, id est, corpus & animam simul, sed tantum quoad partem, videlicet carnem. Atqui ut iteratò hic non urgeam, quod supra circa Metonymiam *causa pro effectu* ab Informatore Basileensi in eodem casu, propolitam fuit ex ipsâ rei veritate observatum; illud omninò debuit attendere Trutinator, si satis officio voluit facere, ac pertinenter hanc de toto & parte prædicationem Synecdochicam ad Institutum præsens adplicare, quod etiam tyrones in Logicâ cognitum habent *ratio esse prædicata, qualia permittuntur à subjectis*, & versâ vice, utpotè quod omninò fundamenti loco præsupponendum est, si talis prædicatio *totius pro parte* locum habere debeat. Quia verò secundum sæpè citatam Informatoris Basileensis hypothesein hic quoque observandam in carne peccatum non sit, *prout culpa dicitur*, per se patet, Trutinatorem non nisi impertinenter hic illam prædicationem adhibuisse. Nec quidquam juvat distinctio, quâ evadere conatur scribens, *quod caro Virginis Deipara dicatur concepta in originali peccato, non quidem formaliter, sed casualiter & materialiter sumto*, cum ut de distinctionis hic adplicatæ valore, quin & ipsa adplicatione ejusque veritate non dicam, sufficere posset atque deberet, carnem Virginis conceptam esse in peccato originali casualiter (videlicet per influentiam causalem) & materialiter sumto, si de carne merâ & non potius animata hic ageretur, quod hactenus non semel debuit observari. Tandem ubi ex aliis adhuc Augustini testimoniis probare fatigat Trutinator, per concipi in peccato non significari contractionem originalis peccati *in re, sed in debito*, præterquam, quod sanctus Doctor locis à Trutinatore laudatis nulli hujus commendatæ distinctionis facit mentionem, tamen etiamsi eam proponeret, opus insuper esset ex eodem docere, Beatam Virginem debito contrahendi obnoxiam aliquo singulari Privilegio ab ipsâ reali contractione præservatam fuisse, quod iterum inter ea refertur postulata, in cujus demonstratione Conceptionis immaculatæ Patroni adhuc debitores manent, & quod certum est atque indubium, constanter manebunt.

Nunc post Bellarminum, Informatorem Basileensem, & Trutinatorem Panormitanum aliquantò prolixius & ex professo hanc Controversiam ex Augustino tractantes, ad eos veniendum, qui itidem ad ejus explicationem nihil quidem voluerunt videri omisisse, at tamen in exhibendo Patrum, & inter eos Augustini consensu aliquantò pauciores fuerunt, paucis contenti ex eo testimoniis. Legatus certè & Orator ad Sedem Romanam Hispanus, in hoc argumento omni ex parte occupatissimus, unius ex Augustinoloqui vindiciis rem confecisse putavit, ejus nimirum, qui paulò ante finem secundum contra *Iulianum* libri legitur, quo juxta sententiam præcipuorum ante se Doctorum Pater augustus omnes in universum homines originali peccato scripsit obnoxios, nemine excepto, *nisi quem sine peccati lege legi mentis repugnante Virgo concepit*, ipsam sine dubio Virginem Deiparam excepturus, si excipiendam existimasset. Et tamen, ne hic locus, utut clarissimus, sententiæ, cujus definitionem ultimam nomine Regio Episcopus titulo *Carthaginensis* à Romano Pontifice instantè quidem rogavit, non tamen obtinuit; illatenus repugnare videretur, per

non violentas nec tortuosas explicationes, sed evidentes & genuinas solutiones quas cum pati (scribere vel dicere rectius debuit, suppeditare) putat, obscurare est conatus, præterdicens, Augustinum expresse non de hoc casu loqui, quia & illi Patres, quos nominatim recensuit, adque communem eorum sententiam provocavit, de Maria Virgine nec verbum habuerint, sed tantum de lege & obnoxia successione, omnium mortalium ad contrahendum originale peccatum; ubi insuper de suo contra mentem Augustini & cæterorum Ecclesiæ Patrum addit, singularem hanc Feminam non solum ab omni contagione peccati puram, sed & singularitate nature præventam singulari gratia fuisse, ne peccatum, cui fuerit cum cæteris obnoxia, incurreret, contra quam additionem universalis Augustini propositio laudatorum Patrum autoritate & consensu firmata militat, indè cum neminem exemerit præter Virginis Filium sine peccati lege conceptum, nostrum non est, aliam ei mentem adscribere. Et idem responsum pertinet ad Nierembergium, qui eadem Glossalocum hunc Augustini corrumpere perversa sancti Doctoris mente est ausus. Contra Pozam Elucidatorem quod observetur, super est nihil, cum de singulis, quæ emendare voluit, testimoniis jam in antecedentibus actum sit sufficienter. Atque sic omnibus expensis, quæ Conceptionis immaculatæ, piæ videlicet sententiæ Defensores ex Augustino in auxilium advocarunt, receptui canere licebit, finemque huic capiti imponere, modò lector de eo fiat certus, si plura ad hoc argumentum pertinentia ex recentioribus præsertim scriptoribus legere desideret, cum non pauca nec ubivis obvia in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* inventurum, quæ sitim possint aliquatenus sedare.

In iis autem, dum aliqua etiam ex *Caramuelis Theologiæ Fundamentali* ad hujus Controversiæ illustrationem fuerunt adducta, quæ videbantur præ aliis notatu non indigna; loco coronidis lubet adicere, quæ omnium novissimus, qui in aliis pluribus *Caramuelem* oppugnavit, nuper modò ex Ignatii Societate *Johannes de Cardenas*, Hispalensis, præfixa Collegii Cordubensis Censurâ & Adprobatione Facultatis Parisinæ, in editâ *Crisi contra Caramuelem bipartita*, iis censuit publicè opponenda, ut & hic aliquod amplius jactati inter Doctores ejusdem Ecclesiæ consensus extet documentum. Fund. v. Caramuelis verba hæc sunt: *Quæritur hodiè, an Regina Cælorum caruerit originali* § 312. Edit. Lugd. peccato? *Hæc Controversia videtur non fuisse tacta à Patribus ante quingentos annos.* § 183. Edit. Francof. *Multi videntur tenuisse opinionem severam. Hodiè cujus sint Doctores nescimus. Nam, si qui contrariam tenent, præcipiuntur tacere aut loqui nobiscum, qui piam defendimus. Quod ipsum volo notatum contra Pozam, qui frequentissimè adserit, illam, que vocatur pia, esse hoc ævo omnium Catholicorum opinionem. Nam ego, quam opinionem habeam, scio; quam habeas, nescio, nec ex verbis eam colligere possum. Nam si fortè severam tenens, nec licitè, nec impunè illam prodes, & si prudens sis, malles in materia probabili (dammare enim hæreseos piam sententiam, delirare est) te accommodare superiorum dictamini, quàm in conscientia coram Deo, coram Mundo in honore & commoditate pati jacturas & censuras. Plura quidem ibi & in sequentibus de hac Quæstione habet Caramuel, sed AntiCaramuel hæc tantum ad Crisin vocavit, ita de iis censens: *Hæc periodus multa continet certò falsâ, primum illis ver-* Tract. I. *bis, Videtur non fuisse tacta à Patribus ante quingentos annos; ex multis enim Au-* Disp. 9. *thoribus (quorum aliqui nominantur) clarè satis constat, ab initio ferè nascentis Ec-* cap. 18. *clesiæ non Controversiam, sed pacificam adsertionem in sinu Veterum Patrum natam esse. Et ex eruditissimo Viro Petro de Alvà (est is sine dubio, qui Informatoris Bafil-* *leensis de hoc argumento Tractatum edidit) comperies, & falsa esse ea verba. Mul-* *ti videntur tenuisse opinionem severam; & per summam injuriam prædictis Patri-* *bis eam attribui opinionem. Majorem tamen, inquit AntiCaramuel, mihi admira-* *tionem ea provocant verba, Hodiè, cujus sint Doctores, nescimus; & ea, quod* *ipsum volo notatum contra Pozam. Sed cur contra Pozam, & non contra Aegi-* *dium Lusitanum, qui hunc esse communem Fidelium consensum ait? cur non contra* *Granadum, idem adserentem? cur non contra cæteros hujus sententiæ Patronos, qui* *id passim adfirmant? potius contra Bullam Alexandri Septimi non quidem formaliter* *quia tunc nondum Bulla è Sacro Romana Cathedra Oraculo fuerat emissa, sed mate-* *rialiter; quod sufficit, ut videas, quam longe Caramuel iis in verbis aberraverit à ve-* *ritate. Ecce verba Alexandri: Ita ut accedentibus quoque plerisque Academii ce-* *lebrioribus ad hanc sententiam omnes jam ferè Catholici eam amplectan-* *tur.**

tur. Atqui juxta modum discurrendi Caramuelis propositio, quæ omnia fere singularia complectitur, moraliter sumpta æquivaleat universali, & ea universaliter potest affirmari. Est ergo verum moraliter, quod omnes Catholici hanc amplectuntur sententiam. Concinnant alia ejusdem Bullæ verba, quibus dicitur, hanc sententiam & cultum juxta illam (Virgini Deiparæ) exhibitum habere pacificam quasi in Ecclesia possessionem: Imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ & cultui juxta illam Beatæ Virginis exhibito negant favere, pios Christi fideles è suâ quasi pacificâ possessione deturbare conando. Vide, an Caramuel benè id notatum velit contra Pozam: imò potius contra ipsum Caramuelem, qui alibi fatetur, quod hic negat. Pergit autem Caramuel. Hodiè, cujus sint Doctores, nescimus. Addit & sequentia: Nam ego, quam opinionem habeam, scio: quam habeas, nescio, neque ex verbis eam colligere possum. Nam quid omnes, qui negant, Beatam Virginem incurrere debitum culpa originalis, nescimus, cujus opinionis sunt in contractione actuali culpa ejus originaria? Nam præter scriptores, qui debitum negant, in omnibus Academiis & Studiorum Collegiis ea est, quæ frequentius propugnatur. Numquid nescimus, cujus opinionis sint Doctores illi, qui propugnant, verum esse Martyrem, qui pro tuendâ Conceptione immaculatâ sanguinem fuderit? Quam sententiam viri quidam doctissimi in Academia Salmanticensi publicè propugnant de sententia sacri Fidei Tribunalis in judicio contradictorio, quam hodiè quamplurimi propugnant. Vix in tanta denuo exorientium librorum copiâ, qua hoc seculo frumatur, aliquis scriptor librum edit de quavis materia, in quo Mysterium Conceptionis immaculatæ non profiteatur, & nescit Caramuel, cujus opinionis sint scriptores? Vix Concionator aliquis unum protulit verbum contra hoc mysterium, aut silentio precessit solitam pissimam Mysterii in Hispania professionem, cum tota Civitas & totum turbatur regnum, sapientes & insipientes clamant, & nescimus, cujus sint opinionis, qui ita clamant: Vix ulla contradictionis occasio occurrit, cum in vulgus emittuntur quàm plurimæ Tractationes pro immaculatâ Conceptione, & nescimus, cujus sint opinionis earum Authores? Teste ipso Caramuele, qui pro opposita Conclusionè loquuntur, coram Mundo in honore & commoditate patiuntur jacturas: ergo maxima pars Mundi, scilicet Catholici, est quæpiam propugnat sententiam, quando eorum ira timetur in ordine ad jacturam honoris & commoditatis. Insistit Caramuel, ut probet, nesciendum esse, pro qua parte citandi sint Authores, qui exprobrasse loquuntur pro opinione piâ; & in Theologia Fundamentali in Regulis Juris Crollii id probat ex illa Ulpiani Regula, Vellenon creditur, qui obsequitur imperio Patris vel Domini. Vbi postquam notavit, particulam Non cadere supra creditur, & non supra Velle, & ideo idem esse, Non creditur, & non scitur, hæc habet verba: Hinc patet,posito præcepto aut jurisjurandi statuto non posse Doctores pro immaculatâ Conceptione citari, non posse contra; errarem enim, si dicerem, scio, eos loqui ex dictamine, & errarem, si dicerem, scio, eos loqui contra dictamen. Et ne me exponam periculo peccandi, dicam. Quamdiu illi liberè nequeunt loqui, quid sentiant aut non sentiant, non scio. Insisto & ego, scribit porro Anti-Caramuel, & eam regulam non esse ad rem demonstrò, primò: Ea regula non comprehendit eos, qui operantur non ex imperio, sed omninò liberè. Sed qui scribunt pro immaculatâ Conceptione non scribunt ex imperio, sed omninò liberum est illis ea scribere, & ea omittere. Ergo qui scribunt pro immaculatâ Conceptione, ea regula non comprehenduntur. Rursum, qui scribunt pro sententiâ piâ, nullo coguntur imperio ad querendum & inveniendum alias & alias vel probationes vel demonstrationes, quæ quotidie in honorem Deiparæ augentur, sive ad adferendum, Beatam Virginem fuisse immunem à debito culpæ originalis, sive ad adferendum, verum fore Martyrem, qui pro hac immunitate tuendâ sanguinem funderet, sive ad adferendum, sententiam piâ gaudere plenâ certitudine. Propugno, in Matre Dei formaliter implicare contradictionem originale peccatum. Ad id autem adferendum, nullius imperio sum coactus. Ergo manifestam mihi irrogabit injuriam, quisquis volet dubitare, an contra dictamen loquat. Præterea, vel Petrus de Alva, Eruditionis prodigium, citari potest pro immaculatâ Conceptione, vel non. Si hoc secundum dicas, triumphabo præ gaudio, quod ad negandam Lucem matutinam, imò & meridianam cogaris. Die ergo, hominem, qui animum, mentem, vires & se totum impendit pro hac immunitate Beatæ Virginis promovendâ, nullum penitus dedisse signum, ex quo ejus sententia circa hanc immunitatem colligatur. Quod si primum dicas, illum quidem pro im-

NB.

num. 1150.

maculata Conceptione citandum esse, contra est; nam ut alumnus & Francisca-
nae Familiae, ita & obstrictus propugnare hanc immunitatem, & hac obligatione
non obstante citatur pro hac immunitate. Ergo praedicta obligatio propugnandi
hanc immunitatem non obstat, quominus citetur pro illa Author. *Tertio*, vel po-
tius quarto, praecipuum quod imponitur pro tuenda hac Beatae Virginis immu-
nitate, solum est non negandi hanc immunitatem, non autem positivè scribendi
vel loquendi pro illa; hoc enim praecipuum violatur duntaxat, cum quis adfirmat,
Beatam Virginem in peccato conceptam, & non violatur tacendo, nisi quando ta-
citas ex adjunctis circumstantiis credatur esse adfirmatio peccati originalis in
Conceptione contracti. Ergo qui egreditur praecipui fines, & constituitur in liber-
tate loquendi & non loquendi, scribendi & non scribendi de hac immunitate, &
ita loquitur & scribit pro hac Beatae Virginis immunitate, manifestè declarat, se
sua uti libertate. *Quarto*, vel potius quinto, Filio familias alterutra vestis occurrit
emenda, serica & lanca. Pater imperat, ne lancam emat, si alterutram velit eme-
re, sericam emat. Habet autem filius alias vestes, quibus decenter pro statu suo
ornetur. Filius sericam emit. Numquid de involuntario filii-familias dubitabit
aliquis? Minimè. Numquid ex regula Ulpiani relatà non credetur filius voluisse,
quasi Patris imperio obsecutus, cum Pater non absolute imperaverit emtionem?
Ergo neque dici poterit, juxta regulam praedictam, quod non credatur Author vo-
luisse pia suffragari sententiae, quali obsecutus supremi Patris imperio, cum supre-
mus Pater non praescripserit, quod Author pro pia scribat sententia, sed quod si
velit scribere, pro illa scribat, non contra illam. Itaque cum aliquis interrogatur,
vel loqui cogitur de immaculata Conceptione, tunc quidem utrimque determina-
tur & ex necessitate loquendi, & ex necessitate praecipui, inhibentis partem nega-
tivam; & tunc habet locum dubitatio Caramuelis, an loquatur vi dictaminis vel
praecipui. Quando autem loqui est liberum, & ipse Author sua utitur libertate,
cum non adigatur praecipuo loquendi, adfessio ejus non potest attribui necessitati
praecipui, quae in eo eventu nulla est ad loquendum vel scribendum pro ea immu-
nitate. *Quinto*, vel potius sexto, ille censetur operari sponte, & non ex necessitate
praecipui, qui multo plus operatur, quam injungit praecipuum. Praecipit Hi-
spanis Romanus Pontifex, ut Mysterium immaculatae Conceptionis festiva solemnitate
celebrent. Obsequuntur Hispani, sed quomodo? Maximo Templorum &
Altarium ornatu, omnigeno Mulicorum concentu, & centuplis aliis publicae le-
ticiae signis. Numquid qui ita obsequuntur, operari creduntur ex mera praecipui
necessitate, an potius ex insita animis & medullis, atque ultronea propensione?
Atqui illi, qui pro immaculata Conceptione scribunt, & quam-plurima argumen-
ta Patrumque testimonia congerunt, multo plus operantur, quam injungit praeci-
puum. Ergo censentur operari sponte, & non ex necessitate praecipui; ergo ci-
tandi sunt pro immaculato Virginis conceptu, tanquam ex dictamine spontaneo
loquentes. *Sexto*, vel potius septimo, qui evidentem scribunt propositionem, non
scribunt coacti praecipuo. Sed qui scribunt pro immaculata Conceptione, Pro-
positionem scribunt evidentem. Ergo non scribunt coacti praecipuo. Consequen-
tia ligat, utpotè syllogismi in secundo modo primae Figurae. Minor constabit ex
sequentibus. Major etiam patet. Nam ubi ad unam adfessionem concurrunt de-
monstratio & praecipuum, plus influit in intellectum evidentia demonstrationis,
quam praecipuum; etenim intellectus antecedenter ad praecipuum determinatus
est vi demonstrationis & evidentiae ad Conclusionem adfirmandam. Responde-
bit Caramuel, negando Minorem, quia tenaciter adfirmat, piam sententiam esse
solum probabilem. Sed praeterquam quod illa patebit ex sequentibus, adhuc aliter
convinco responsum, *Primo*, quia negare non potest, omnes eos Authores,
qui adfirmant, piam sententiam esse certam & demonstratam, loqui ex dictamine,
cum nullum sit praecipuum eos obstringens ad adfirmandam piam sententiae certi-
tudinem. Sed omnes hodie, qui scribunt, & qui proximo scripserunt seculo, hanc
adfirmant certitudinem. Ergo omnes ex dictamine loquuntur, & non vi praecipui.
Secundo, quia negare, non potest, illis Authoribus, qui piam sententiae adfirmant
certitudinem, proponi sententiam piam tanquam certam. Ergo antecedenter
ad praecipuum determinantur ad adfirmandam piam sententiam. Patet
consequentia. Nam intellectus aequè determinatur ad adfessionem
vi evidentiae adparentis, atque vi evidentiae realis & verae. Ergo si illi,
qui ha-

qui habent evidentiam realem & veram, determinantur ad adferentiam antecedenter ad præceptum, etiam illi, qui habent evidentiam adparentem, determinantur ad adferentiam antecedenter ad præceptum. Ergo isti Authores non vi præcepti, sed vi evidentiae determinantur. Tandem Alexander VII. in Bullâ citat pro sententiâ piâ plerasque celebriores Academiæ & omnes ferè Catholicas, non obstante præcepto Cathedræ Romanæ, & non obstantibus decretis Academiarum de Jurejurando. Quare autem eos citat, nisi quia quamvis præcepto & jurejurando obstringantur ad non negandam hanc immunitatem, nullo tamen præcepto, nullâ necessitate adiguntur ad ea specialissima signa edenda, quibus mentem suam demonstrant, scribendo, plaudendo, celebrando & adversæ parti stomachando. Ergo non obstante præcepto aut Jurejurando scimus manifestò, quæ sit mens Authorum immunitate Virginis Deiparæ scribentium. Vide etiam, an possis componere hoc adferentum Caramuelis cum iis, quæ alibi in Theologia Fundamentali adferit. Nam cum num. 189 circa ea Concilii Tridentini verba, quibus ait, peccata venialia in Confessione taceri citra culpam posse, impugnet sententiam adferentem, posse esse obligationem per accidens confitendi venialia, urget ex eo, quod locutionem Concilii universalem nemini liceat limitare, ubi hanc sibi objectionem opponit, & in hæc verba: *Dices, ipsa sacra scriptura et testimonia, tametsi universaliter dicta, sæpè solent restringi & aliquas pati exceptiones; omnes enim habere peccatum originale, multi a periodi Canonice insinuant, & tamen plenè & laudabiliter Dei excipimus genitricem. Ergò similiter, tametsi verba Concilii videantur adferere, posse semper (in confessione) peccata venialia, poterit aliqua intelligi exceptio.* Cui objectioni sic facit satis: *Respondeo, nemini privato homini concessum, ut universales à Spiritu Sancto dictas & revelatas positiones restringat; illa enim, quæ hodiè restringuntur, summo totius Ecclesiæ consensu & consilio restringuntur, & hoc propter rationes fortissimas, quæ in presenti locum non habent.* Ubi vides, inquit AntiCaramuel, quàm clarè adferat, locutiones de incurisione peccati originalis, quæ in multis periodis Canonicis insinuantur, summo totius Ecclesiæ consensu restringi in Deiparæ immaculatâ conceptione, in quo verum dicit, nam quod à ferè omnibus Ecclesiæ fidelibus adfirmatur, moraliter ab omnibus adfirmatum censetur. Ergò nec, cum summus fidelium consensus restringit locutiones scripturæ sacræ universales, ut non comprehendant Virginem Beatam, cujus hodiè opinionis sint fideles, nescimus? Nescimus, cujus opinionis sint in *Questione de immaculatâ Conceptione*, & scimus, summum omnium consensum pro piâ stare sententiâ? Reprehenditur nemerito Poza, quod dixerit, piam sententiam esse hoc ævo omnium Catholicorum opinionem, ab eo, qui fatetur summum omnium fidelium in ea adstruenda consensum?

Hactenus AntiCaramuel pro Poza à ordinis Socio, Indici prohibitorum inserto, quod alias monui. Et possent hæc sufficere ad ostendendum scriptorum ejusdem Ecclesiæ in hac Controversiâ dissensum. Quia verò post editam Alexandri Pontificis de eâ Bullam Caramuel *Apologema* scripsit pro doctrinâ de probabilitate contra *Eagnanum*, inque eo non semel hujus Controversiæ fecit mentionem, in gratiam curiosis lectoris porrò adscribam, quæ juratus hic AntiCaramuel (etsi sub initium præfationis ad lectorem nomen hoc deprecetur) in eis desideravit, scribens: *Clariss adhus, & idè peccatus loquitur in Apologemate, ubi hanc scripsit Periodum:* Propositioni, Deiparam esse in peccato conceptam, est probabile, non opponitur hæc, Deipara non est in peccato concepta, quæ simpliciter sumitur & nullius est; non hæc, probabile est, Deiparam non esse in peccato conceptam, quæ Scoti & plurimorum hodiè est, sed hæc, improbabile est, Deiparam esse in peccato conceptam, quam post alios Pontifices satis clarè condemnat Alexander VII. Atqui hæc nec Scoti, nec ullius hominis prudentis est. *Vbi nota*, inquit AntiCaramuel, improbabile ibi debere sumi à Caramuele non positivè pro adferentione certò falsâ, sed negativè, id est, *Non probabile*; quia sic opponitur contradictoriè termino probabili. Inprimis adferit, quod hæc propositio simplex, Deipara non est in peccato concepta, sit nullius. Ubi miror licentiam Caramuelis, quâ coram innumeris sapientibus eam propositionem simpliciter propugnantibus, imò tanquam certam tuentibus, audet illis ipsis suadere, eos non sentire, quod sentiunt, eos non propugnare, quod adferunt. Ergò dum universæ Academiæ Catholicæ, dum omnia Studiorum generalium Collegia, dum ferè omnes familiæ religiosæ, dum ferè omnes sapientium hominum ordi-

ordines facti se jurejurando obstrinxerunt defendendi sanctam Mariæ immunitatem, nihil aliud defendere juraverunt, O res miranda! nisi adferentem ipsam Thomistis communem. Etenim, ut fatetur Caramuel, Thomistæ pleno ore adferunt, probabilem esse sententiam de immunitate Deiparæ; hoc idem jurant Academia, Collegia, religiones & ordines omnes hominum doctorum. Jurarunt ergo defendere, quod Thomistis etiam est commune, & super quo secundum Caramuelem nulla est Controversia. Sed ita dicendum erat, ut dictorum falsitas deprehenderetur evidentiùs. Sed si Caramuel sincerè vult inquirere, an hæc propositio simplex, Deipara est sine peccato originali concepta, sit nullius, legat *Militiam immaculatæ Conceptionis* ab Eruditissimo Viro, *Petro de Alvà* compositam, ubi sex millia Authorum inveniet, qui eam propositionem simplicem adseruerunt. Quod autem dicit, Scotum & Scotistas nihil aliud contendere, nisi quod probabile sit, Deiparam non esse in peccato conceptam; id quidem plus-quàm fallum esse, cæci vident & surdi audiunt, est enim luce meridiana clarius, & formidabilibus tonitruis clamorosius. Quot lites, quantoque fragore sonantes vidit orbis super hoc articulo inter Scotistas & Thomistas: Et omnes nos cæcos, surdos, stolidos vult Caramuel, dum contendit, Controversiam esse de adferentione utriusque partis propugnatoribus communi. Quis crederet, Hispanos Gallosque se acriter usque ad summam internecionem debellare eo fine, ut communi consilio Luteria Parisiorum regi suo subdita permaneret, nisi qui crediderit, Scotistas & Thomistas acerrimè pugnare pro jure probabilitatis, quam communi consilio ab utriusque partis militibus propugnari iste adserit Author: *Vnam Eurvsque Notusque ruunt, creberque procellis Africus, & vastos volvunt ad sidera fluctus.* Et credemus adferenti Caramueli, nullibi tempestatem esse, sed omnia pacata. Sed cum posteriorem proximè relatæ periodi partem relego, quinque propositiones noto, in sequentibus reprobandas. *Prima est*, hanc propositionem, non est probabile, Deiparam esse in peccato conceptam, condemnatam esse ab Alexandro Pontifice. *Secunda*, illam ab eo condemnatam esse satis clarè. *Tertia*, condemnatam esse ab aliis Pontificibus. *Quarta*, eam non esse Scoti. *Quinta*, non esse ullius hominis prudentis. Quo autem sensu illam Scotus adserat & plurimi homines prudentes, explico in sequentibus. *Pergit jam in censendo & perstringendo Caramuele*: Præterea ibidem sic ait, *Hujus actus, Virgo concepta est sine maculâ, objectum est incertum, de illo opinari aut etiam quis potest, forte in Deiparæ conceptione fuit peccatum.* AntiCaramuel repouit, *In his verbis & Bulle Alexandri Pontificis, & sibi met ipsi contrarius est.* Bullæ quidem in illis, quæ paulò ante retulerat Author, nempe, *libros, in quibus præfata sententia, Festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, prohibemus, & ipso facto absque aliâ declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus & mandamus.* Itaque Pontifex prohibet libros in quibus præfata sententia de Conceptione immaculata in dubium vocatur. Sed in hoc libro verbis relatis, *fortè in Deiparæ Virginis Conceptione peccatum fuit, in dubium revocatur præfata sententia de Conceptione immaculata.* Est ergo liber prohibitus, & relatæ verba peccant contra Bullæ præceptum. *Sibi etiam contrarius est*, scribit porro AntiCaramuel. Etenim sæpè expostulat cum aliis Authoribus, quod confundant dubium cum probabilitate dum adferunt, *esse dubia, quæ probabilia sunt.* In his autem verbis proximè relatis, cum dixerit, *sententiam piam probabilem*, adhuc vult esse dubiam; & quod in aliis negat opinionibus, in hac sola de Conceptione immaculata dubium cum probabilitate confundit. Accedit, quod ipse docet & sæpius inculcat, *dubium nihil esse aliud, quàm rationem levem.* Si ergo juxta Caramuelem dubitari potest de sententia piâ, infertur apertè secundum ejus doctrinam, rationes sententiæ piæ esse leves. Undè ulterius infertur, eam non esse probabilem; opinio enim, quæ levibus nritur rationibus, probabilis non est, cum opinio probabilis sit illa, quæ gravi falcitur ratione, juxta definitionem ab omnibus, ipso etiam Caramuele admittam. *Hæc directè contra Caramuelem.* In sequentibus ubi demonstrare laborat, *sententiam piam à statu probabilitatis ad triplicem gradum certitudinis transiisse*, quia hinc indè Caramuelis meminit, quid porro contra eum habeat, breviter excerpemus, de quo ita: *Caramuel milies reperit variis in locis, hanc sententiam piam non transiisse limites probabilitatis, sed præcipuè in Apologemate contendit latè, post Bullam Alexandri Septimi in solo probabilitatis gra-* num. 156.
num. 157.

in materiâ Fidei & Morum ad Conscientiâ securitatem sufficere opinionem probabilem; quod cum sententia pia merè sit probabilis, adhuc ea probabilitate innixus præcipiat Alexander, juxta eam exhiberi publicum Beatae Virginis cultum, & oppositam opinionem perpetuo gravari silentio. Imò existimat, declaratum esse ab Alexandro in ea Bulla, *opinionem oppositam esse probabilem*, ait enim, ab Alexandro esse damnatam hanc propositionem, *Non est probabile, Deiparam esse conceptam in peccato originali*. Hæc autem omnia tam longè absunt ab evidentiâ, ut oppositum sit demonstrandum. Itaque Theologi, præcipuè Hispani, jamdiu ostendunt, etiam ante Bullam Alexandri hanc sententiam non esse in gradu probabilitatis, sed ascendisse ad omnimodam certitudinem, *non Fidei, sed moralem physicam & metaphysicam*; post Bullam verò Alexandri sententiam piam esse multò evidentiorè. *Authoribus super hoc laudatis, & consequentiâ exinde deductâ, contra Caramuelem porro ita scribit: Quod autem dicit Caramuel, sufficere probabilitatem opinionis, ut exhibeatur cultus & celebretur festivitas Conceptionis, evidenter refellitur.* Est enim maximâ certitudine firmum, Beatam Virginem in Nativitate fuisse sanctam, quin relinquatur locus probabilitati, ubi tota ratio certitudinis est, quod Ecclesia celebrat Festum Nativitatis. Sed Ecclesia celebrat (quoque) Festum Conceptionis & præservationis Beatae Virginis ab originali; ergo simili certitudine firmum esse debet, quin relinquatur locus probabilitati. *Secundo, non relinquatur locus probabilitati in eo, quod Ecclesia celebrat Festum laude dignum, quale est falsum; sed inde colligitur evidenter, Conceptionem in primo instanti fuisse sanctam. Ergo non relinquatur locus probabilitati in eo, quod Conceptio in primo instanti non fuerit sancta. Tertio, non relinquatur locus probabilitati in eo, quod Ecclesia Deo agat gratias pro Beneficio falso & fictitio; sed Ecclesia agit Deo gratias in sacrificio Missæ, quod Beatam Virginem præservaverit à culpa originali, quod evidens est ex Bulla Alexandri. Ergo non relinquatur locus, probabilitati in hoc, quod Beata Virgo præservata non fuerit. Quarto, non relinquatur locus probabilitati ad hoc, ut non sit verum illud, quod Ecclesia adfirmat, celebrando id cultu sacro. Sed Ecclesia adfirmat, Beatam Virginem præservatam fuisse à culpa originali, cum id, quod profert Sacerdos in Sacrificio Missæ, dicat nomine Ecclesiæ Catholicæ, ut publicus minister & legatus illius in Curia Divina. Ergo non relinquatur locus probabilitati ad hoc, ut non sit verum, quod Beata Virgo fuerit præservata à culpa originali. Sed nondum satis contra Caramuelem, cujus porro argumentum ad Crisin vocat, quo hanc sententiâ, quam vocant, piâ probabilitatem adstruere laboravit. In verbis, inquit Criticus, supra ex Apologemate relatis hoc continetur argumentum: Alexander Pontifex condemnat hanc propositionem, non est probabile, Virginem esse conceptam in peccato; ergo si illa est certo falsa, hæc erit certo vera, probabile est, Virginem esse conceptam in peccato. Et ibidem refert Caramuel clausulam prohibitionis adferendi, eam propositionem esse peccatum mortale vel hæresim, & idem inde colligit. Et iterum ebidem ait, neutrum adferens, quamdiu purè mentalis sit, esse peccatum mortale definirunt Pontifices, & clarissimè Alexander in Bulla ultima, oppositum adferentes condemnans. Itaque hæc consequentiâ apud Caramuelem est legitima, Alexander VII. damnat adferentes, esse hæresim aut peccatum mortale propositionem de peccato originali Beatae Virginis; ergo definit esse licitum, interne adferenti ei propositioni, adferenti eam conclusionem de conceptione Virginis Deiparæ in originali: *Licitum*, inquam; id est, non mortaliter illicitum. Et ut veritas pateat, ita pergit Criticus, notanda sunt Alexandri verba: *Vetamus autem, Sexti Quarti Constitutionibus inherentes, quempiam adferere, quod propter hoc contrariam tenentes opinionem, videl. gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen aut mortale peccatum incurrant, cum à Romana Ecclesiâ & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum.* Videamus ergo, quam male Caramuel inferat, Alexandrum clarissimè definivisse, licitum esse adferendum internum ad propositionem de Conceptione Virginis cum macula originali. Id autem ostenditur primò. Qui prohibet adferere, quod sit peccatum mortale ea propositio de Conceptione Virginis cum macula non prohibet id sentire. Patet, quia constitutio pœnalis non extenditur, tum quia odia sunt restringenda, tum quia si id est certum in quibuslibet odiosis, multò magis in iis legibus, quæ pœnam infligunt, ut supponunt omnes. Tum sic, ergo ea constitutione solum prohibeor id adferere, ergo non prohibeor sentire; ergo ex vi hujus Constitutionis licitum est mihi, & permillum sentire (verè, aut falso) propositionem de Conceptione cum originali maculâ esse peccatum mortale.*

NB

num. 229.

num. 157.

num. 86.

NB

mortale, dum non adferam verbo, vel fcripto, vel alio figno manifeftativo. Ergo, quando mentaliter fentio, illicitum eſſe mortaliter adfenfum internum propoſitioni de Conceptione cum maculâ, non contravenio conſtitutioni; ergo licitum eſſe hunc adfenfum non definit ea Conſtitutio Alexandri. *Quinque* ſunt conſequentiæ, & quælibet ex immediatè antecedenti inferitur evidentè. *Primam*, quod ſolum prohibeor adferere; ex antecedenti certiffimè inferri, nemo non videt. *Secundâ*, quod non prohibeor ſentire, manifeſtè continetur in primâ, attento eo adverbio, ſolum. *Tertiâ*, quod ex vi hujus Conſtitutionis licitum ſit ſentire, patet, quia ex vi hujus Conſtitutionis licitum mihi eſt, quidquid ipſa non prohibet. *Quartâ*, quod non contraveniam Conſtitutioni, quando mentaliter judico, illicitum eſſe adfenfum partis oppoſitæ, conſtat ex præcedenti, quia dum ex vi Conſtitutionis mihi licitum eſt ſentire mentaliter, quod Authores partis oppoſitæ peccant; non contravenio Conſtitutioni ita ſentiendo; nemo enim violat Conſtitutionem; operando, quod eſt licitum ex vi illius, & quia Conſtitutio, quæ duntaxat adſertionem prohibet; non internum prohibet adfenſum. *Quintâ* verò conſequentia evidentius adhuc colligitur ex dictis; etenim hæc duæ propoſitiones non componuntur in veritate: Hæc Conſtitutio definit, licitum eſſe adfenſum opinioni minus piæ & non contravenio Conſtitutioni, dum mentaliter judico, eſſe illicitum adfenſum opinioni minus piæ. Quia ſi Conſtitutio definit, licitum eſſe adfenſum opinioni minus piæ, evidens eſt, quod pecco, dum judico eſſe illicitum. Itaque hæc legitima eſt conſequentia, Conſtitutio definit, licitum eſſe adfenſum internum opinioni minus piæ; ergo contravenit Conſtitutioni, qui judicat mentaliter; illum adfenſum eſſe illicitum. Ergo legitima eſt hæc conſequentia ab oppoſito contradicторio conſequentis ad oppoſitum contradicторium antecedentis: Non contravenit Conſtitutioni, qui judicat mortaliter, adfenſum internum opinioni minus piæ eſſe illicitum; ergo Conſtitutio non definit, licitum eſſe adfenſum internum opinioni minus piæ. *Oſtenditur ſecundo*, malam eſſe conſequentiam à prohibitione adſertionis ad prohibitionem adfenſus: Hæc Conſtitutio prohibet adferere, Beatam Virginem conceptam in peccato, & non prohibet ſentire, Beatam Virginem conceptam in peccato; ergo non valet conſequentia à prohibitione adſertionis ad prohibitionem ſentiendi. Ergo quamvis prohibeat adferere, eſſe mortaliter illicitam opinionem minus piam, non prohibet id mortaliter ſentire; ergo non definit, eſſe licitum adfenſum internum opinionis minus piæ, cum definitio opponatur contraventioni mentali. *Oſtenditur tertio* ex verbis ipſius Bullæ, cum à Romanâ Eccleſiâ & ab Apoſtolica ſede nondum fuerit hoc deciſum. Rogo enim, ad quid refertur illud pronomen demonſtrativum, *Hoc*? Et quidem quando plura ſunt dicta, pronomen *Hoc* refertur ad poſtremum. Quodnam ergo eſt poſtremum, & fini periodi proximum? Sanè immediatum eſt hoc, Quod propter hoc contrariam opinionem tenentes; videlicet, glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen aut mortale peccatum incurrant, cum à Romana Eccleſiâ & ab Apoſtolica ſede nondum fuerit hoc deciſum. Eſt ergo ſenſus, quod nemo adſerat, opinionem minus piam eſſe hæreſin aut peccatum mortale, quia hoc non eſt deciſum ab Apoſtolica ſede, ſcilicet, quod id hæreſis ſit vel peccatum mortale. Ergo juxta legitimum hujus clauſulæ ſenſum à ſede Apoſtolica non eſt deciſum, an ſit hæreſis vel peccatum mortale contrarium tenere opinionem; ergo dicitur falſo, eſſe definitum, quod non ſit peccatum mortale; vel quod non ſit illicitum, contrariam tenere opinionem. Ergo contra tenorem Bullæ adſerit Caramuel, eſſe deciſum, licitum eſſe adfenſum internum opinioni minus piæ, cum Pontifex dicat, id non eſſe deciſum. Hinc colliges, plus-quàm falſum eſſe id; quod Caramuel adſumit, ſcilicet damnatam eſſe ab Alexandro hanc propoſitionem; Non eſt probabile, Beatam Virginem eſſe conceptam in peccato; ut patet ex dictis. *Poſt plura adhuc*: Quia Caramuel ſæpè inculcat hoc argumentum; opinio de Conceptione Virginis Deiparæ in originali prohibetur ab Eccleſiâ, & tamen probabilis manet, cum Alexander eam declaret probabilem, ergo opinionès; quæ interduntur, adhuc manent probabiles; operæ pretium eſt; inquit Criticus; ut in examine hujus conſequentiæ aliquantò amplius immoremur. Et do Caramueli gratis, quod antecedens ſit ve-

rum; & ut videas vim consequentiæ, compone opinionem de Conceptione Virginis Deiparæ in originali cum opinione de absolutione datâ in absentia penitentis, & sic arguo. *Primo*, opinio de Conceptione Virginis Deiparæ in originali post interdictionem manet probabilis, idè, quia Pontifex, attestante id Caramuele, illam declarat probabilem. Sed sententiam de absolutione datâ in absentia declarat Pontifex falsam, temerariam & scandalosam, quæ verba cum probabilitate stare non possunt. Ergò nulla paritas est ab unâ ad alteram, sed disparitas luce meridianâ clarior, cum primam declarat Pontifex probabilem, & secundam declarat improbabilem. *Secundo*, opinionem de Conceptione minus piam interdicat Ecclesia ad vitanda scandala, quæ oriuntur ex ejus locutione se auditiones, & opinionem de absolutione inter absentes interdicit Pontifex ob ejus improbabilitatem. Sed dum interdicit opinionem ob scandala ex ejus locutione profecta, non damnat conclusionem ipsam propter se, sed propter effectus externæ adfirmationis; & dum interdicit opinionem ob ejus improbabilitatem, damnat ipsammet conclusionem propter ipsam. Ergò stat, quod prima non remaneat in seipsa damnabilis, & quod secunda damnata in seipsa remaneat; ergò ex eo, quod prima non remaneat in seipsa & propter seipsam damnata, passione arguitur ad hoc, quod secunda non remaneat in seipsa & propter seipsam damnata. *Omnia hæc pluribus omissis AntiCaramuel*, quæ utut aliquantò prolixiora, lectori tamen idè ingrata non fore spero, quia egregium exhibent specimen, & quidem à typis adhuc calens, quomodo Cadmæi fratres, unius Ecclesiæ filii, circa unam eandemque sententiam, quam sub elogio *Pietatis* commendant & propugnant, semetipsos conficiant, & quàm in explicatione Bullæ Pontificis Romani, quem nomine Patris sanctissimi honorant, diversi sint, alias contra hæreticos, quos ira promiscuè adpellant, unitatis jactatores insolentissimi & superbissimi. Meum nunc non est hos inter eos componere lites, quamvis non deessent, quæ vel pro *Caramuele* vel contra illum ad rei veritatem sine præjudicio ostendendam possent dici; cum lector eruditus ex ante dictis facillè possit discernere, quæ *Criticus* in Antagonista, quem ex professo suscepit oppugnandum, rectè, quæ minus culpaverit, genio & ingenio non semel indulgens.

Et quia Caramuelis *Apologema*, quod pro doctrinâ de probabilitate contra *Fagnanum* scripsit, non sine causa indici prohibitorum est insertum; ex sententiâ eorum, qui huic rei præsumunt, fortè non malè egit, quod ea exindè *Criticus* subiecit examini, quæ non planè nullam præbuisse videatur ansam ad id publice proferendum, contra quod itidem ex professo *Franciscus Bone Spet*, ordinis Carmelitarum, Doctor Lovaniensis, *Apologema* retortum pro doctrinâ *Fagnani* edidit, Facultate Generalis, Adprobatione Provincialis, Theologorum ordinis, & Censoris ordinarii unitus. Quod verò Theologiam ejus *Fundamentalem*, Romæ revisam & in non paucis mutatam, àque *Magistro Palatii* & vices ejus gerente approbatam, sicut in aliis pluribus, ita in hac etiam Controversiâ, & quidem cum multa animi commotione & acerbitate adgredi est ausus, adque suam vocare *Crisis*, eorum erit judicare, qui Caramuelis doctrinam hætenus tantum non pro planè infallibili habuerunt. Ex omnibus autem, quæ rigidissimus hic *AntiCaramuel* prolixissimè hætenus observavit, illud unum quasi loco Adpendicis lubet ex alio quodam scriptore novitio ulterius expendere, quod de Martyrio pro sententiâ, quæ pia vocatur, monuit, laudatis eam in rem Authoribus, quibus non immeritò additur, cujus antehac etiam mentio est facta, & qui in sequentibus iterum occurret, *Thomas de Hurtado*, Toletanus, Clericus Regularis, & in Collegiis Complutensi, Salmanticensi, Romano & Hispalensi Professor, qui in suis *Resolutionibus Scholastico-Historicis* de vero Fidei Martyrio, ut plurimum *Theophilo Raynando*, Martyrii per Pestem defensori oppositis, hanc quoque tranctandam suscepit Quæstionem, *Vtrum tuitio, quod Beata Virgo fuerit immans ab originali culpâ, causa sit Martyrii?* Is quamvis in resolutione dicat, certum esse debere, quod quis testimonium ferre possit subeundo Martyrium pro defensione legum & decretorum summorum Pontificum & Consiliorum, quæ tempore Sixti Quartii usque ad Urbanum Octavum dicta sunt in favorem opinionis piæ, ad fidelium con-

Resol. 25.
num. 5.
pag. 61.

Concordiam, Pacem & rectum regimen attinentia, pro evitandis inconveni-
 tibus; quæ ex difputationibus, sermonibus & fimilibus (aliis) actibus publicis in
 populo oriebantur quotidie; sic enim, *inquit*, qui mortem fubit pro illius defen-
 fione, dubio procul est Martyr, moritur enim pro actu Virtutis, in qua relucet
 veritas Fidei, moritur pro defenfione Jurisdictionis Ecclefia, pro qua mo-
 ri verum est Martyrium; *addit tamen notanter*, Caterum hoc nihil dicit pe-
 culiare, cum non fit Martyr, qui fic moritur pro veritate Conceptionis, fed
 pro veritate Jurisdictionis Ecclefia, pro qua pati licitum est & caufa Martyrii, et-
 iam fi falsum effer, quod Beata Virgo fuerit præfervata ab originali. Quare,
feribit Refolutor, qui moritur pro Defenfione legum & Decretorum hujufmodi,
 in materia Conceptionis non moritur, nec indirecte per fe pro veritate Con-
 ceptionis, fi quidem illa poffunt effe rectiffima & prudentiffima, & stare cum fal-
 fitate in re ipsa ejuſdem. *Post hæc ad refolutionem lectori exhibendam ponit fequentia*:
 Duplex ergo Punctus fuperest enodandus, *primus*, an fi quis moritur pro
 majore defendenda probabilitate fpeculativa opinionis pia, fit verè Martyr? *Se-*
cundus, an qui judicat eſſe certam ſibi etiam ſpeculativè opinionem de Virgi-
 nis præfervatione à maculâ originali, fi pro illius defenfione mortem ſubeat,
 fit verè & propriè Martyr? *An utrumque punctum ubi Raynandum cum*
Granado, quem Anti-Caramuel etiam hic laudavit, & quidem verbis hujus lib. I. cap. 8.
adductis, adfirmare oftendit, ita ſuam expreſſit mentem: In utroque mihi omni-
 nõ diſplicent in Authores. *Ante autem rationes hujus ſui diſſenſus proli-*
xum commendavit ex Alphoñſi Caſtreñſis, Franciſciani, opere de juſta hereti-
corum punitione teſtimonium, ex quo hic legi merentur ſequentia: Ecclefia
 nihil de Conceptione Virginis Deiparæ hæcenus definit, an fuerit cum pec-
 cato originali, vel ſine illo concepta; ſed liberum cuique dimittit, ut quam
 voluerit hæc de re teneat opinionem. Sic enim definit Sixtus Pontifex hujus
 nominis Quartus, in Extravagante, quæ incipit, Grave nimis, &c. quam De-
 cretalem Concilium Tridentinum Sefſione quarta confirmavit. Si quis ſtante
 hæc Ecclefia definitione alterutram opinionem tam firmo tueretur animo, ut
 illum putaret Fidem Catholicam, & admonitus de hæc re in eadem nihilo-
 minus ſententiâ tam pertinaciter perfeveret, ut pro illâ fit mortem ſubire
 paratus; hic talis abſque ulla dubitatione cenſendus erit hæreticus, quia Ec-
 cleſia definitioni ſic parere refugit, ut illam errare pertinaciter credat, cum
 ea, quæ iſtius iudicio ſunt certa, teneat pro incertis. *Subjungit de ſe hæ-*
reſum & hereticorum proſcriptor: Ego quidem Deiparam Virginem ſine
 peccato originali fuiſſe conceptam credo, quia hoc magis pium eſt, & mag-
 is dignitati Matris Dei conveniens, & Filii, generis humani Redemptoris,
 dignitati nec pilum detrahens; attamen non tam firmo hæc teneo ſententi-
 am animo, ut illam putem eſſe Fidem Catholicam, atque ideo pro hujus ſenti-
 entia tutelâ non libenter cervicem gladio ſupponerem. *Refolutor laudata hæc*
Caſtreñſis ſententiâ ad indicandam de ea mentem ſuam hæc ſubjungit. Suppoſi-
 tâ hæc doctrinâ, dico, *Primo*, ſi, ut ajunt contraria ſententiâ Authores, il-
 le qui defenderet, opinionem piam eſſe probabiliorem, & pro hujus majoris
 probabilitatis defenfione occumberet, ſi referret illud in cultum Virginis, &
 majorem Matris Dei honorem, eſſet verè ac propriè Martyr; etiam ille, qui
 defenderet opinionem Thomæ & Thomiſtarum eſſe probabilem, & hæc prob-
 abilitatem ſpeculativam ordinaret in cultum Chriſti & ſingularem ejus præ-
 rogativam, ut de factò ordinant Thomiſtæ, etiam dubio procul erit verè &
 propriè Martyr. *Probatur manifeſtè*, quia prior ille ideo eſt Martyr propriè,
 quia moritur pro tuenda veritate, qualis eſt, eſſe probabile & magis proba-
 bile, quod Beata Virgo eſt ab originali præfervata. Atqui etiam eſt verum,
 quod fit probabile, non fuiſſe præfervatam, ut definit Sixtus Quartus, Gre-
 gorius Decimus Quintus & Urbanus Octavus, (qui) decreverunt, nullatenus
 ſuis decretis velle ſe præjudicare Thomæ ſententiâ; cujus probabilitas
 ſpeculativa perfeverat immota & inconcuſſa, & perfeverabit, uſque dum
 Ecclefia definiat contrarium. Ex quo fit, quod ſi quis mortem ſubeat pro
 defenfione probabilitatis ſpeculativæ utriuſque opinionis circa Virginis præ-
 ſerva-

NB.

servationem ab originali culpâ, verè & propriè erit Martyr, quia utriusque opinio-
nis probabilitas definita est ab Ecclesiâ multis Pontificiis decretis. *Secundo*, defen-
sio præservationis Beatæ Virginis Dei Matris ab originali culpa non est causa veri
& proprii Martyrii, imò vitam perdere pro hoc non est licitum. Hæc fuit senten-
tia Castrensis, quæ adeò mihi certa videtur, ut contrariam non facillè liberarem à cen-
surâ; non quia adprobem eam, quâ is inurit oppositum, quamvis rationes ejus mihi
videantur manifestæ, quas ad hoc unum reduco dilemma: Quia de Fide est, quod
utraq; opinio sit probabilis, usque dum definitione Pontificiâ liquidum adpareat ve-
rum; ergo quantumcunque quis propter adfectum ita adhæreat opinioni Scoti, quod
evidens moraliter sibi adpareat, quod Beata Virgo fuerit præservata, semper habet in-
trinsecam formidinem ex vi medii, cui innititur, imò non potest illam non habere, cum
oppositum sit declaratum probabile ab Ecclesiâ, & judicium de præservatione ab ori-
ginali semper sit incertum & topicum, & sic nunquam possit esse dictam prudenti-
tiam acquisitâ, nedum infusâ, quod sit licitum pro defensione ejus occumbere, & sic
implicat in adjecto, quod sit Martyr verè & propriè. Etenim verum & proprium Mar-
tyrium est maximum veritatis testimonium, cum non possit quis majus præbere judi-
cium, quod aliquid verum sit, quam adpetere mortem pro illius adseveratione & de-
fensione; nam sic eo ipso testatur, se illam veritatem putare certam. Ergo qui putat
incertam, non est Martyr, si moriatur pro illâ. Atqui ex vi medii hodie nullus potest
certam putare Virginis præservationem; ergo judicat incertam, cum judicium suum
non sit majus quam opinionis magis probabilis, pro cuius opinionis veritate, utpotè in-
certâ nullus potest vitam fundere. Nec stantè (hac) definitione, quod utraq; opi-
nio sit probabilis, potest quis judicare, quod aliqua sit moraliter certa & evidens. *Inter
objectiones tertiam & ultimam ponit hanc*, quod opinio pia sit canonizata ab Ecclesiâ.
Sed pro defensione sanctitatis canonizati alicujus sancti (quamvis non sit de Fide per
se primo, quod sit sanctus, sed hoc solum sit piè credendum, ut Thomas ait), potest quis
mortem obire, & erit Martyr verè & propriè. Ergo etiam si moriatur pro defensione
præservationis Beatæ Virginis Dei Matris ab originali culpâ. *Antecedens probatur*,
quia in honorem præfatæ præservationis institutum est officium & Missa, concessæ
(etiam) indulgentiæ, probatæ religiones, tam regulares, quam militares. Ergo canoniz-
ata est hujusmodi Conceptio & præservatio, quamvis non sit de Fide. *In respon-*

NB.

sione provocat resolutor ad libellum Innocentio Pontifici, de Definitione non sine
Concilio faciendâ in Controversiâ de præservatione Virginis ab originali, oblatum,
in quo de materia hujus objectionis latè se disseruisse scribit, negans, opinionem
piam esse canonizatam ab Ecclesiâ, canonizatione universali aut particulari, sed
solum fovisse devotionem fidelium; & ne ex contrariâ sententiâ dissensiones orien-
tur, utque pacem conservaret in Ecclesiâ, eâ, quæ refert argumentum, concessit,
in nihilo præjudicans oppositæ sententiæ, quam in eodem statu & terminis reli-
quit; in quibus ante hujusmodi concessiones existerat. Summus enim Ecclesiæ
Pastor & Rector, Gregorius decimus quintus in brevi scripto sorori Margaritæ à
Crucè, Régis Catholici Philippi Tertii Amitæ; illi adloquens sic fati: *Spiritus
Sanctus accuratissimis precibus exoratus nondum tanti Mysterii arcanum sua præse-
rit Ecclesiæ; nos tamen; nisi eo præeunte, Aeternitatis volumen in Christianâ sapientia ca-
thedra legere debemus. Quare tam gravi deliberatione à Pontificum maximorum; qui
nos antecesserunt; sententiâ recedendum non esse hoc tempore arbitramur. Temera-
rium ergo est adferere; quod Virginis Dei Matris præservatio ab originali sit ab
Ecclesiâ canonizata. Quod si Ecclesiæ nondum est posita lex credendi, non po-
test esse imposta lex supplicandi & colendi; alias Altare & Cathedra Petri non
conveniret; siquidem in istâ (hac) non est ultima definitio conclusum hoc ar-
canum, & in Altari colitur & adoratur cultu religioso supernaturali; & sic fide-
les haberent colendam sanctitatis excellentiam, quam Pontifex in Cathedra se-
dens non veneratur, quod dici absolum est. Non enim oves rationales alia in-
grediuntur pascua, quam Pastores; omnes enim in Fide & cultu pares sunt &
numero æquales. Quam si summus Pontifex nondum definiendo respexit san-
ctitatem Conceptionis Beatæ Virginis pro instanti primo, nec oves illam vene-
rando queunt respicere & pro illa mortem obire; & sic quousque sit Lex
credendi, nequit ab illa dirigi lex supplicandi & colendi. Tandem ita
finit*

NB.

fnit hanc resolutionem: Quid ergo respiciunt summi Pontifices, dum omnia hæc Privilegia concedunt Opinioni Scoti, si non attendunt præservacionem pro instanti primo? Audi, inquit, Doctores gravissimos, qui Scoti doctrinam sunt amplexati, Eminentissimum Cardinalem Bellarminum: *Fundamentum hujus festivitatis, scribentem, lib. III. de*
præcipuum non esse Conceptionem immaculatam, sed simpliciter Conceptionem Matris Dei cultu sancti
fuituræ, qualiscunque fuerit illa Conceptio; eo (enim) ipso, quod fuerit conceptio Matris c. 10.
Dei singulare gaudium adfert mundo &c. Legantur Suarez & Vasquez, qui manifestum ponit discrimen inter festivitatem Conceptionis & Nativitatis Beatæ Virginis, (ostendens) quod ex festivitate Nativitatis colligatur ejus sanctitas, non tamen ex festivitate Conceptionis. Hæc Cleticus ille regularis, cujus resolutiones quamvis itidem Iudici Romano sint insertæ, ac *Nicolaus du Bois*, Professor Lovaniensis, in suis Tractatibus de damnatis propositionibus & Censuris, nimis rigorosè, si non etiam iniquè videatur de iis judicasse, talibus tamen elogiis operi præfixis sunt munitæ, ut facile aliquem sustinere, imò & superare possint impetum. Ideò autem lubentius ea huc in gratiam lectoris adposui, quia non pauca continent, quæ contra *Anti-Caramuelem* militant, id præsertim, quod ipsum atinet in causa Conceptionis immaculatæ Martyrium, præeunte Castrensi, et si Franciscani Ordinis scriptore, ita limitatum, ut neque dicatur licitum, nedum aliqua ex parte necessarium, neque si hoc etiam sit, illud sententiæ contrariæ & oppositæ eadem ratione possit negari, utrobique autem quam-maximè requiratur definitio Ecclesiæ in Concilio, certe non particulari, sed universali, si modò tale aliquod fideles à Sede Romanâ expectare possunt. Ego nunc post hanc quoque digressiunculam, lectori tamen forte non injucundam, caput hoc finio, ubi prius monuero, *Ephemerides* Gallorum meminisse alicujus libri de Conceptione Virginis à *Raymundo Lullio* (de quo ex variis Authoribus plucula antehac in Dissertatione Epistolari de *Antitheif*, Tom. I. p. 73.
 mo notavi) compositi, ac in linguam Hispanicam ab *Alphonso de Zepeda* versi, dialogum exhibentis, in quo Scopus fuerit demonstrare, *Beatam Virginem conceptam esse absque peccato originali*, demonstratione institutâ per quinque conditiones, quatuor metaphoras & octodecim rationes. Addo, in iisdem nominari librum aliquem Gallico idiomate & Authore scriptum, de *vita sanctæ Virginis Mariæ*, cum notatione Censurorū *ibid. p. 108.*
 quorundam, id corrigere in primis volentium, quod in observationibus super *Conceptionis Festum à se compositis Author non affirmaverit*, sanctam Virginem à peccato originali fuisse custoditam, sed hoc tantum dixerit, quod *sanctificata sit ante Nativitatem suam*. Subjunxit autem Collector *Ephemeridum*: *Cum Ecclesia hanc rem absolutè nondum definierit, cumque vel omnia omnino, quæ in Conceptionis immaculatæ favorem produci possunt præjudicia, homines ad credenda, quæ ipsis videntur dubia convincere non possint, id omne, quod hoc in casu potest exigi, in eo consistit, ut ratione ab Authore libri adhibita utamur; quippe qui nihil contra hoc Mysterium statuit, sed honorifico id honoravit silentio*. Hæc ille, quibus hanc claudimus quæstionem controversam, hac protestatione addita, nihil nos ex adductis intellectum velle debito Beatæ Virginis honori contrarium, sed omnia ad sensum Augustini in ea indagandum, quæ lectoris studiosi iudicio committuntur.

His dudum ad finem perductis, amici opera incidi in *Theologiam Petavii Dogmaticam*, cui inter alias plures hæc etiam Controversa quæstio est inserta, de qua quid scriptor hujus seculi & ordinis sui celeberrimus ad Augustini mentem, quam hic primariò attendimus, observavit, quia opus hoc esse rarum scio, juvat in gratiam lectoris innocenter curiosi post cætera, quæ ex aliis fuerunt adducta, breviter subicere, quantum videlicet ad instituti rationem videbitur pertinere, iis omissis, quæ aliud desiderant tempus & locum. Ita autem in genere de ipsius Controversiæ statu præfatur: *Hæc quæstio postremis his temporibus acrius cepit exagitari, & majores in quibusdam excitavit impetus animorum, quam bene consulta & provisa ratio pateretur, adeò ut in partes & factiones, atque inde in simultates, & propemodum odia inter necina vis & ardor contentionis eruperit. At qui jam pridem grassantis Belli hujus semina Pontificum Romanorum, imò totius Ecclesiæ auctoritas gravissima compresserat, cum ita decreverit, neutrius partis fautores esse damnandos, neque pro hæreticis aut ullius peccati reis & convictis habendos, eo quod nihil adhuc super Controversa hac Ecclesiæ Romana vel Sedes Apostolica pronuntiavit, &c.* In specie paucis interpositis ad Augustini auctoritatem pertinentia hæc habet: *Princeps inter Latinos enodandi & accuratius explicandi illius Mysterii fuit Augustinus, qui & nominatim in eâ quæstione pertractanda sanctissimæ Dei Matris meminit, sed*

T. 4. part.
 alt. l. 14 de
 Incarn. c. 2.
 p. 388. &
 seqq.

sed ita, ut hanc ipsam communi sorte ac lege originalis noxæ includat. Hujus duplici genere testimonia sunt statimenda. Nam alias generales sunt sententia, quibus solum ab illa excipit peccato Christum, reliquos vulgari parentis utriusque propagatos satum in illud immerfos fuisse contendit, alias de Dei genitrice privatim adserit idem. Et quamvis aliquæ sententiarum & illis similes, quas Dogmaticus scriptor utrobique adducit, supra jam non sine numero occurrerint, non præter rem erit tamen, videre & observare, quamnam judiciosissimo huic Theologo, quo nomine & Elogio à non paucis commendatur, visæ fuerint quam-maximè probabiles. Generales, quas vocat, sententias quatuor adducit. Earum prima hæc est, ubi Doctor augustissimus de Christi secundum carnem conceptu disputans ait, *Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine illa carnis pudenda concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipere voluit, qui futurus erat sine peccato, non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati, ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati, quandoquidem sola, quæ non inde est nata, non fuit caro peccati.* Secunda testem laudat Ambrosium, libro de Arcâ Noe adferentem, *solum Christum potuisse justum esse, cum omnis erraret generatio, nisi natus ex Virgine generationis obnoxia privilegio minime teneatur, &c.* Quæcumque jam justum dixerim, nisi horum liberum vinculorum, quem naturæ communis vincula non teneant, omnes sub peccato ab Adam, in omnes regnabat mors. Veniat solus justus in conspectu Dei, de quo jam non cum exceptione dicatur, *Non peccavit in labiis suis, sed, peccatum non fecit.* Ex quibus verbis ita contra Julianum pugnat Augustinus: *Hinc dic, si audes, quod diabolus fecerit hominum conditorem, qui utriusque sexus commixtione nascuntur, quandoquidem solum Christum, quia sit natus ex Virgine, à vinculis obnoxia generationis excipit, omnibus cæteris ex Adam sub peccati obligatione nascentibus, quod utique peccatum diabolus seminavit.* Tertia hæc habet: *Excepto Lapide angulari (Christo) non video, quomodo edificentur homines in domum Dei, ad habendam in se Deum inhabitantem, nisi cum fuerint renati, quod non esse possunt antequam nati.* Addit Petavius, huc spectare locum ex libro de nuptiis primo, quem capite antecedente adduxit, ubi similia ejusdem Ambrosii verba refert Augustinus, quæ neminem delicti expertem esse pronuntiant, qui ex utriusque sexus commixtione sit genitus; tum alia ejusdem Augustini loca ex secundo de peccatorum meritis libro. *Quartum* iterum nititur Ambrosii autoritate, ad quem Augustinus provocat, primi de penitentia libri capite secundo docentem, *Vnum hominem solum Mediatorem Dei & hominum, eo quod sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxia vinculis non tenent, omnes autem homines nasci sub peccato, quorum ortus est in vitio, quia concupiscentia voluptate concreti prius subirent contagia delictorum, quam vitalem de hoc aere spiritum ducerent.* Petavius addit, Habes amborum celeberrimorum in Ecclesia Doctorum universè pronuntiata Judicia, quibus ab originalis noxæ contagione nullum penitus excipiunt usum communi ac lege conceptum. Et hæc sunt generales sententia, uti vocat, quibus subjungit duas speciales, per quas nominatim ipsam quoque sanctissimam Dei Matrem cum originali labe conceptam tradit Augustinus, utramque ex opere de Genesi ad litteram, libroque ejusdem decimo desumptam. Prior hæc est: *Quid incongruitatis illo Virginis utero, cujus caro etiam si de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit, &c.* Item, *Proinde corpus Christi, quamvis ex carne femine adsumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine fuerat concepta, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo illa fuerat concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Posteriori de eo differit Augustinus, quod Apostolus capite septimo Epistolæ ad Ebræos scripsit, *Levi in lumbis Abrahami decimatam fuisse, quando Melchisedech ab eo decimas accepit, utpotè cujus rei hanc adfert rationem, quia secundum rationem feminalem Levi in lumbis Abrahami fuit, quâ ratione per concubitum venturus erat in Matrem, secundum quam rationem, inquit sanctus Doctor ibi non erat caro Christi, quamvis secundum ipsam ibi fuerit caro Mariæ, quod statim sic declarat, ut sit secundum concupiscentiam carnalem.* Cum enim sit, ita pergit augustissimus Pater, *in femine & visibilis corpulentia & invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam, usque ad corpus Mariæ, quia & ipsum eo modo conceptum & exortum est.* Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumsit, ratio vero conceptionis ejus non à femine virili, sed longe aliter ac de super venit. Ad hæc duplicis generis vel speciei testimonia Petavius post & præter alios observat porro; cur ita senserit Augustinus, inter alias causas hanc præcipuam fuisse videri, quam & sancti Doctores Thomas & Bonaventura

lib. I. de
Nupt. &
Concup.
cap. 12.

lib. II. c. 2.

Epist. 57. ad
Dardanum.

lib. II. contra
Jul. cap. 9.

cap. 18.

cap. 20.

ura protulerint, quod alioquin Virgo particeps non fuisset redemptionis Christi, nec pro illa mortuus fuisset, quem pro omnibus Adami posteris esse mortuum scriptura & Fides Christiana testatur; hoc enim argumento Augustinum refelleré Julianum Pelagii discipulum verbis sequentibus: *Commendat, inquit Apostolus, suam charitatem Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hoc tu dictum exceptis parvulis vis putari. Vbi si abs te queram, si non sunt inter peccatores habendi, quomodo pro eis mortuus est, qui pro peccatoribus est mortuus? Respondebis, non pro solis peccatoribus mortuum, quamvis etiam pro peccatoribus sit mortuus. Quod quidem nusquam legis in Auctoritatibus divinis, mortuum scilicet esse Christum pro eis etiam, qui nullum habuerunt omnino peccatum. Sed attende, quam validis testimoniis urgearis. Tu dicis, etiam pro peccatoribus mortuum; Ego dico, non nisi pro peccatoribus mortuum. Ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstructi, non esse pro parvulis mortuum, dicit enim Apostolus ad Corinthios, quoniam unus pro omnibus est mortuus, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus est mortuus, &c. Ex hoc enim probavit, omnes esse mortuos, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infertio recusanti. Accipe, salubre est, Nolo moriaris. Unus pro omnibus est mortuus, omnes ergo sunt mortui. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus est mortuus. Peravius iterum subiungit, hæc eadem argumentatio potest accommodari, & verò debere est visa sanctis illis, adintēgerimam Dei parentem & Virginem, ut originali labe negetur caruisse. At, ita pergit, non adeò constanter & præfractè originali infectam maculâ fuisse sanctissimam Dei Matrem defendit Augustinus, ut non aliqua interim adspingat, ex quibus contrarium ratiocinando colligi possit. Nam eodem contra Julianum opere de Christo loquens, *Profecto*, inquit, peccatum major etiam fecisset, si parvulus habuisset. Nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit etatis grandioris accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit etatis infantilibus exortu. Quo in loco, inquit Peravius, etiam B. Virginem originalis peccati inaculâ videtur obnoxiam facere, nihilominus alio ex loco licet argumentando concludere, illam ab ea exceptam fuisse. Si quidem in libro de Natura & Gratia nullum, quod actuale dicitur, commissum ab ea peccatum agnoscit Augustinus, idque Fides amplectitur Catholica. Igitur ex superiore sententiâ, quæ originali ex labe semel contractâ consequens esse peccatum actuale statuit, profus ab illa exemptam fuisse consentaneum est Virginem illam, quæ posteriore funditus caruisse creditur. Verum quia de hac argumentatione, quam Logici regressum vocant demonstrativum, statui debeat, & quantum hic valeat, supra ad quintam Bellarmini rationem sufficienter ex debito dictum est. Nunc ex Peravio addi debet, eum post adductâ Eusebii vulgò, at falsò Emeseni, Falgentii, Ferrandi, Hildephonsi, Damiani, Ruperti, Anselmi, Hugonis Victorini, & qui ejus sententiam ac verba plerumque ipsa reddit, Lombardi, Bernardi etiam, summo in B. Virginem affectu & pietate celebris testimonia Augustini sententiam supra propositam confirmantia, hæc porro notare: Quamvis antiquioribus illa placuit opinio, postea tamen contrariam in partem complures iere Christiani, ac paulatim tacito pioque plurimorum ad sensu ita percrebuit, ut tandem in publicam eruperit professionem, adeò ut dies conceptui B. Virginis faceret publico & solemniori ritu per totam constitutus fuerit Ecclesiam, eumque Apostolicâ auctoritate & decreto ratam esse voluerit Sixtus IV. ac Misericordiam & officium Canonicum proprium illi dicaverit, attributis iisdem Indulgentiis, quas Urbanus IV. instituto abs se Festo solemniori Corporis Christi & officio ejus Ecclesiastico concesserat. At idem postea, scilicet Sixtus, cum vehementer eâ de re Catholicos inter orta esset contentio, ac mutuis altercationibus Pax & tranquillitas turbata videretur, alia sanctione huic dissidio intercessit, quâ neutri (inter dissidentes) parti hærens aut lethalis criminis notam sub anathematis pœnâ decrevit esse subscribendam. Utraque Constitutio à Patribus Tridentinis est confirmata, & rixantium ardor impotens eadem moderatione compressus. Securæ sunt alia Pontificum Romanorum Bullæ, quibus illi controversiæ modus quidam est positus, de quibus omnibus legi possunt multorum Commentarii, qui de uno hoc argumento copiosissimi huc utque perscripti sunt, & usu ac manueruntur omnium. De his Commentariis sequentem crisin & censuram notatu dignissimam adponit Peravius: *In eorum plerisque uti pietatem & ornandæ Dei Matris sanctissimæ conatum & studium soleo probare, sic in illa Quæstione tractanda diligentiam & sagacitatem criticam desidero.* Nam nec in citandis Auctoribus fidem & delectum adhibent, qui omnium maxi-*

lib. 6. c. 4.

lib. V. c. 13.

cap. 36.

NB.

me ne-

» me necessarius est, & quos antiquitate arcessunt idoneos, eorum dicta falsis interpretati-
 » tionibus & alienis ab illorum mente detorqueant. Non est necessum de singulis hoc di-
 » cere loco, satis erit universè de unico capite erroris illorum admonere, quod lucubra-
 » tionum istiusmodi magnam occupavit partem. Etenim si quid apud veteres, Græcos
 » præsertim, increbuit, quod B. Virginem ἀπαύτων, ἀφθάρτων, ἀμίαντων, id est, *alibiam*,
 » *incorruptam, impollutam*, & id genus alia sonare videtur, in hoc avidè tanquam Mercu-
 » rio secundo oblatum sibi involant, & ad rem suam accommodant. Sed non est conse-
 » quens; siquidem illi etiam, quibus placuit, originali labe contactam fuisse Virginem,
 » partim in ipsomet utero ante-quàm nasceretur, partim sub ipsum redemptoris conce-
 » ptum tantà gratiæ sanctitatisque copia superfusam esse putant, ut omnes originalis
 » morbi reliquiæ cum ipso, qui dicitur, fomite concupiscentiæ vel sanata, vel imperpe-
 » tuum compressæ fuerint, quam ob causam immaculata & impolluta dici mereretur, li-
 » cet originali culpâ fuisset perfusa, nam & immaculati & innocentes adpellantur in scri-
 » pturâ, qui præsentem justitiæ & sanctitatis sunt præditi, cum ab originis vitio non fuerint
 » excepti. Frustra igitur sunt, qui iis & similibus ex vocabulis, quæ summam in B. Virgine
 » munditiæ integritatemque significant, confectum sibi putant negotium, ut apud quos
 » ista repererint, eos sibi in testimonium adfiscant illius, quem probare volunt, intacti
 » immaculati que conceptus. Tandem de hac Quæstione controversâ suam sequenti-
 » bus verbis expromit sententiam: *Sanctissimam Dei Matrem ac Virginem existimo non so-
 lum omni proprio & actuali, ut vocant, delicto caruisse, verum originali etiam, sed car-
 nus persuasum istud habeo, ut hoc ad Fidem spectare nolim, neque damnandum credam aut
 severius adpellem, qui seus sentiat.* Cætera, quæ de communi Christianorum circa do-
 » ctrinam hanc consensu, de revelatione huius sententiæ postremis temporibus reserva-
 » tâ, de genere responsonum ad argumenta *Thomæ & Bonaventuræ* quorum supra etiam
 » fecerat mentionem, pro opinione contraria ulterius adnectit *Petravius*, quia à copio-
 » præfixo abludunt, & ex antecedentibus probe consideratis iudicium ferri & fieri potest
 » de illis à quibusvis præsentium lectoribus qualicumque iudicio præditi, igitur ad vitan-
 » dam uberiorem, quæ præter spem ferè in nimiam excrevit, prolixitatem nunc quidem
 » prætermittuntur.

LIBRI QUINTI.
 CAPUT SEXTUM & seqq.
 DE QUÆSTIONE

An Concupiscentia originalis sit verè & propriè peccatum?

Sess. V.
 Can. 5.

AD percipiendam Romanensium de hac Quæstione sententiam ante omnia juvat
 Synodi Tridentinæ Decretum de eâ audire, quod ita habet: *Manere in baptiza-
 tis Concupiscentiam vel fomitem, sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cum ad Ago-
 nem sit relicta, nocere non consentientibus sed utiliter per Christi Iesu gratiam repugnan-
 tibus non valet, quin imò, qui legitime certaverit, coronabitur.* Hanc concupiscentiam,
 quam aliquando Apostolus peccatum adpellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam
 nunquam intellexisse peccatum adpellari, quod verè & propriè in re natis peccatum sit, sed
 quia ex peccato est & ad peccatum inclinat. Si quis autem senserit contrarium, anathema
 sit. Qui paucos ante annos hoc Concilium edidit, additis Declarationibus Cardina-
 lium, & citationibus *Iohannis Soatelli & Horatii Lucii*, nec non remissionibus *Augustini
 Barbosa*, additionibus quoque *Balthazaris Andreæ*, & Decisionibus Rote Romanensis,
 recentioribus item aliquibus Pontificum Constitutionibus, observavit ad marginem,
 respexisse Concilium hoc Decreto doctrinam *Augustini*, de quâ jam ex instituto agen-
 dum, ubi in antecessum rogandus est lector, ne eum tædio accipiat, si pluscula ex *Bellar-
 mino* adducentur, quia semel est statutum, nihil eorum prætermittere, quæ ad *Augu-
 stini* sententiam pertinere videntur. Ante probationem verò sententiæ, quam *Bellar-
 minus* suscepit defendendam, inter calumnias & mendacia hæreticorum de *Luthero*
 exhibet sequentia: *Lutherus in assertione articulorum imponit Augustino, quod dicitur
 peccatum reatu transire, actu manere. Et rursus in extrema Disputatione, concludamus, in-
 quit, cum pulcherrimo Augustini verbo, peccatum, inquit, remittitur in Baptismo,
 non, ut non sit, sed ut non imputetur. Ecce, est & remanet peccatum, sed non imputa-
 tur.* At nusquam sic loquitur *Augustinus*, neque unum adhuc locum notare po-
 tuerunt adversarii, ubi *Augustinus* dicat, peccatum actu manere, non reatu, vel esse in
 homine, sed non imputari. Dicit quidem, *Concupiscentiam manere post Baptismum,
 sed addit, eam non solum non imputari, sed neque peccatum esse, nisi ratio vitia*
 illi ce-

num. II.

illi cedat. Post hæc in refutatione erroris, quem Lutheranis pariter & Calvinistis imputat, hanc ponit adfectionem Bellarminus, *Naturæ corruptionem sive Concupiscentiam, qualis remanet post Baptismum in renatis, non esse peccatum originis, non solum quia non imputatur, sed etiam quia imputari non potest, cum nullum sit ex se vel ex natura sua peccatum.* Ad hanc contra hæreticos firmendam argumenta ex scripturis pariter & Patribus colligit; & ex scripturis quidem ita, ut explicationes Patrum semper adjungat, nominatim Augustini. Ex scripturis primum occupat locum sequens Jacobi oraculum: *Vnusquisque tentatur à Concupiscentia sua abstractus & illectus.* Deinde Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò cum fuerit consummatum, generat mortem. Bellarminus addit, *Hic quatuor res distingui videmus ab Apostolo, Concupiscentiam, id est, potentiam ad peccandi proram ad malum, & tres ejus motus, suggestionem, delectationem & consensum;* & confirmatur hæc explicatio ab Augustino, scribente: *Profecto in his verbis partus à pariente discernitur, pariens enim est Concupiscentia, partus (verò) peccatum. Sed Concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, hoc est, ad malum perpetrandum voluntas obtinuerit ad sensum.* Secundum principale argumentum sumitur ex Paulo, qui ita loquitur: *Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, scio enim, quia non habitat in me, id est, in carne meâ bonum.* Bellarminus iterum addit; *His verbis aperte satis docet Apostolus, Concupiscentiam in homine justificato non esse proprie peccatum, quod reum possit facere.* Id dum aliquot rationibus & parallelis quibusdam scripturæ ex utroque Testamento locis probare fuit admissus, ad Augustini quoque auctoritatem provocavit, hæc loca passim ita exponentis, sequentibus præfertim verbis: *Ibi homo primitus lege Dei transgressa, aliam legem suæ mentis repugnantem habere cepit in membris, & in obedientia sua malum sensit, quando sibi retributam dignissimè inobedientiam suæ carnis invenit.* Tertium quoque argumentum ex Paulo est, & hicce verbis ejus: *Nihil damnationis est in iis, qui in Christo Iesu sunt.* Quia autem prævidit Bellarminus responsum, *Apostolum dixisse, nihil damnatis esse renatis ob Concupiscentiam, non quod ea non sit damnatione digna, sed quod ejus reatum Deus dimiserit in Baptismo;* idem sollicitus de eo, quod contradicat vel scribat, responsum hanc & oraculi Apostolici explicationem multis de causis non esse solidam dicit. Inter causas duæ priores Augustini nituntur auctoritate, Primò enim, *inquit Bellarminus, si verè crederent Adversarii, dimitti reatum in Baptismo, fateri consequenter deberent, nihil in renatis esse, quod habeat veram peccati rationem; si quidem reatus Augustini testimonio & ipsorum confessione est id, quod proprie dicitur peccatum, sic enim loquitur Augustinus: Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Deinde, reatus est omnino inseparabilis ab eo, quod naturâ suâ dignum est æternâ damnatione, qualè esse volunt adversarii concupiscentiam. Nam reatus, qui ab Augustino dicitur peccatum, non est sola ordinatio ad pœnam, hæc est enim bona & à Deo, sed est dignitas seu pœnæ meritum, ut eam adpellat Augustinus. *Nemo nascitur, inquit, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ.* In serie testimoniorum ex Patribus defunctorum Bellarminus in primis superbit singulari numero testimoniorum Augustini, quæ ex omnibus Tomis ejus collegit, huc eo adponenda ordine, quo ipsi placuit. E primò duplex habet, quorum prius hoc est: *Aliquandoratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compefcit, quod cum sit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* Postterius autem: *Hoc peccatum, de quo sic locutus est Apostolus, idem vocatur peccatum, quia peccato factum & pœna peccati est, quandoquidem de concupiscentia carnis dicitur.* E Tomo operum secundo, qui non nisi Epistolas partim ipsius Augustini ad diversos, partim quoque diversorum ad Augustinum continet, sequens adducit testimonium: *Quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus ad sensum, non esset, undè dicemus Patri nostro, qui est in cælis, Dimitte nobis debita nostra.* Et tertio hoc laudat: *Quem admodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate, qua febribus facta, revalescere; itenque aliud est infixum de corpore telum demere, aliud vulnus, quod eo factum est, curatione secundâ sanare, ita curatio prima est, causam removere languoris, quod per omnium fit peccatorum indulgentiam, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus imaginis.* Hæc duo demonstrantur in Psalmo, ubi legitur, *Qui propitius fit omnibus tuis iniquitatibus, quod fit in Baptismo; deinde sequitur; Qui sanat omnes tuos languores, quod fit quotidianis accessibus, cum hæc imago renovatur.* E quarto: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit; quam sanè culpam per Lavacrum regenerationis gratia Dei fidelibus jam remittit, sed*

fit sed sub ejusdem Medici manibus adhuc natura cum languore suo configit. Et infra, Proprius fit iniquitatibus, cum peccata dimittit Deus; sanat languores, cum prava compestat desideria; proprius fit iniquitatibus, dando indulgentiam; sanat languores, dando clementiam. Illud factum est in Baptismo confitentibus, hoc fit in Agone certantibus. Equitatis: Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis. Et in opere eodem: Excepto Mediatore unico, & post lavacrum regenerationis, quibusque adhuc parvulis, nemo mundus à sordibus, sicut est scriptum, nec infans, cujus est vita unius dici super terram. Bellarminus addit, comparat hoc loco Augustinus parvulos recens natos cum ipso Christo, quoad munditiam à sordibus peccati, quae comparatio sanè impia esset, si in parvulis baptizatis adhuc essent, ut Lutherani volunt, verè sordibus peccati, quae tamen si eis non imputarentur, tamen imputari possent. E Tomo sexto: Opus nuptiarum ab omni crimine defendit Apostolus, dicendo, si acceperis uxorem, non peccasti. At juxta Bellarminum, Lutherus in adseritione articuli numerò & ordine secundi contendit, libidinem inevitabilem sanctorum Parentum dum generant, verum esse peccatum. Et septimo: Nulla damnatio est in eis, qui sunt in Christo Iesu; non enim damnatur, nisi qui concupiscentia carnis consentit ad malum. Et ibidem: Dicitur, Baptismum dare omnium peccatorum indulgentiam, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur quasi rasorum in capite capillarum, unde crescant resuscandam iterum peccata. Sed de ista carnis concupiscentia falli eos credo vel fallere, cum qua necesse est, ut baptizatus, & hoc, si diligentissimè proficit & Spiritum Dei agitur pia mente configat. Hæc etiam si vocatur peccatum, non utique, quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur. Scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit. Idem repetit alibi & addit, posse etiam dici peccatum, quia est causa peccati, sicut frigus dicitur pigrum, quia facit homines pigros. Et iterum alibi: Omni peccato tarentur justificati, sed non omni malo. Ex octavo operum Tomo, qui enarrationes in Psalmos publicè Auditoribus propositas & à quibusdam exceptas complectitur, duplex iterum fit testimonium. Prius est, opus castum in conjugio non habet culpam. In posteriori dicit eum docere, Petitionem illam, Dimitte nobis debita nostra, non pertinere ad motus concupiscentiae involuntarios. E nono: Numquid, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Tandem de decimo & ultimo: Restat cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas. Bellarminus iterum non ignarus eorum, quæ circa hæc Augustini testimonia à parte adversariâ solent urgeri, quatuor solutiones proponit, quas tamen refellere omnibus modis est conatus. Primum, inquit, Bucerus & Chemnitius dicunt, Augustinum, ubi negat, concupiscentiam esse peccatum propriè dictum, non loqui secundum morem scripturarum, sed more vulgi & politicè; vulgo liquidem ex solùm actiones dicuntur peccata, quibus adest voluntatis adensus. At, respondet ita Bellarminus, si eam in re vulgus errabat, quis credat, Augustinum errare cum vulgo voluisse? Deinde, quis sibi persuadere poterit, Augustinum non in concionibus solum & Epistolis, sed etiam in libris maxime seriis, in quibus ex scripturis divinis refellebat Pelagianos, vulgariter & politicè loqui contra scripturarum veritatem voluisse? Denique, si vera esset istorum responsio, Augustinus pernicioso errore populum decepisset; docuit enim, non esse orandum pro remissione motuum concupiscentiae, nisi eis præbeatur adensus, pro quâ tamen remissione orandum esset, si motus illi essent peccata, ut orari voluit Lutherus I. cit. Neque id semel excidit Augustino, sed frequenter ab eo repetitum legimus & inculcatum. Altera responsio est ejusdem Chemnitii, dicentis, peccatum apud Augustinum dupliciter accipi, uno quidem modo pro eo, quod facit reum; alio autem pro eo, quod non facit reum, tamen si verum sit peccatum & vera iniquitas. Atque hujus generis posterioris esse concupiscentiam in renatis, sed Augustinum loqui de generè priori, cum negat, concupiscentiam esse peccatum. At distinctio hæc, inquit Bellarminus, omnino est commenticia, liquidem apud Augustinum omne verum peccatum facit reum; sic enim ipse loquitur: Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Et idem ipse peccatum sublato reatu dicit non esse peccatum, nisi rigerè, ut supra ex eodem opere fuit ostensum, & iterum idem in Baptismo non solum reatum, sed etiam iniquitatem tolli dixit alibi. Tertia solutio Calvinii est, Augustinum aliquando timuisse invidiam, quam illi conflare studebant Pelagiani, quasi doceret, per baptismum non omnia remitti peccata, & ideo abstinuisse à nomine peccati, quando loquebatur de concupiscentia; sed postea prostrato jam errore & superatâ invidiâ apertè concupiscentiam vocasse peccatum, ubi ex propriâ loquitur sententiâ. At, ita iterum Bellarminus, licet quidem

lib. I. de Civitate Dei, cap. 21. lib. 20. cap. 26.

de Bono conjug. cap. 11. lib. I. contra duas Epistol. Pelag. c. 10. & 13.

lib. I. de Nupt. & Concup. c. 25. lib. 6. in Jul. c. 5. in Ps. 50. & 118. Tract. 41. in Joh. ferm. 6. de Verb. Apost.

lib. I. de Nupt. & Concup. c. 25. Tract. 41. in Joh.

dem fortasse ob meritum invidiæ aliquando celare veritatem, sed nunquam licet dicere^{lib. 5. in Jul. cap. 5.} falsitatem, præsertim in causa Fidei, ut idem Augustinus docet in libro de Mendacio. In testimonio verò adductis non solum concupiscentia non adpellatur peccatum, sed verbis dicitur apertis, *non esse peccatum, nisi improprie*. Præterea, ubi dicit Calvinus, Augustinum loqui sine timore invidiæ & ex propria mente, nonne dixit apertissime, *Tract. 4. in Joh.* concupiscentiam in renatis reliquam esse infirmitatem, non iniquitatem? *Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas?* Ex quo intelligimus, eum de peccato loqui improprie, cum in eodem Tractatu semel aut iterum concupiscentiam vocat peccatum, utens Apostoli verbis, *non regnet peccatum in vestro mortali corpore, &c.* Denique si Augustinus in libro quinto contra Julianum errorem jam prostraverat, & ideo loquebatur liberè multò magis eundem prostraverat errorem in libro sexto, in quo tamen sic ait: *Tu autem, qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multum erras; omni enim peccato caret, non omni malo.* Libri quoque retractationum posteriores sunt libris in Julianum, & tamen loco supra citato scribit apertissime, *concupiscentiam esse infirmitatem, non verò peccatum, nisi per metonymiam.* Denique liber de Perfectione Justitiæ posterior est etiam libris retractationum, & tamen in ejus libri extremo docet, *motus concupiscentiæ involuntarios aded non esse peccata, ut pro eorum remissione non sit opus dicere, Dimitte nobis debita, &c.* *Quarta solutio* ex Chemnitio est, qui postquam allegaverat pro se locum Augustini ex quinto contra Julianum libro, à Calvino queque laudatum, hæc subjunxit verba: *Manifestissima hæc est retractatio seu explicatio ejus, quod antea dixerat incommodius, reliquam (in renatis) concupiscentiam non esse peccatum, sed pœnam & causam peccati.* At solutio hæc, scribit Bellarminus, refellitur ex iis, quæ paulò ante sunt dicta. Nam si Augustinus libro hoc quinto illam retractasset sententiam, quæ dixerat, concupiscentiam non esse peccatum proprie, quomodo hoc idem dixisset iterum libro sequenti sexto & locis proximè citatis. *Testimonis Patrum porro subjungit Bellarminus rationes, Augustini autoritate firmatas & vindicatas, adeoque hic non prætermittendas.* *Prima est:* Baptismus non liberat homines à concupiscentia; igitur vel concupiscentia non est peccatum originis, vel Baptismus non liberat à peccato originis. *Non ignoravit autem Bellarminus, quid ex Evangelicorum parte adhanc rationem responderi soleat, ideo non intermisit eam cum aliqua adponere censurâ.* *Post Lutherum, inquit, respondent alii, per Baptismum non tolli quidem concupiscentiam, sed tamen tolli ejus dominium; id enim facit gratia, quæ per Baptismum confertur, ut concupiscentia non dominetur.* At solutio hæc facile refutatur, *inquit Bellarminus.* Nam si concupiscentia esset peccatum originis, non esset propter dominium, sed propter repugnantiam ad rationem, vel pronitatem ad repugnandum; siquidem peccatum originis est id, quocum nascimur, & quod ab origine etiam infantes trahunt. Nascimur autem cum pronitate ad repugnandum rationi, dominium verò in infantibus non invenitur, sed postea accedit ex consensu voluntatis, & ideo actuale, non originale peccatum est. Itaque Baptismus etiam si dominium tollat, non tamen originis peccatum tollit, si concupiscentia est peccatum originis. Porro, quod diximus, concupiscentiam non propter dominium, sed propter repugnantiam vel pronitatem esse peccatum originis, ex Augustino colligitur manifestè, sic enim ait: *Tale ac tam magnum malum, tantum quia inest, quomodo non teneret in morte, & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illa, quæ sit in Baptismo, lib. 6. in remissione peccatorum omnium solveretur.* Et ibidem: *Neque nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur.* ^{lib. 6. in Jul. c. 5.} ^{libid. c. 8.} Quemadmodum verò debeat intelligi, quod Augustinus dicere videtur, concupiscentiam carnis esse peccatum originis, in solutione argumentorum explicabimus. Nunc solum demonstrare voluimus, eorum sententiam non congruere cum Augustini doctrina, qui dicunt, in Baptismo remitti peccatum originis, ubi tollitur concupiscentiæ dominatus. *Secundæ ratio:* Concupiscentia est effectus & pœna peccati originalis, ergò non est ipsum originale peccatum. Nam tamen si posset unum & idem esse & peccatum & pœna peccati, addo etiam, & causa peccati; tamen hoc sine dubio intelligendum est per comparisonem ad diversa. Neque enim potest intelligi, ut res una sit peccatum & pœna atque effectus ejusdem peccati; quia esset causa & effectus sui ipsius, ac per hoc prior & posterior seipsa. Esse autem concupiscentiam & pœnam & effectum peccati originalis, probatur ex Apostoli verbis *Per unum hominem, &c.* Habemus enim ex hoc

Rom. 5.

loco, mortem esse pœnam & effectum peccati originalis, mors autem est pars corruptionis humanæ naturæ, altera verò pars ejusdem corruptionis est concupiscentia cum ignorantia & aliis ejusdem generis naturæ nostræ inflictiis vulneribus. Igitur eadem ratio videtur esse & mortis & concupiscentiæ. Quare sicut mors est pœna & effectus peccati originalis, ita quoque & concupiscentia est pœna & effectus ejusdem peccati originalis, quod idem Augustinus multis in locis non obscure significat, ut quando scribit: *Concupiscentia est peccati pœna, quia meritis inobedientiæ est reddita.* Et iterum quando dicit, *hominem nasci implicatum reatu Adami, & ob id pœna obnoxium.* Per pœnam intelligit concupiscentiam, de quâ statim subjungit, eam *per Tropum* vocari peccatum, *quia est effectus peccati.* Sed apertissimè id habet Augustinus locis supra ex

lib. 5. in Jul. c. 3. lib. I. retract. c. 15.

tertio & quarto operum Tomo citatis, ubi comparat originale peccatum febribus, concupiscentiam languori, qui sanatis Febribus remanet. *Tertia ratio:* Si homo non nasceretur ex Adamo, & tamen haberet, quam nunc habet, concupiscentiam; non posset in eo concupiscentia vocari propriè peccatum. Igitur concupiscentiam non est esse & ex naturâ suâ peccatum propriè. Hujus argumenti antecedens est Augustini, qui

lib. III. in Jul. c. 12.

concedit, *hominem justè reprehendi non posse, neque esse reum vel peccatorem propter concupiscentiam, si cum ea concupiscentia, quam habet, non propagetur ex Adamo, sed creetur à diabolo.* Et præter Augustini auctoritatem res est omninò explorata atque certa; nam tunc concupiscentia res esset omninò naturalis, propter naturalia autem nemo justè reprehendi potest, ut si quis cæcus nascatur ut fatuus. Quod si concupiscentia non esset peccatum, si naturalis esset, profectò non est peccatum per se aut ex naturâ suâ; quod enim ex naturâ sua est peccatum, semper peccatum est, & undecunque tandem oriatur, sive ab homine, sive à diabolo, semper facit reum.

Quarta ratio: Concupiscentia si sumatur pro actu involuntario, id est, pro primis concupiscentiæ motibus, quibus mens resistit, nullum est peccatum; igitur multò minus est peccatum, si sumatur pro ipsa pronitate ad actum. Consequentiâ hujus argumenti concedunt Adversarii, quia pronitatem ideò volunt esse peccatum, quoniam existimant eam pugnare cum lege Dei. Certum est autem, eam non pugnare cum lege Dei, si actus ejusdem cum lege eadem non pugnat. Probemus igitur antecedens, quod ipsi consensu negant communi. Nirairum, concupiscentia in pueris, amentibus & dormientibus peccatum non est, quia non est in potestate eorum, non concupiscere, ut docet Augustinus. At non est etiam in potestate virorum sapientium & vigilantium, non habere primos illos concupiscentiæ motus, ut experientia docet. Igitur illi non sunt peccata, & verè dixit Augustinus: *Quando magis inobediencia concupiscentialis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis.* Sequentia de possibilitate legis implendæ eò reservantur, ubi ex professo & in loco de eâ re agitur. *Atque hæc habet Bellarminus* pro adfrueno Synodi Tridentinæ sententia.

lib. 10. contra fecit. c. 30.

lib. 1. de Civit. Dei cap. 25.

Rom. 6.

Nunc adgreditur solutiones argumentorum contra eam proponi solitarum, & primò quidem ex scripturâ, unde prima objectio hæc est: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Non ait Apostolus, non sit peccatum in vestro mortali corpore, sed non regnet, ut notavit etiam Augustinus. Igitur peccatum semper est in nobis, licet non semper regnet. Loquitur autem Apostolus de concupiscentiâ, ut patet ex

Tract. 41. in Joh.

I. cit.

sequentibus, ad obediendum concupiscentiis ejus. Concupiscentia igitur in nobis est semper, & semper est peccatum. *Bellarminus respondet,* tum hoc loco, tum in sequenti capite sæpius concupiscentiam adpellari peccatum *impropriè* per figuram metonymiæ, quod sit causa peccati, si obediatur ei. *Sed contra Lutherus exclamat,* non ipsis licere Angelis, nedum hominibus verba Dei pro arbitrio interpretari, ut quod illa adpellant peccatum, nos defectum & non propriè peccatum esse dicamus. Nam si ita liceat pro arbitrio exponere verba Dei, ubique poterimus nomen peccati per defectum interpretari, & dicere, Adulterium non esse adulterium, Furtum non esse furtum, & de cæteris eodem modo. *At frustra Lutherus ita vociferatur.* Nam non negamus, concupiscentiam dici peccatum, ut Apostolus eam vocat, sed negamus dici peccatum propriè, quod nec Apostolus dixit. Et præterea colligimus explicationem nostram evidenter ex scripturis; nam scripturæ testantur, vocem peccati esse ambiguam, & nunc accipi pro culpâ, nunc pro pœnâ, quæ est culpæ effectus, nunc etiam pro causa peccati, nunc deniq; pro sacrificio, quod est peccati expiatio. Secunda objectio: *Peccatum non cognovi, nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Hic Apo-
stolus

stolus aperte concupiscentiam testatur esse peccatum. Nam primum dicit, se peccatum cognovisse per legem; & postea declarat, peccatum illud esse concupiscentiam, & legem, per quam illud cognovit, dicit esse præceptum, *Non concupisces*. Neque hoc loco potest accommodari distinctio de peccato proprie vel improprie dicto; nam concupiscentia ideo dicitur esse peccatum, quia est prævaricatio divinæ legis, non concupisces. *In responsione ad hanc objectionem* Bellarminus nihil quidem habet ex Augustino, sed in responsione ad objectionem tertiam sequentem aliqua interferit, quæ huc veniunt adponenda: Præceptum, *Non concupisces*, ejus est generis, ut simul media & finem comprehendat. Media sunt, resistere concupiscentiis, eisque non adlentiri, nunquam cedere. Atque hæc ita obligant, ut qui non fecerit, continuo reus existat. Finis est, funditus extirpare concupiscentias, atque id efficere, ut nullus in carne motus oriatur contra rationem. Hunc verò finem lex proponit, ut intelligamus, quò sit nobis juvante Deo tendendum, non ut rei sumus, si id non faciamus, quod facere in nostrâ potestate non est, & quod ad felicitatem futuræ, non ad obligationem vitæ præsentis pertinet, sic enim Augustinus docet, scribens: *Hoc lex posuit dicendo, non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod proficendo tendamus.* Et alibi: *Multum boni facit, qui facit, quod scriptum est, post concupiscentias tuas non eas; sed non perficit, quia non implet, quod scriptum est, non concupisces.* Ad hoc ergò dixit lex, non concupisces, ut nos in hoc morbo jacere intelligentes Medicinam Gratia quereremus, & in eo sciremus præcepto, quò debeamus in hac mortalitate conari, & quò possit à nobis illa immortalitate beatissima perveniri. Tertia sequitur objectio: *Scio, quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Hoc loco Paulus fatetur, se non servare legem, quia spiritualis illa est, ipse autem carnalis; & non loquitur de lege actiones voluntarias prohibente, hanc enim Apostolus servare se dicit, cum ait, *Quod odi facio, & mente servo legi Dei.* Igitur de lege ipsam nobis insitam ex peccato Adami concupiscentiam prohibente loquitur, atque per hoc illa concupiscentia legi repugnat, & verè proprieque est peccatum. *Bellarminus respondet*, duas esse hujus loci expositiones, & juxta utramque argumentum rectè solvi posse. Prior est post alios Augustini, existimantis, *Apostolum non loqui de se sineque similibus justis, sed induisse personam hominum impiorum, qui non solum habent fomitem, sed ab ipso etiam fomite vincuntur, & in varia pertrahuntur flagitia, qui rectè dicuntur venundati sub peccato, quia nondum redempti sunt per adplicationem sanguinis Christi, quæ sit per Fidem & Sacramenta.* Et juxta hanc expositionem nullas habet vires argumentum Adversariorum. *Posterior expositio idem est Augustini* in omnibus ferè libris contra Pelagianos, qui illam priori etiam præfert, quæ nobis etiam probatur magis, præsertim quia Paulus ex iis, quæ dixerat, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, & non ego operor illud, & mente servo legi Dei, & similibus, illam deducit Conclusionem, Nihil ergò damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant &c.* quæ indicat manifestè, Apostolum de se & cæteris per Christum renatis esse locutum. Juxta hanc expositionem est dicendum, Paulum non velle significare, legem spiritualem non servari à justificatis, quatenus est opus ad vitandum peccatum; sed, non servari, quantum ad quandam perfectionem, quæ finis est præcepti, ac propterea non est in præcepto proprie. *Post aliqua, & interpositis, quæ ad objectionem secundam exhibentur:* Ait igitur Paulus, scimus, quia lex spiritualis est, quia nimirum homines fecit spirituales, & spirituales omnino requirit, ut perfecte etiam quoad finem observetur; Ego autem carnalis sum, quia nondum spirituale corpus habeo, *inquit Augustinus.* Non enim carnalem se vocat Apostolus, quod secundum carnem ambulet, nam id paulò infra negat aperte: sed quod non sit totus spiritualis, qualis erit post resurrectionem. Neque absurdum est, ut sit in illâ etiam vitâ caro spiritualis, si potuit esse in hac vitâ in his, qui carnalia adhuc sapiunt, etiam spiritus ipsè carnalis. Porro, *venundatus sub peccato*, non quia Christi sanguine redemptus non sum, sed quia idem Apostolus dicit, *& nos primitias spiritus habentes intra nos ingemiscimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri.* Itaque venundatus erat Apostolus cum cæteris in prævaricatione primi peccati, & quoniam redemptus erat quoad animam primitias spiritus habens, expectabat autem corporis sui redemptionem, ideo concupiscentias sentiebat, sed non consentiebat, & propterea adjungit: *Quod enim operor, non intelligo, id est, non scio, non adprobo, vel prius id sit, quam ratio in consilium advocetur, & ideo me ignorante & non*

- consentiente fit. *Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Ubi, ita Augustinus l. cit. scribit, *facere se dixit non adfectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi.* Quare Paulus legem, *Non concupisces*, spiritualement non omnino perficiebat, quâ parte adhuc erat carnalis; nec tamen peccabat, quia lex non obligat ad non sentiendum carnis motus, sed ad non consentiendum eis, ut supra diximus, cum hoc sit medium, illud autem finis. Quarta objectio: *Si quod nolo, facio, consentio legi, quia bona est.* Si mens Pauli sentiebat legi, idem certe volebant lex Domini & mens Pauli. Sed mens Pauli nolebat sentire motus Concupiscentiæ, ut patet, quia in-virtus eos sentiebat. Igitur ex lege Domini nolebat eos existere motus, igitur motus il-li, quamvis involuntarii, repugnabant legi, ac proinde erant peccatum. Unde Augu-stinus: *Quid dicis, O lex? Non concupisces. Et ego nolo concupiscere. Non implet le-gem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* Bellarminus respondet, si præce-prim, *Non concupisces*, extendamus cum Augustino ad motus involuntarios, fatemur, eos motus repugnare legi; sed negamus esse peccata, quia repugnant legi, ut finem in-dicanti, non ut media imperanti, ut supra est explicatum. Sin verò præceptum illud restringamus ad motus tantum voluntarios, *respondemus ad argumentum consentium Pauli cum lege non consistere in eo, quod rem eandem velint aut nolint Paulus & lex, sed quod Paulus velit aut nolit id, quod lex cum jubet velle aut nolle; itaque consen-sum Pauli cum lege in eo positum esse, quod lex jubet eum resistere Concupiscentiis, & Paulus velit iis resistere ac resistat.* Quinta objectio: *Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet.* Ex hoc loco ducit argumentum Calvi-nus, videtur enim dicere Apostolus, velle se legem servare, & ita bonum facere, sed non posse propter malum adjacens, id est, Concupiscentiam legi repugnantem. *Bellarminus respondet*, locus hic sine dubio ita est obscurus, ut multi Interpretes existiment, ali-quid deesse, & alius alio modo defectum resarcire studeat. Sed Augustinus commo-dum satis indicavit sensum, & in quo nihil debeat subintelligi; vult enim illud Bonum conjungi cum lege, non cum verbo facere, *ut sit sensus*: Invenio igitur, legem bonum quoddam esse mihi facere volenti, id est, volenti bene operari & juxta legem vivere, idem autem invenio, legem esse bonum quoddam, quia malum Concupiscentiæ adja-cet mihi. Dum enim ab una parte malum adjacens incitat ad peccatum, ab altera par-te lex Domini bona retrahit à peccato. Itaque non potest ex hoc loco effici, non pos-se legem servari, aut Concupiscentiam involuntariam esse peccatum. Sexta objectio: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee, & captivantem me in lege peccati.* Hoc loco videmus Concupiscentiam repugnare legi, & captivare, id est, peccati servum facere, ac per hoc sine dubio esse peccatum. *Bellarminus post plura re-spondet*, Adpositè legis nomine Concupiscentia est adpellata, quia lex nihil est aliud, nisi regula actionum. Et quemadmodum lex mentis est regula actionis bonæ, quam si sequaris, ages bene; ita concupiscentia est peccandi regula, quam si sequaris, omni-no peccabis. Illud autem, captivantem me in lege peccati, rectè exponit Augustinus, docens, *Concupiscentiam dici captivantem*, id est, *captivare conantem, & captivantem secundum carnem, non secundum mentem.* Septimâ objectione prætermisâ, quæ ni-hil ex Augustino habet, octava sequitur: *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* At qui non perficit bonum, sine dubio peccat. Et hoc Calvinus est argumentum. *Bellarminus respondet*, Ut quis peccet non faciendo aliquid, requiritur ut debeat & pos-sit illud facere. Nam si quis debeat, & non possit, miser est, non peccator; si possit, & non debeat, minus est bonus, non tamen malus. Id autem de quo agimus, id est, car-ne non concupiscere, non est in nostrâ potestate, & ideo velle adjacet nobis, perficere bonum nunquam concupiscendi non invenimus. Et ideo concludit Apostolus, *Infel-lix ego, &c.* Hinc Augustinus scribit: *Hoc est perficere bonum, ut nec concupiscat homo.* Capite sequenti duodecim alia, ex utroque Testamento producit loca Bellarmi-nus, ad quæ respondere tentat, hic & ibi nixus autoritate Augustini, ut videbi-mus. Quartum ordine & numero est ex oratione Dominicâ, de quâ Lutherus Matth. 6. l. cit. observavit, *eam solam omnes concludere sub peccato.* Bellarminus inter alia respondet, *Augustinum dicere, illam orationem, Dimitte nobis debita, &c. non fore necessariam, si nullum aliud haberemus, nisi peccatum originale.* Quintum est defunctum ex parabolis duabus, unâ de fermento in tria sata misso, quæ pau-latim sint fermentata; alterâ de Samaritano, qui hominem à latronibus vulneratum, & Luc. 10. *duxerit in stabulum, & plagas ejus non in memento curaverit, sed paulatim curavit*

curari voluerit, Luthero iterum observante, Dominum his duabus Parabolis ostendisse, non continuò hominem liberari à peccato omni, sed paulatim, ac per hoc semper aliquid peccati remanere purgandum. *Bellarminus respondet*, has Parabolas nihil Lutheri causam juvare, rectè enim docere Augustinum, cum scripturæ significant hominem curari paulatim & proficere, non loqui de remissione peccatorum, sed de curatione languoris ex peccato relictæ. Sicut enim, inquit aliud est, erueri telum de corpore, aliud verò, inflatum vulnus per telum sanare; sic etiam aliud est, peccatum tollere, quod in Baptismo fit, aliud autem, vulnus ex peccato factum, id est, concupiscentiã sanare omnino, quod fit paulatim, dum imus de virtute in virtutem. Sed Lutherus causam cum effectu, id est, peccatum originis cū vulneribus ex eo natis confundit. *Sextum* Lutherus ex eo deducit sermone Christi, quo dixit Discipulos esse purgandos, quos antè dixerat esse mûdos; hinc enim sequitur, post Justificationem adhuc remanere peccata. *Bellarminus respondet*, Purgationem in hominibus justificationis necessariam esse quidem, sed propter actualia peccata, ac præsertim venialia, quæ subrepunt quotidie; non propter originale, quod in Baptismo remittitur perfectè, Augustino in Tractatu octuagesimo super Johannem teste. Octavum ex illis est Apostoli verbis, *Renovamini spiritu mentis vestrae*. Non juberet Apostolus jam renatis, ut renovarentur, nisi vetustas in eis superesset aliqua; vetustas autem est peccatum ex primo homine contractum, sicut novitas est gratia secundi hominis largitate donata. *Bellarminus respondet*, Vetustatè in scripturis accipi modis duobus, primo pro peccato originis, secundo pro malis ex peccato relictis; & ideo posse dici hominem & perfectè renovatum per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, & tamen egere (adhuc) renovatione ac renovari de die in diem. Hinc Augustinus ad Julianum: *Exponens verba mea nõ secundum sensum meum, sed secundum dolum tuum, dixisse me adfirmas, quod gratia non perfectè hominem novum faciat*. Nunc hoc dico, attende quod dico, gratia perfectè hominem novum facit. Et mox, *Nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis*. Duodecimum & ultimum est ex Johanne, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.* Ubinotat Lutherus, non esse dictum, habuimus, sed habemus. Nullum verò peccatum semper est in nobis manens, nisi concupiscentia. *Bellarminus respondet*, loqui Johannem de peccatis actualibus, sed quotidianis ac minutis, quæ frequentissima sunt, ut Augustinus docet primo in Epistolas Johannis tractatu. Post testimonia scripturæ ad examen eorum progreditur, quæ & Patribus, & inter eos Augustino etiam laudantur, quamvis ea quoque, quæ ex cæteris Patribus occurrunt, nominatim Cypriano, Hilario, Ambrosio, pro Augustinianis debeant haberi, quia ab Augustino in confirmationem sententiæ, quam contra Pelagianos suscepit defendendam, fuerunt adducta & recepta, adeò ut ferè duo capita eaque non parum prolixa integrè debeant adscribi, ne quid ad rem pertinens videatur studio omisissum, atque hæc occasione Chemnitii ad hæc Patrum ex Augustino testimonia provocantis ingenua sinceritas contra gravissimas Bellarmini accusationes defendatur, qui hæc sequentem in modum proponit: *Chemnitius* ex Cypriano quædam verba profert in medium, quæ sunt apud Augustinum, sic autem loquitur Chemnitius, *Cyprianus* apud Augustinum motibus malis de origine venientibus fortiter resistens inquit, *Ne quisquam sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut sua fratris innocentia Medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cum scriptum sit*. Quis gloriabitur, castum se habere cor; aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Si autem nemo sine peccatis esse potest, quisquis se inculpatum esse dixerit, aut superbus est aut stultus. *Bellarminus respondet*, incredibilem esse Chemnitii impudentiam & nequitiam, cujus perpetuas, inquit, in Gehennâ sine dubio pœnas luet. *Sciendum igitur est*, Augustino in hoc adversus Julianum libro id fuisse propositum, ut ex testimoniis sanctorum Patrum everteret quinque Pelagianorum argumenta, sic enim ipse loquitur initio libri: *Nunc ipsa argumenta vestra, quibus agitis, ne hominum prima natiuitas originali peccato creditur obstricta, eloquiis sanctorum sunt redarguenda*. Et mox enumerans illa argumenta, *Dicitis, nos adserendo originale peccatum dicere diabolum hominum nascentium conditorem, damnare nuptias, negare, in Baptismo univèrsa dimitti peccata, DEY Merimine iniquitatis arguere, desperationem perfectionis ingerere; hæc quippe omnia contenditis esse consequentia, si credamus, nasci parvulos peccato primi hominis obligatio*. Totodeinde libro varia recitat sanctorum Patrum testimonia, quibus modò unum, modò alterum, modò plura simul ex prædictis evertit argumentis. Adfert igitur præter cætera Cypriani testimonium, ut quintum evertat argumentum, ac probet, posse hominem vivere perfectè,

fectè, etiamsi peccatum contraxerit originale, & eo per Baptismum remisso relicta sit in membris nostris concupiscentia, cum quâ perpetuo sit depugnandum, dum vivimus. Testimonium Cypriani ex libro de mortalitate hoc est; *Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ista, cum ambitione est congressio; cum carnalibus vitiis, cum illecebris secularibus assidua & molesta est luctatio &c.* Post hoc testimonium subjungit Augustinus: *Absit autem, ut sanctum Cyprianum existimemus avarum, quia cum avaritiâ, aut impudicum, quia cum impudicitia, aut ira subditum, quia cum ira, aut ambitiosum, quia cum ambitione, aut carnalem, quia cum carnalibus vitiis, aut hujus seculi amatorem, quia cum illecebris secularibus confligebat. Imò, ideò nihil eorum erat, quia his motibus malis partim de origine, partim de consuetudine venientibus fortiter resistebat.* His verbis docet Augustinus, iudice Bellarmino, sanctum Cyprianum fuisse victorem vitiorum, & malos motus illos de vitiatâ origine venientes non solum non fuisse vera in illa peccata, sed potius eorum fuisse Virtutis & materiam Victoriæ gloriosæ. Caterùm quia periculum erat, ne Pelagiani ex hac Augustini responsione colligerent, posse hominem ita vivere perfectè, ut in nullum unquam laberetur veniale peccatum, quia alius erat ipsorum error, idcirco idem Augustinus subjungit continuò: *Nec ideò tamen in tam periculo laboriosoque certamine Cyprianus nullo hostili feriebatur telo, cum dicat in suâ de Eleemosynis Epistola, ne quisquam sibi de puro &c.* Itaque Augustinus ex testimoniis Cypriani à Chemnitio etiam citatis duos confutat errores, qui hoc tempore ipsi Chemnitio cum Lutheranis omnibus sunt communes. Unus est, non posse eum, qui habuerit originale peccatum, veram operari Justitiam; existimant enim Lutherani, omnia opera nostra esse peccata, quia contaminentur à concupiscentiâ, quæ ipsorum sententiâ est verè propriæ peccatum. Alter est, nullum esse peccatum naturâ sua veniale, sed omnia per se esse mortalia. Hinc igitur adparet multiplex Chemnitii impudentia. *Primo* enim ita conjunxit illa Augustini verba, *His malis motibus de origine venientibus*, cum illis Cypriani, *ne quisquam sibi de puro &c.* ut videatur Cyprianus dicere, malos motus illos vera esse peccata, etiam cum eis resistitur. At verba priora non Cypriani sunt, inquit Bellarminus, sed Augustini, qui, ut jam diximus, probat ex libro Cypriani de Mortalitate, eum, qui resistit malis motibus, veram adsequi Virtutem, & non solum non peccare, sed etiam mereri coronam. Posteriora autem sunt Cypriani verba, sed ex alio Tractatu, ubi ostendit, homines quantum vis justos & perfectos non carere peccatis venialibus, & ideò Eleemosynæ pharmaco indigere. *Deinde* Chemnitius non solum perperam testimonia sanctorum Patrum usurpat, sed etiam incredibili audaciâ pro se illa adducit, quibus error ipsius, ut jam ostendimus, manifestè planèque convincitur. *Demum* addit ad impudentiam, cum ob hæc, & aliud Hilarii testimonium, quod mox citabimus, his verbis triumphum canit: *Obsecro lectorem, ut hæc Hilarii & Cypriani verba conferat ad Decretum Tridentinum, quod adfirmat in Baptismo ita tolli, quidquid habet veram ac propriam rationem peccati, ut renati officiantur innocentes, immaculati, puri, innoxii. Patres certe contrarium dicunt; & tamen non verentur Tridentini de consensu Ecclesie Catholice gloriari.* Bellarminus subjungit, Imò non veretur hæreticus pervertere Patrum verba, & cum ceciderit in foveam, quam fecit, ita gloriari, quasi alios dejecisset. Sed videamus, quid ex Hilario proferat Chemnitius: *Hilarius*, inquit, vocat corpora nostra *omnium vitiorum materiam*, (&) mala, quæ in nobis sunt, *malitiam per conditionem originis*; & ubi expressè loquitur de renatis, qui repugnant concupiscentiæ, inquit, *Memores illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiam, pro quâ polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus.* Et paulò post: *Augustinus* etiam hanc Hilarii sententiam citat, *Nos in hoc terreni & morticini corporis habitaculo mundos esse non posse, nisi per abluionem Cælestis Misericordie emundationem consequamur, post demutationem resurrectionis terreni corporis nostri effectâ gloriosiore naturâ.* Rursum: *Ipsis Apostolis verbo jam licet Fidei emundatis atque sanctificatis non tamen deesse malitiam per conditionem communis nobis originis docuit Christus*, dicens, sivos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris &c. *Respondeo*, inquit Bellarminus, in primo Hilarii testimonio habemus, corpora nostra propter morbum Concupiscentiæ materiam esse omnium vitiorum, quia Concupiscentia, quamvis ipsa propriè peccatum non sit, causa tamen est peccatorum, dum ad peccata stimulat & impellit; & quantum est ex parte Concupiscentiæ, nihil mundum, nihil innocens est in nobis, sed variis peccatis polluti & sordidi sumus. Sed quamvis ita se res habeat, tamen si Domini gratiâ adjuvati fortiter Concupiscentiæ resistimus, non solum non polluemur aut sordidamur, sed Coronam

ronam obtinemus, & à peccatis aliis perpetratis per hanc emundamur victoriam, sic enim loquitur idem Hilarius in eodem loco citatus ab Augustino: *Tanta & tam admirabilis in nos Misericordiae DEI bonitas est, ut per quem in Adami offensam generositatem prima & illius beatæ creationis amissimus, per eum rursus id, quod amissimus, obtinere mereamur; tunc enim Diabolus irvidens nocuit, nunc autem, cum nocere nititur, vincitur. Movet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cum ad lasciviam accendit, Ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad avaritiam provocat, cum ad cedes instruit, cum ad maledicta exacerbatur; sed cum per firmitatem animi horum omnium surreptentia incentiva reprimuntur, emundamur à peccato per hujus victoriæ gloriam.* Hinc autem deducit per modum conclusionis verba, quæ Chemnitius citat: *Memores igitur & conscii, illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiam, pro quâ polluti & sordidi nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione, quodam concertationis nostræ bello dimicemus.* Ubi juxta Bellarmini sententiam non dicit Hilarius, nos absolutè pollutos & fordidos esse, & nihil mundum, nihil innocens obtinere; sed ex parte concupiscentiæ, quæ materia est vitiorum, & semper incitat ad peccata, nihil nos nisi pollutionem & sordes habere posse. Ex parte tamen gratiæ, per quam vincimus concupiscentiæ incentiva, non solum sordes & pollutionem evadimus, sed magis etiam emundamur atque purgamur. Alioquin se absolutè polluti & sordidi essemus, etiam quando resistimus concupiscentiæ, ut Chemnitius docet, non diceret Hilarius, *gaudendum nobis esse, quod hostem habeamus,* quæ verba studiose Chemnitius prætermisit. Nam si nihilo-minus polluimur & fordiamur, & nihil mundum, nihil innocens obtinemus, certè non gaudendum nobis est, sed flendum; neque verba, *Memores igitur &c.* idem Hilarius tanquam conclusionem ex verbis, *emundamur à peccato per hujus victoriæ gloriam,* deduceret; quomodo enim emundamur per victoriam, si etiam pugnantibus nobis nihil mundum, nihil innocens obtinemus? *Atque hæc de primo.* Alterum & tertium ejusdem Hilarii testimonium Augustinus ad venialia refert peccata. Postquam enim probaverat ex Cypriano, homines justos in hæc vitâ indigere mundatione à peccatis venialibus, idem probat ex Hilario, adductis duobus testimoniis, quæ Chemnitius citavit. Quamvis enim renati, puri, justi & innocentes, ut Tridentinum Concilium loquitur, re-verâ sint, & mundi à peccatis omnibus præteritis sive originalibus, sive actualibus per Baptismum, in hæc tamen vitâ, quæ tota est tentatio, non possunt longo tempore sine aliqua sordide novâ peccati, saltem quotidiani & venialis vivere, undè immundi & mali possunt dici. Possimus præterea duo hæc Hilarii testimonia de pronitate ad malum exponere; quæ tamen proprii nominis peccatum non sit, malum tamen quoddam est ac immundities, & malitia dici potest. Certè illa Domini verba, *si vos, cum sitis mali &c.* quæ Hilarius citat, omnino referri commodè possunt ad pronitatem, ut sensus sit: Si vos, qui ex naturâ corruptâ proni estis ad malum, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater cælestis, qui ex naturâ suâ pronus est ad Benignitatem, dabit spiritum bonum petentibus. *Sequitur testimonium Ambrosii,* quod Calvinus & Chemnitius ex eodem Augustino citant. Sed ipsa Chemnitii verba audiamus: *Augustinus ex Ambrosio vocat vitia nostra, quæ legi mentis ex lege peccati resistunt.* Illorum reatus quidem in Baptismo perit, infirmitas verò mansit. Item: *Ambrosius vocat iniquitatem, non illam, quæ deletur in Baptismo; illa namque peccatorum fuit, quæ fecimus, quæ cuncta sunt remissa, atque omnino non sunt.* Illam verò legem peccati, cujus manentis reatus in Sacro Fonte remissus est, propterea vocavit iniquitatem, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversus spiritum, quamvis adsit in nostrâ renovatione Justitia. *Ibidem:* Ambrosius dicit quandam delectationem esse DEI mandato adversam, & de illâ Paulum loqui, cum ait, *Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis mee.* Ambrosius igitur nostram sententiam ipsissimis verbis reddit & exprimit. *Bellarminus respondet,* tota Chemnitii objectio in tribus posita est vocibus, quod videlicet Ambrosius Concupiscentiam, quæ in renatis est, vocat *vitium, iniquitatem, & delectationem DEI mandato adversam.* Quod attinet vocabulum vitii, dico, per eam vocem significari omnem corruptionem & languorem, etiamsi propriè non sit peccatum. Et hæc non mea, *inquit Bellarminus,* sed Augustini est responsio, sic enim loquitur ibidem: *Iamne discernis, jamne perspicis, jamne respicis, & in Baptismo fieri omnium peccatorum remissionem, & cum baptizatis quasi civile Bellum remanere vitiorum interiorum? Non enim talia sunt vitia, quæ jam peccata sint dicenda, si ad opera illicita spir-*

ritum

ritum Concupiscentia non trahat, & concipiat pariatque peccatum. Passiones sunt, vitia sunt; frenanda, cohibenda, sananda sunt. Sed dum curantur, infesta sunt. Quod ad vocem iniquitatis, dico, vocari Concupiscentiam ab Ambrosio iniquitatem, quia est deordinatio quædam & perversitas naturæ contra ordinem in primâ Creatione positum, non tamen propriè peccatum, cum ejusmodi perversitas non sit in voluntate, quæ sola capax est peccati propriè dicti, sed in carne. Nam et si nunc equus freni impatiens dejectus forem, iniquitas est, quia secundum ordinem à DEO in creatione positum debuerunt animalia homini obedire; quia tamen equus nec virtutis nec vitii propriè capax est, ea non est iniquitas, nisi materialiter & improprie. Hoc autem modo intellectam esse in verbis Ambrosii ab Augustino iniquitatem patet ex tribus. *Primo*, quia dicit, hanc iniquitatem esse in carne, non mente; propterea, inquit Augustinus, iniquitatem vocavit Ambrosius, quia iniquum est, ut caro concupiscat adversus spiritum. *Secundo*, quia cum hæc iniquitate in eodem homine Justitiam esse testatur; quamvis, inquit, in nostrâ renovatione adsit Justitia; non potest autem iniquitas propriè dicta cum Justitiâ in eodem homine commorari. *Tertio*, quia idem Augustinus alibi dicit, per Baptismum tolli omnem iniquitatem, & solum remanere infirmitatem; ex quo sequitur, ut concupiscentia remanens, non sit propriè Iniquitas, sed infirmitas. Adde, quod Ambrosius, lib. de *Isaac & Anima*, undè delatum est testimonium, de quo agimus, satis apertè significat, per iniquitatem se corporis passionem intelligere, quæ propriò careat nomine, & iniquitas dici possit per *Tropum*, quia ad iniquitatem perducit. Nam comparat Animam currui, Christum aurige, quatuor virtutes cardinales quatuor bonis equis, quatuor Passiones quatuor malis equis: *Boni equi*, scribit, *Virtutes sunt anime, mali equi sunt passionis corporis, boni equi sunt prudentia, temperantia, fortitudo, justitia; mali equi sunt iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas.* Ubi vides, inquit Bellarminus, opponi prudentiæ non vitium stultitiæ, sed passionem iracundiæ; Temperantiæ & fortitudini opponi vides non Vitia contraria, sed passionem. Sic igitur & Justitiæ non opponit vitium contrarium, quæ est iniquitas propriè dicta, sed passionem quandam corporalem, quæ non est iniquitas, nisi improprie. *Tandem*, quod ultimum attinet vocabulum, id est, *delectationem DEI mandato adversam*, supra respondimus copiosè, ubi demonstravimus, concupiscentiam involuntariam esse legi divinæ contrariam materialiter solum, id est, ut objectum non ut actum; Lex enim propriè ipsi homini prohibet, ne consentiat in concupiscentiam live carnis delectationem. Et ideo consensus est propriè actus legi divinæ contrarius, delectatio verò solius carnis spiritu repugnante non est contraria, nisi materialiter, ac per hoc neque peccatum est, nisi materialiter. Ex his potest intelligi, quàm vana sit Chemitii gloriatio, dicentis, *Ambrosius nostram ipsissimis verbis reddat & exprimit sententiam; ipsissima enim verba Lutherianorum sunt, quod concupiscentia in renatis per se, ex se & ex naturâ suâ sit peccatum verè & propriè dictum, quod reum facere & in æternum damnare possit, si DEUS imputare velit, & propterea nulla sit vera in homine Justitia, sed omnia ejus opera bona sint peccata mortalia, & similia, quæ nec in Ambrosio, nec ullo alio Patre sancto reperiuntur.*

Post loca Patrum, quæ ab Augustino citantur, eo jam sequuntur, quæ ipsum agnoscunt Augustinum, quorum tria Bellarminus facit genera, primum ex eis Luthero adscribens, *Lutherus*, inquit, duo citat loca, *unum*, quo dicit Augustinus dimitti peccatum in Baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur; *alterum*, quo dicit, idem peccatum reatu transire, actu manere. *Respondet Bellarminus*, ut supra, Lutherum falsi crimen commisisse; nusquam enim dicere Augustinum, *peccatum esse in aliquo & non imputari, vel actu manere & reatu transire.* Neque enim erat tam stupidus, ut non intelligeret, reatum à peccato separari non posse, cum scripserit ibidem, *Hoc est non habere, reum non esse peccati.* Loquitur ergò Augustinus in duobus locis citatis de concupiscentiâ, eamque dicit in renatis non esse peccatum, non imputari, nec facere reos, licet maneat quoad actum, quia non cessat prava excitare desideria. Sed contra solutionem hanc, inquit Bellarminus, est argumentum Melanthonis, Calvinii & aliorum, Augustinum non hic solum, sed & alibi dicere, concupiscentiam in Baptismo remitti, *Lex*, inquit, *ista peccati & remissa est in regeneratione spirituali, & manet in carne mortali.* At nihil remittitur, nisi peccatum. Igitur ipsa (concupiscentia) in se verè peccatum erat ante-quàm remitteretur. Sed manet in renatis eadem, quæ antea erat, quod substantiam. Ergo adhuc verè

Tract. 47.
in Joh.

cap. 8.

lib. I. de
Nupt. &
Concup. c.
25. & 27.

cap. 26.

lib. II. in
Julian.

verè peccatum est, & solum remitti dicitur, quia non imputatur. *Bellarminus respondet*, Augustinus quidem significat, concupiscentiam in non renatis esse peccatum, & propterea remitti per Baptismum; sed intelligit, eam esse peccatum non ratione sui, sed ratione reatus peccati originalis, qui cum ea manet adnexus usque ad Baptismum, sic enim loquitur ibidem: *Hæc remissio peccatorum quamdiu non sit in prole, sic ibi est* cap. 32.
lex ista peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id est, ut etiam reatus ejus sit cum illo qui eum tenet æterni supplicii debitorem. Hæc ille, qui similiter in multis loquitur locis. Sed hoc loco, *pergit ita Bellarminus*, diligenter est attendendum, concupiscentia reatum tribus intelligi posse modis. *Primo*, reatus concupiscentia dici potest reatus, qui ab ipsa oritur, & in ipsa fundatur, ita ut reus sit, qui ipsam habet, quia ipsam habet, sicut dicitur reatus furti, quo propriè dicitur reus, qui furtum fecit. *Secundo*, dici potest reatus concupiscentia, quo ipsa est facta, non quem ipsa fecit, quomodo si quis sibi ipsi manum abscinderet, diceretur esse reus abscissa manû, non quod habere manum abscissam sit peccatum, vel reum faciat, sed quod abscindere sibi manum sit contra rationem & reum faciat; sic ergo reatus dicitur concupiscentia, non quod ipsam habere faciat hominem reum, sed quod ipsa sit nata ex reatu peccati Adami, qui factus DEO rebellis meruit in se experiri carnis suæ rebellionem. *Tertio*, dici etiam potest reatus concupiscentia, quem ipsa facit, si pertrahat ad consensum, ut homo non sit propriè reus, quia concupiscentiam habet, sed quia concupiscentia cedit. Ex his tribus modis, ita porro *Bellarminus*, Adversarii primum eligunt, & idè concupiscentiam propriè peccatum esse volunt. Nos verò secundum & tertium accipimus, & idè concupiscentiam non tam peccatum, quam effectum & peccati causam esse contendimus. Porro, secundum & tertium modum esse ex Augustini mente, probamus ex ejusdem verbis: *Quamvis*, inquit, *jam non eodem modo adpellatur* lib. II. ad-
verf. Jul.
circa medi
peccatum, quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum, & quod rebellando nos trahere nititur ad reatum. Rursus ibidem paulò superius explicans testimonium Ambrosii de bonis & malis equis, tertium indicat modum his verbis: *An nondum fateberis, quod reatus eorum perierit, infirmitas manserit; non reatus, quo ipsa fuerant rea, sed quo nos fecerant reos in operibus malis, quo nos traxerant?* His enim verbis ostendit Augustinus, vitia, quibuscum nascimur, in Baptismo remitti, quia reatus eorum remittitur, licet infirmitas remaneat. Per reatum verò dicit se intelligere reatum operum malorum, quæ fecimus adlentiendo concupiscentia. Ibidem paulò ante medium libri meminit secundi modi. Nam cum dixisset, concupiscentia reatum, cætera omnia peccata solvi in Baptismate, & deinceps eam manere ad Agonem, Julianum objicit sibi dicturum, id malum, contra quod post Baptismum dimicamus, non esse aliquid à Parentibus tractum, sed malos habitus ante Baptismum propriis actibus adquisitos, his deinde respondet verbis: *Si hoc dicis, jam procul dubio cernis atque concedis, esse in homine aliquid mali, quod non ipsum, sed reatus, qui ex illo fuerat contractus, auferatur in Baptismo.* Quibus verbis similem esse docet Augustinus concupiscentiam nobis innatam malo habitui multis actibus malis comparato. Et quemadmodum in Baptismo adulterorum omnia remittuntur peccata, quibus comparatus est habitus, non tamen ipse habitus tollitur; ita quoque in Baptismo parvulorum remitti peccatum originis, undè concupiscentia est nata, non tamen ipsam penitus extirpari concupiscentiam. Jam verò certum est, eum, qui malos contraxit habitus, non esse reum propriè, quia malos habitus illos habet, sed quia malos fecit actus, undè mali habitus processerunt. Sic igitur, qui habet concupiscentiam, non est propriè reus ratione concupiscentia, quasi peccatum sit illam habere, sed ratione peccati, quo ipsa concupiscentia est facta. Atque hæc ratione dicitur remitti concupiscentia in Baptismo, non ratione sui, sed ratione adnexi reatus, qui ejus dicitur reatus, quia per eum, ut diximus, facta est. Idem alibi dicit Augustinus, *homines nasci* lib. I. Retr.
cap. 15.
implicatos reatu Adami, & ob id pæne obnoxios. Et paulò post docet, eam pænam esse concupiscentiam. Reatus igitur, qui solvitur in Baptismo, non est propriè reatus, quem facit concupiscentia, sed reatus, undè ista processit pæna; reatus enim Adami, quo & nos nascimur implicati, non fuit, habere concupiscentiam, ut notum est, sed mente averti à DEO, undè nata est aversio carnis à ratione. Quocirca idem Augustinus iterum alibi apertissimè scripsit, *in Baptismo omnia remitti peccata, non ta-* lib. I. de
Trin. c. 17.
men extingui concupiscentiam; quia aliud est, causam remove re languoris, aliud, ipsum curare languorem. Ubi cum dicit, in Baptismo per remissionem peccati sive reatus

reatus removeri causam concupiscentiæ, evidenter ostendit, reatum concupiscentiæ, qui remittitur in Baptismo, non esse reatum, quem concupiscentia facit, sed per quem concupiscentia est facta. Denique idem Augustinus dicit, *in Baptismo tolli reatum omnium malorum, non omnia mala*: & ponit exemplum de corruptione corporis & de ignorantia, & idem intelligit de concupiscentiâ, imò de ipsâ loquitur præcipue. At certum est, reatum corruptionis corporis, qui tollitur in Baptismo, esse reatum, quo ipsa corruptio est facta, non verò, quem ipsa corruptio faciat, quasi peccatû sit, esse mortale. *Sed contra hanc solutionem nostrâ multa Augustini testimonia ab adversariis adducuntur*, inquit Bellarminus quibus nititur demonstrare, reatum concupiscentiæ, qui solvitur in Baptismo, accipiendum esse primo modo superius explicato, i. e. esse reatum, qui ipsam comitatur concupiscentiam, ita ut reus sit, quicumque habet concupiscentiam, nisi per Baptismum reatus hujusmodi remittatur. *Non tamen*, inquit, *ideo malum hoc nihil nocisset, etiamsi prius quam in illo adparere cepisset, parvulus ex hac exisset vitâ, quia reatus ejusdem mali, non quo reum est malum, sed quoreum facit, in quo est, sicut generatione contrahitur, ita nisi regeneratione non solvitur.* Rursus ibidem: *Quamvis jam non eodem modo adpellatur peccatum, quod faciat reum sed quod sit reatu primi hominis factum.* Ubi illud jam satis aperte demonstrat, concupiscentiam post Baptismum non habere reatum, quo ipsa faciat reum, sed ante Baptismum habuisse. Item alibi, *Hæc*, inquit, *concupiscentia, quæ solo regenerationis Sacramento expiatur, profecto vinculum peccati generatione trajicit in posteros, nisi ab illo & ipsi regeneratione solvantur.* Et iterum alibi, *Tale porro ac tam magnum malum tantum quia inest, quomodo non teneret in morte & pertraheret in ultimam mortem, nisi & ejus vinculum in illâ, quæ fit in Baptismo, omnium peccatorum remissione solveretur?* Et capite sequenti, *Nos*, inquit, *eam (concupiscentiam) dicimus malam, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa erat rea, neque enim aliqua est persona, sed quo reum originaliter faciebat hominem, fuerit remissus atque evacuatus.* Iterum alibi scribit, *quod, sicut adulterium actu transiit, remanet reatus: ita concupiscentia transcat reatu, maneat actu.* Ubi comparat reatum concupiscentiæ cum reatu adulterii. Reatus autem adulterii est reatus, quo ipsum adulterum facit hominem reum. Denique dicit Augustinus, *Reatum esse ordinationem divine legis, ut nulla iniquitas maneat impunita, nisi sanguine Christi expiatur.* Et mox subjungit, *Concupiscentiam, quæ in renatis est, esse iniquitatem, & puniendam fuisse, nisi per Baptismum sufficeret expiata.* Neque enim, inquit, *nulla est iniquitas, si in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviant, vel inferiora superioribus contumaciter reluctentur, etiamsi vincere non sinantur &c.* Bellarminus respondet, In ultimo testimonio, ut ordine retrogrado procedamus, Concupiscentiam vocat Augustinus iniquitatem, quia talis est vel formaliter, si in mente sit, ut cum superiora inferioribus turpiter serviant; vel certe materialiter, si in solâ sit Carne, ut cum inferiora superioribus reluctentur, etiamsi non sinantur vincere. Nam non esse Concupiscentiam solum carnis, quæ remanet in renatis, proprie & formaliter iniquitatem, aliunde patet, ubi Augustinus dicit, *per Baptismum deleri totam iniquitatem, & solam remanere infirmitatem.* Hæc autem infirmitas, quæ est materialis iniquitas, rectè dicitur punienda, nisi expiata esset, propter reatum, quo facta est, qui cum ipsâ trahitur ex Adarno, & cum ipsâ manet, donec remittatur; quo reatu dicitur ipsa concupiscentia hominem facere reum, non quod absolute illam habere sit peccatum, sed quia peccatum est, illam ex propria habere culpâ. In testimonio penultimo, pergit respondere Bellarminus, non comparat Augustinus Concupiscentiæ reatum cum reatu adulterii in omnibus, sed in eo tantum, quod, ut separatur reatus adulterii ab adulterio, ita separatur reatus concupiscentiæ à concupiscentiâ; nam alioquin idem Augustinus alibi dicit, *Concupiscentiam esse similem habitui non actu; & iterum, non esse similem adulterio vel Sacrilegio, sed qualitati manenti.* Ad cætera, inquit porro Bellarminus, loco Augustini posset dici, per eum reatum, quo concupiscentia est facta, ab ipsâ concupiscentiâ fieri hominem reum, donec non remittatur per Baptismum. Potest etiam dici, in his locis Augustinum loqui de concupiscentiâ, quatenus ea efficit habitum totalem corruptum, ut supra diximus; verè enim ille habitus totalis, sive totalis illa Naturæ & omnium potentiarum corruptio hominem facit reum, etiamsi tantum insit, & nihil operetur, ut in infantibus. *Ceterum* in hoc totali habitu pars una, id est) aversio mentis à DEO, est formaliter peccatum, & hominem proprie facit reum; altera, id est, rebellio partis inferioris à superiore non est peccatum nisi materialiter, nec hominem proprie facit reum, nisi illicito perturbat ad-

lib. 6. in Jul. cap. 5.

lib. II. in Jul. ante med.

circa med.

lib. I. de Nupt. & concup. cap. 23.

lib. 6. in Jul. cap. 5.

lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 26. lib. 6. in Jul. cap. 8.

Tract. 41. in Joh.

lib. 6. in Jul. cap. 7. & 8.

adsum. Quoniam igitur ante Baptismum Concupiscentia in homine conjuncta est cum aversione mentis à Deo, ideo dicitur rectè reatum habere, non solum, per quem ipsa est facta, si consideretur ut pars illius corrupti habitus; sed etiam quo facit reum, si consideretur ut unum quid cum alterà parte ejusdem corrupti habitus. Post baptismum verò, quia pars illa formalis, id est, aversio mentis à Deo sanata est & sublata, ideo sola remanet pars altera, id est, concupiscentia carnis, quæ non habet reatum, quo faciat reum, neque illum, quo ipsa est facta, sed eum modò, ad quem perducit, si regnare finitur. *Et hoc modo*, adhuc Bellarminus respondet, omnia inter se cohærent Augustini loca, atque etiam excluditur illa Calvinii admiratio in Antidoto fessiois quintæ Concilii Tridentini, ubi miratur, Patres Concilii rem eandem, id est, *concupiscentiam dicere non esse post Baptismum, id quod antea erat*. Patres enim Concilii rectissime dixerunt, concupiscentiam manere post Baptismum, & tamen non esse peccatum, ut erat antea, quia videlicet separata ab aversione mentis reatum non habet adnexum, quem habebat antea. *Atque hæc de primo genere testimoniorum Augustini*. Alterum vel secundum adducitur à Chemnitio, eorum videlicet, quæ non videntur magnas habere vires, & ideo breviter perstringuntur. *Ipsè Augustinus*, inquit Chemnitius, reliquam concupiscentiam vocat malam, & quomodo hoc intelligi velit, declarat per antithesin, nam dicit esse *non bonam, non sanctam, sed malam*. Et iterum scribit, *Discerne mala, quæ per patientiam sustinemus, ab eis malis, quæ per continentiam refranamus*. Hoc est, adfirmat concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpæ. Et ibidem vocat vitium, *contra quod virtute est pugnandum*; est igitur vitium tale, quod virtuti opponitur. In eodem opere scribit: *Lex repugnans legi mentis, quæ in tanti quoque Apostoli membris erat, remittitur in Baptismate, non finitur*. Alibi: *Per Baptismum Christi hoc agitur, ut caro peccati evacuetur; non autem sic evacuetur, ut concupiscentia in carne non sit innata, sed non obstit mortuo, quæ inerat vivo*. Porro, Augustinus reliquam concupiscentiam vocat *languorem salutis nostræ oblectantem*, alibi vocat *infirmiorem legi divinæ succumbentem*. Hæc ille, addit autem in sequentibus alia duoloca, unum ex opere de *Bono Perseverantia*, alterum ex libris ad Bonifacium, in quibus eam tribuit Pelagianis sententiam Augustinus: quæ nunc est Catholicorum (Paprò-Romanensium) quod videlicet per Baptismum homines perfectè renoventur, & nullum habeant omnino peccatum. *Bellarminus* ad hæc omnia respondere tentat, & quidem *ad primum*: Rectè dicitur concupiscentia non bona, nec sancta, sed mala; non tamen sequitur, eam non esse peccatum propriè. Nam diabolus quoque & angeli ejus non sunt boni, non sancti, sed mali; & tamen non sunt propriè peccata, nisi juxta doctrinam Illyrici. Itaque idem Augustinus ibidem dicit, *baptizatum carere omni peccato, non tamen omni malo; & per Baptismum omnia remitti peccata, sed non omnes sanari languores*. Ubi concupiscentiam vult esse malum & languorem, non tamen peccatum. *Ad secundum*: Rectè distinguit Augustinus mala, quæ per patientiam tolerantur, ut Febres, inopiam, Persecutiones, & similia, quæ non incitant per se ad peccandum; ab aliis malis, quæ per continentiam refranantur, ut Passiones immoderatas, quæ propriè incentiva sunt vitiorum. Quamvis autem hæc mala sint frænanda, & quoad ejus fieri potest debellanda; non tamen propterea culpæ aut peccata propriè dici possunt. Idem enim Augustinus de his malis ita scribit: *Non talia sunt vitia, quæ jam peccata sint dicenda. Passiones sunt, vitia sunt; frænanda, cohibenda, sananda sunt*. Itaque illa Chemnitii glossa, hoc est, adfirmat Augustinus, *concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpæ*, destruit textum. Dicendum verò fuisset, adfirmari ab Augustino, concupiscentiam non tantum esse pœnam, sed esse etiam in se & absolute malam, quia est quid immoderatum & vitiosum, quamvis non habeat propriam culpæ rationem, cum non in voluntate, sed in carne habeat sedem. *Ad tertium*: Rectè dicit Augustinus, contra concupiscentiam pugnari virtute; sed non omne, quod virtuti opponitur, peccatum est propriè dictum, nisi fortè novam Chemnitius inveniret dialecticam. Virtuti siquidem malus repugnat actus, ut Adulterium castitati; & hoc est peccatum propriè dictum. Repugnat etiam habitus malus, qui non peccatum dici solet, sed vitium. Repugnat denique Passio, in quâ moderandâ & coercendâ occupatur virtus. Porro, concupiscentia, ipso teste Augustino, ut paulò ante dicebamus, ut passio ad vitium, non ut peccatum virtuti repugnat. *Ad quartum*. Quis negat, legem carnis repugnantem legi mentis in baptismate remitti, non finiri. Sed, ut nos fateamur, Concupiscentiam ratione adnexi reatus in Baptismate remitti, & tamen

lib. 6. contra Jul. c. 6. & lib. 5. c. 4.

cap. 5.

lib. 2. contra Jul.

lib. 1. de peccat. merit. cap. 3. Tract. 41. in Joh.

lib. 11. contra Jul.

remanere ad agonem: ita fateri, velit-nolit, Chemnitius debet, concupiscentiam post Baptismum non peccatum esse, sed vitium. *Ad quintum*: Non negamus, concupiscentiam post Baptismum non ita evacuari, ut non sit, sed ut non ob sit mortuo, ratione adnexi reatus, quæ inerat vivo. *Ad sextum*: Concedimus, reliquam concupiscentiam oblectari aeternæ salutis, quia adlicere nititur ad peccatum, non quia in se propriè sit peccatum; idem enim Augustinus eodem tractatu in Johannem disertis dicit verbis, in baptismo deleri totam iniquitatem, & solam remanere infirmitatem. *Ad septimum* ex alio quodam loco, negari non posse, quin infirmitas nostra succumbat legi divinæ, si non adjuvetur à gratia; sed verum est tamen, quod Augustinus alibi scribit, esse concupiscentiam sub animi potestate Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum in corpore mortis castigandam, in morte corporis resolvendam, in corporis resurrectione & mortis morte sanandam. *Ad octavum ex opere de Bono Perseverantia*, manifestam esse Chemnitii impudentiam, siquidem Augustinus illum tribuat errorem Pelagianis, quod homo iustus in hac vita nullum habeat veniale peccatum, Chemnitius autem ita citet Augustinum, quasi senserint Pelagiani, concupiscentiam involuntariam, quæ remanet post Baptismum, verè ac propriè peccatum esse. Nam loqui Augustinum de peccatis actualibus, sed venialibus, nõ de concupiscentiâ involuntariâ, perspicuum est ex eo, quod adlegat verba Domini, dimitte nobis debita nostra &c. quam orationem non esse dicendam pro concupiscentiâ involuntariâ, idem Augustinus sæpissimè repetit; hæc autem sunt verba Augustini à Chemnitio recitata: *Etiã hoc Pelagiani audent dicere*, hominem iustum in hac vita nullum omninò habere peccatum, & in talibus esse jam in presenti tempore Ecclesiam non habentem maculam neque rugam; tanquam sponsa Christi non sit, quæ per universam terram, quod ab eo didicit, dicit, Dimitte nobis &c. *Ad novum & ultimum* ex opere ad Bonifacium, non dissimili impudentiâ Chemnitium hoc quoque abuti testimonio. Augustinus enim non reprehendit Pelagianos, quod dicant, per Baptismum perfectè hominem renovari; sed quod malo sensu depravent hanc veritatem, dum ita volunt perfectè hominem innovari, ut deinceps nullum committat veniale peccatum. Chemnitius autem ita citat Augustinum, quasi senserit, post Baptismum remanere aliquid, quod verè & propriè sit peccatum, & per hoc non perfectè hominem per Baptismum renovari. Hæc autem sunt Augustini verba, non truncata, ut à Chemnitio adlegantur callidè, sed integra: *Quid eis (Pelagianis) prodest, quod adversus Manichæos, qui Baptisma destruant, dicunt, Baptismo homines innovari perfectè, atque ad hoc Apostoli adhibenti testimonium, qui per lavacrum Aquæ Ecclesiam de gentibus fieri sanctam immaculatamque testatur; cum superbo sensu atque perverso contra orationes ipsius Ecclesie suas exerant disputationes? Hoc enim dicunt, ut credatur Ecclesia post sanctum Baptisma, in quo omnium fit remissio peccatorum, ulterius non habere peccatum, cum adversus eos illa à Solis ortu usque ad occasum omnibus membris suis clamat, Dimitte nobis &c. Quod autem contra Lutheranos doceat Augustinus, hominem perfectè renovari per Baptismum, perspicuum est ex sequentibus verbis ejus ad Julianum: *Dixisse me adfirmas, quod gratia non perfectè hominem novum faciat. Non hoc dico, attende quod dico. Gratia perfectè hominem novum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem plenamque felicitatem perducit. Nunc etiam perfectè innovat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus peccatis, non quantum ad liberationem ab omnibus malis.**

Super jam adhuc est tertium genus testimoniorum, quod ea continere loca dicit Bellarminus, quæ concupiscentiam propriè docent esse peccatum sive inobedientiam legis, etiamsi à ratione & spiritu illi resistatur. Ita autem Augustinus, concupiscentiam vocari peccatum, non tantum quia ex peccato facta est, & quia peccatum facit, si vincit, sed etiam quia peccandi delectatione movetur, et si vincente iustitie delectatione ei non consentiatur. Et alibi: *Concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit Spiritus & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pena peccati est, quia reddita est meritis inobedientie, & causa peccati est defectio consentientis vel contragatione nascentis.* Atque ob hæc loca, inquit Bellarminus, maximè autem ob posteritatem, triumphant Chemnitius & Calvinus. Addunt etiam aliud testimonium, ubi continentur Augustinum loqui ex propriâ mente. Loquens enim de renatis, scribit: *Libertati sunt à peccato, quia carent criminibus & querela. Sed illa est inchoata non perfecta libertas, nondum est tota, nondum pura libertas, quia video aliam legem in membris &c.* Hinc enim adparet, renatos adhuc esse impuros propter concupiscentiam. *Ibidem: Quia delera est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Certè si non remansisset sine peccato*

lib. V. ad
vers. Jul.
c. 4.

lib. II. c. 5.

vid. Epist.
ad Acell.

lib. 4. c. 7.

lib. 6. c. 5.

lib. I. con-
tra duas
Epist. Pe-
lag. c. 13.
lib. V. in
Jul. c. 3.

Tract. 41.
in Joh.

cato hic viveremus. Ubi ipsam infirmitatem remanentem Augustinus adpellat peccatum. Ibidem: *Quandiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Et ibidem tractans discrimen peccati regnantis & non regnantis inquit: *Non ergo Deus quadam peccata damnat, quadam justificat & laudat; nulla laudat, sed omnia odit.* Hic videmus, concupiscentiam vocari peccatum, quod Deus odit, & curando agit, ut consumatur, ut ibidem Augustinus subiungit. Ex quo colligit Chemnitius, falsò dixisse Concilium Tridentinum, in renatis Deum nihil odisse. Atque hæc tria testimonia, inquit Bellarminus, sunt omnium præcipua in iis, quæ ab adversariis produciuntur. Respondet autem, in primis duobus locis peccati nomine Augustinum largo uti modo, ut omnem significat corruptionem & vitium, quemadmodum alibi etiam vocavit iniquitatem. Id ita esse probatur primo, ex eo, quod Augustinus in primo monet loco, concupiscentiam non esse peccatum sic enim ait: *Et ideo jam non sit peccatum, sed sic vocetur, sive quod peccato sit facta, sive quod peccandi delectatione moveatur &c.* ubi aperte ostendit, moveri delectatione peccandi non esse peccatum propriè, nisi consensus accedat; nam alioquin perperam posuisset illam particulam adverbativam Sed. Quod autem hoc in loco dixit, moveri delectatione peccandi, in sequenti dixit, *inesse inobedientiam contra dominatum Mentis,* Neutrum igitur est peccatum propriè & formaliter, sed largo solummodo & materialiter. Secundo idem probatur ex eo, quod, ut supra diximus, inobedientia carnis contra dominatum Mentis non potest propriè peccatum esse, donec Mens resistit, quia caro non est capax peccati propriè dicti. Quare Augustinus, cum illam rationem reddit, cur concupiscentia sit peccatum, quia videlicet inest illi inobedientia contra dominatum Mentis; illa ipsa ratione significavit, concupiscentiam propriè non esse peccatum. Tertiò, quia Augustinus in eodem opere contra Julianum dicit, *motus istos concupiscentia esse passiones & vitia, non tamen peccata.* Et iterum, *esse malum, non peccatum tamen.* Omni peccato, inquit, baptizati carent, non omnimò. Itaque ne Augustinum faciamus inconstantem, cogimur dicere, concupiscentiam aliquando adpellari ab eo peccatum, aliquando negari esse peccatum, quia nunc vocem peccati largo modo & impropriè, nunc propriè formaliter, que accipiat. Neque hic habet locum, quod Chemnitius dicit, Augustinum retractasse, quod antea dixerat. Nam quod antea dixerat, iterum postea repetivit, ut jam ante monuimus. Et si quod habetur libro quinto, esse retractatio, certè quod habetur libro sequenti sexto, esset retractatio retractationis. Sed quis credat, Virum gravissimum libro quinto revocasse, quod scripserat libro antecedente secundo, & rursus libro sequenti sexto revocasse, quod scripserat quinto? At cur quæso, dicet aliquis, Augustinus non contentus fuit, in libro illo quinto dicere concupiscentiam vocari peccatum, quia & pœna & causa peccati; cur addidit ac dixit, *non solum pœnam & causam peccati, sed etiam esse peccatum.* Responsio est in promptu, inquit Bellarminus, quia Julianus ex eo, quod Augustinus in opere de nuptiis & concupiscentia dixerat, concupiscentiam esse peccati pœnam, collegerat, eam esse bonam & laudabilem. Voluit igitur sanctus Doctor ostendere, concupiscentiam non esse rem bonam aut indifferentem, sed malam. Et quia pœna, ut à Deo est, bona & laudabilis est, & causa peccati potest etiam esse res bona aut indifferentis, si sit causa per accidens, ut sunt omnia objecta sensuum delectabilia; propterea Augustinus dicere est coactus; Concupiscentiam non solum esse pœnam & causam peccati, sed etiam peccatum, id est, rem in se malam & vitiosam, qualia sunt non solum peccata morum, quæ propriè dicuntur peccata, sed etiam peccata naturæ, ut cæcitas & surditas, vel quælibet monstruositas naturalis, quales sunt etiam habitus mali, qui vitia dici solent, & ipsæ passiones immoderate, quæ in statu Naturæ integræ nullum in homine habuissent locum. Neque multum refert, quod idem Augustinus comparat Concupiscentiam cum cæcitate cordis, quam dicit esse peccatum, quo in Deum non creditur, & simul pœnam & causam peccati. Nam propositum Augustino fuit, ostendere, posse id, quod est pœna peccati. Etiam esse peccatum, sive propriè, sive largo modo. Et ideo varia profert exempla, non multum laborans, utrum sint in omnibus similia, modò similia sunt in eo, de quo agitur. Jam verò Testimonium ex opere in Iohannem, si abesset pertinacia, nullo modo ab Adversariis proferretur. Nam disertis ibi verbis dicit Augustinus, *per Baptismum tolli omne peccatum, ac totum deleri iniquitatem, nec remanere nisi languorem & infirmitatem.* Quod autem postea dicit, *renatos non esse sine peccato,* interdum loquitur de

peccatis venialibus, quæ post Baptismum fiunt; interdum ipsam concupiscentiam cum Apostolo vocat peccatum per *Metonymiam*, & ideo dicit, peccatum hoc esse in Membris, non in animo. Itaque cum dicit, *non esse in renatis puram libertatem*, ideo dicit, quia non sunt puri à peccatis venialibus, & quia peccatorum venialium causa est concupiscentia; ideo addit, *quia video aliam legem in membris* &c. Pari ratione cum dicit, *si nulla remansisset infirmitas, sine peccato hic viveremus*, de peccatis loquitur venialibus, quorum causa ut plurimum est infirmitas, ut diximus. Denique non negamus, concupiscentiam dici peccatum habitans in Membris, & damnari atque odio haberi à Deo, (verum) non ut peccatum propriè dictum, sed ut morbum & languorem; nam Medici etiam non solum Febrem, sed etiam remanentem oderunt infirmitatem, & pellere suâ arte conantur. Porro in Concilio Tridentino rectè etiam est dictum, *Deum in renatis nihil odisse*; quia loquitur Concilium de odio, quod redundet in personam, sic enim nihil odit Deus, nisi peccatum. Undè dicitur, *odio est Deo impius, & impietate Jesus*. Odium verò concupiscentiæ, quod ponit Augustinus in Deo, non redundat in personam; non enim Deus propter concupiscentiam, quæ in renatis est, renatos vult damnare, sed potius vult concupiscentiam consumere paulatim, ut renati perfectè sanentur & liberentur. Calvinus (quidem) in Antidoto Concilii admittit, *Deum nihil in renatis odisse*; sed non minus errat ipse, dum hoc admittit, quam Chemnitius, dum reprehendit. Nam si concupiscentia esset ex naturâ suâ peccatum, ut ipse dicit, non esset verum, à Deo eam non haberi odio, etiam in renatis. Ut enim Augustinus rectè ait hoc ipso in loco, *Deus omnia odit peccata*; nihil igitur Deus odit in renatis, quia nihil remanet post Baptismum, quod habeat veram peccati rationem.

Sap. 14

lib. I. de
Nupt. &
Concup.
c. 27.

Jac. 1.

lib. I. Re-
tract. c. 35.

Excussis jam Augustini testimoniis, progreditur Bellarminus ad examen rationum, in quibus dum hic & ibi autoritas intercedit Augustini, ea quæ huc pertinent, porro adscribi debent. *Prima igitur ratio hæc est*: Motus Concupiscentiæ sunt illiciti, etiam si nobis fiant nolentibus, ut colligitur ex Augustino; igitur lege divina sunt prohibiti, ac per hoc inobedientia legis, & peccatum est illos habere, quamvis non impotentur fidelibus & iustis. *Respondeo, inquit Bellarminus*, Motus Concupiscentiæ dicuntur illiciti, quia non licet eis præbere consensum, non quia non liceat eos animo pati invito; quemadmodum carnalis copula extra conjugium res est illicita, & tamen si quis per vim pateretur turpitudinem, aut omninò committeret ignoranter, non peccaret. Itaque Augustinus non dicit, illos motus esse illicitos, quia non liceat eos pati, sed quia non liceat eis obedire. Non enim, inquit, si bona & licita essent desideria, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens. Non regnet peccatum in vestro &c. *Secunda ratio* et si nullam faciat Augustini mentionem, quia tamen sequens tertia ad solutionem ejus provocat, omitti non potest, ita habens: Id quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, quia ipsum prohibetur malum, ut perspicuum est de osculis & amplexibus impudicis. Concupiscentia autem quamvis involuntaria per se trahit ad malum, unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Igitur ejusmodi concupiscentia lege divina est prohibita, & legem violat, qui concupiscit, quamvis invitus. *Respondet Bellarminus*, id quod per se trahit ad malum, eadem lege prohibetur, quia ipsum prohibetur malum. Sed sicut ipsum malum non prohibetur propriè, ita ut reum faciat, nisi cum est in potestate nostrâ, illud non committere; sic etiam vel majori potius ratione id, quod per se trahit ad malum, non propriè censetur prohiberi, nisi quatenus in nostro est arbitrio, illud adsumere vel rejicere. Nam si jure non potest reprehendi, qui stuprum patitur oblatum per vim; quanto minus reprehendi poterit, qui amplexum vel osculum impudicum pati cogitur, etiam si inde stimulari se ad flagitium sentiat. Sic igitur concupiscentiæ motus, qui animo reluctante interdum exoriuntur in carne, non sunt illiciti nec prohibiti, nisi materialiter; propriè autem & formaliter solus prohiberi intelligitur consensus. *Tertia ratio* est contra solutionem superiorem: Qui cogenti cupiditati voluntate bonâ resistere non potest, & ideo facit contra Justitiæ præcepta, verè & propriè peccat, ut Augustinus docet. At in lege Justitiæ non solum prohibetur opus, ut Adulterium, sed etiam desiderium, ut concupiscentia adulteri. Igitur sicut opus est verè peccatum, etiam si bona voluntate resisti non possit; ita concupiscentia ipsa verè peccatum erit, quamvis invito oriatur animo. *Bellarminus respondet*. Multum interest inter motus concupiscentiæ carnalis involuntarios, qui in sola carne sedem habent; & desiderium voluntatis, sive compleatur opere, sive non compleatur. Nam motus ille carnis involuntarius nullo modo est in potestate nostrâ,

nostrâ, & ideo nec peccatum proprie, sed tantum per Metonymiam, *ut in illo ipso loco idem docet Augustinus.* Desiderium verò adulterii voluntarium, sive ipsum opus adulterii pariter voluntarium aliquando non est in potestate nostrâ immediate, quia Dei iudicio deserti vires non habemus, quibus cogenti resistere valeamus cupiditati; semper tamen est in potestate saltem mediatè, quia possumus à Deo petere auxilium, & adjuvante eius gratiâ tentationi resistere. Et ideo, ut ibidem dicit Augustinus, *tunc facere contra iustitiæ præcepta, sive opere, sive consensu, sic est peccatum, ut sit etiam pœna peccati.* Quare totum conceditur argumentum, si in consequente de illâ sermo sit concupiscentiâ, quæ in ipsâ voluntate oritur per consensum? fieri enim potest, ut ea concupiscentia invito oriri dicatur animo, si fortè nollet aliquis consentire, & tamen victus tentatione consentiat. Sin autem de concupiscentiâ carnis agatur, quæ nullo modo extorqueat consensum, argumentum nihil omnino concludet; nam in antecedente dicitur esse peccatum, id, quod sit cogente carnis cupiditate, quod non est in potestate nostrâ immediate, sed tantum mediatè. Ex quo non sequitur, ut peccatum sit ipsa carnis cupiditas, quæ non est in nostrâ potestate, neque mediatè, neque immediate. *Quarta ratio:* Concupiscentiam, quæ remanet in baptizatis, Deus odit, ut Augustinus docet, explicans illud, *Malitiam non odit.* Apostolus quoque illam odio habebat, scribens, *quod in Pl. 35.* *odi facio.* Et nos illam odio habere debemus, juxta illud Judæ, *odientes eam, quæ carnalis est, maculat am tunicam.* At nihil odit Deus, nisi peccatum, juxta librum sapientiæ, *odio est Deo impius & impietas ejus.* Et ibidem, *Diligis omnia, O Deus, quæ sunt; & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Fecit autem omnia Deus præter peccatum. Quare concupiscentia remanens in renatis est peccatum. *Respondeo, scribit Bellarminus,* jam supra diximus in explicatione testimoniorum Augustini, concupiscentiam odio haberi à Deo, & à nobis odio esse habendam; quia, tametsi proprie peccatum non sit, tamen incitat ad peccatum, & cum eâ bellum intestinum atque adfiduum gerere cogimur. Quod autem scriptura dicit, Deum nihil eorum odisse, quæ fecit, verissimum est; sed illud est falsum, omnia Deum fecisse, præter peccatum. Deus enim fecit ac diligit omnia, quæ sunt, quia omnia bona sunt; *vidit enim cuncta quæ &c.* Proinde nullum fecit malum, & omne malum odit, quatenus malum non est res aliqua, sed rei alicujus privatio. Itaque in eodem sapientiæ libro legimus, *Deus mortem non fecit.* Et de concupiscentia scribit Apostolus Johannes, *eam non esse ex Patre, sed ex Mundo.* Odit igitur Deus concupiscentiam in nobis, non ut peccatum, sed ut languorem ex peccato relictum, eamque sanando quotidie minuit, donec penitus consumatur. Quomodo autem sit intelligendum, quod Concilium dicit Tridentinum, *Deum in renatis nihil odisse,* explicatum est capite superiori. *Quinta ratio:* Concupiscentia non est à Deo, ut habetur laudato Johannis loco. At *omnis iuxta pœna est à Deo,* ut habetur apud Amosum. Igitur concupiscentia non est *cap. 3.* solum pœna, sed etiam culpa. *Bellarminus respondet,* si argumentum hoc vires haberet, efficeret, mortem etiam corporalem non tantum esse pœnam, sed & culpam; nam mors non est à Deo, ut habetur in laudato sapientiæ libro, & omnis iuxta pœna est à Deo &c. Dico igitur, concupiscentiam non esse à Deo, quatenus illa est mala; & tamen esse à Deo, quatenus bonum est, ut hoc malo puniatur hominis inobedientia. Item, concupiscentiam non esse à Deo, quia non fuit ipse auctor peccati, undè illa manavit; esse tamen à Deo, quia in ultionem peccati abstulit donum originalis Justitiæ, quod carnem spiritui subiciebat, quo tanquam fræno quodam sublato extitit continuo in homine rebellio ista membrorum. Undè Augustinus ad Julianum: *Quia dixi, inobedientiam car-* *lib. V. c. 7.* *nis, quæ in carne adversus spiritum concupiscente adparet, vulnere diabolico contigisse, & rursus, hanc legem peccati repugnantem legi mentis à Deo illatam esse propter ultionem, & ideo pœnam esse peccati, hæc inter se adseveras esse contrarias, quasi non posset fieri, ut idem malum est diaboli iniquitate & Dei equitate peccantibus ingeratur. Neque hinc sibi divina adversantur eloquia, quia scriptum est, Deus mortem non fecit; item, vita & mors à Domino, quia deceptor hominis est causa mortis, quam non ut primus auctor ejus, sed ut peccati ultor intulit Deus.* Sexta ratio: Nulla est hujus vitæ pœna, quæ ob finem bonum expeti non possit. At concupiscentia ob nullum finem rectè expeti potest. Igitur concupiscentia non est solum pœna, sed etiam culpa. *Respondeo, inquit Bellarminus,* falsam esse propositionem. Nam ignorantia earum rerum, quæ ad salutem sunt necessaria, sine dubio pœna est peccati, & tamen expeti non potest, nisi imprudenter & malè. Pari ratione tentationes Satanæ expeti non possunt, cum orare jubeamur, *Ne nos inducas in Tentationem.* Et tamen Tentationes internæ, quibus ima-

ginationem movet Satanas, & inania vel illicita interdum nos cogitare compellit, poena sunt peccati. Denique nullas expetendas esse poenas, sed omnes tolerandas, docet Augustinus, sic ad Deum loquens: *Quis velit molestias & difficultates pati? Eas tolerare jubes, non amare. Nemo amat, quod tolerat, etsi tolerare amat, quamvis enim gaudeat, se tolerare, maxime tamen non esse, quod toleret.* Porro, *Concupiscentia eadem ratione expeti non debet, non quod peccatum sit, si ei non consentiatur, sed quod inducat ad peccandum, & quod molesta sit ac gravis, & ideo non amanda, sed toleranda sit, si nequeat debellari. Neque debet displicere iudicium Dei, qui eam ad Agonem & Virtutis exercitium voluit remanere, & Apostolo dixit, Sufficit tibi gratia, nam virtus in infirmitate perficitur. Septima & ultima ratio: Christus per omnia voluit tentari, sed absque peccato, ut Apostolus docet, & ideo communes humanæ vitæ misérias omnes adsumsit, ut fratribus per omnia fieret similis. At concupiscentiam carnis non adsumsit, neque tentationem ejusmodi voluit pati, quæ à rebellionem carnis oriretur. Igitur concupiscentia non solum poena ac miséria, sed culpa & iniquitas est. Bellarminus respondet, Christus non solum concupiscentiam, sed ignorantiam quoque noluit adsumere, quamvis neutra sit peccatum, si omnino sit involuntaria. Cur verò ignorantiam & concupiscentiam noluerit Christus habere, docet Thomas, tum quia duæ miséria istæ nihil proderant ad redemptionem generis humani, sed potius oberant; tum etiam quia plenum gratiæ & veritate Christum esse oportebat, quibus donis duobus concupiscentia & ignorantia repugnant manifestè. Vide Augustinum in opere de peccatorum meritis & remissione, & in libris contra Iulianum, ubi docet, Christum ab ignorantia & concupiscentia semper fuisse immunem.*

Hæc prolixissimè & non sine fastidio Bellarminus, non pauca immiscens ad institutum impertinentia, multa præter necessitatem repetens, aliqua etiam propter receptas à se hypotheses præsupponens, in quibusdam sibi immetur, ut quod contradicens, alia etiam hinc inde committens, quæ tantum Disputatorem, omniumque sui temporis hæreticorum expugnatorem minimè decet, malæ nimirum causæ documenta, & quibus impotentiam in oppugnandâ veritate per sacræ scripturæ & Augustini auctoritatem satis manifestâ prodidit apertissimè, nunc in examine & vindictis breviter eo, quo fuerunt adducta ordine, lectori studiose exhibenda, ut quid hac in te controversia, quam Tridentina Synodus sub Anathematis fulmine definivit, ad sacræ scripturæ normam ab Augustino observatam sit statuendum, fiat manifestum. Possêt quidem laboris esse compendium, si ad eorum labores fieret provocatio, qui hanc Controversiam ex professo tractarunt, Augustini super eâ sententiam studiosè indagantes, ac ejus testimonia à pravo sensu vindicantes, inter quos post Chemnitium primæ ex merito partes debentur D. Gerharδο, qui nihil fere videtur omisisse, quod ad Augustini auctoritatem Evangelicis etiam in hoc puncto restituendam dici ullâ ratione potuit, Gerharδο Johanne Vossio quoque non pauca ad hanc rem conferente, nisi quod à Calvino aliquatenus fecerit secessum, de quo alii; sed ne hisce pro Augustini sententia vindictis quidquam desit, quod earum series & ordo requirit, & hic instituto, quantum licet, satis est faciendum ex assè. In antecessum verò & in genere debet notari, mitius de hac judicasse Controversiâ aliàs non omnino contemnendum scriptorem Cassandrum, qui in laudatâ antehac non semel Consultatione hanc magis de voce, quam re contentionem esse videtur scripsit, ut non obscure Augustinum nostris adscribens partibus, verbis ad secundum Augustinæ Confessionis articulum sequentibus notatu dignissimis: *Ex Augustino & reliquis scriptoribus Ecclesiasticis convenit, Concupiscentiam post Baptismum reliquam esse rem malam, contra quam sit pugnandum, quam Apostolus legem adpeller membrorum, repugnantem legi Mentis, quæ ab Apostolo & secuto cum Augustino nonnunquam adpelleretur peccatum, non modo, quia peccato est facta, sed quod fomes sit & incentivum peccati, & dominatio, ni Mentis resistat. Pergis Consultator: Si igitur peccati rationem in illo vicio & iniquitate, languore, infirmitate ac Morbo constituas, cui resistendum sit Spiritu, ne actus gignat illicitos, non ineptè dicitur peccatum. Certè insignis quidam Theologus apertè adserit, etiam in regeneratis manere peccatum, tamen non imputetur. Sin peccati rationem in ipsâ Dei offensâ & reatu, cui ex adverbo hoc*

lib. 10.
Conf. c. 28.

Ebr. 4.

lib. II. c. 29.

lib. V. c. 9.

Histor. Pe-
lag. p. 229.
seqq.
Edit. po-
ster.

oper. p. 910
& seqq.

hoc poena & damnatio responderet, sitam intelligas, certum est, in regeneratis non esse peccatum, ut potè in quibus facta est remissio peccatorum, & reatus omnis solutus. Infirmas verò illa reliqua, quamvis mala & vitiosa sit, tamen ad peccatum non deputatur, nisi ei ad illicitos actus inclinanti consentiatur. Ita apertè dicit Augustinus, concupiscentiam in renatis non esse peccatum, quando illi ad opera illicita non consentitur; quam tamen eandem concupiscentiam alibi iniquitatem esse contendit. Ideò autem non esse peccatum, quod ab ejus reatu homo sit liberatus, & nulla detineatur damnatione. Hæc Cassander, satis candidè sententiam Augustini, & ante eum Apostoli, atque sic Evangelicorum quoque proponens, miraturus sine dubio, si apertè mentis suæ sensa explicare illi fuisset concessum. Synodi Tridentinæ & Patrum ibi scriptorum insignem audaciam, quod agnoscere fuerunt coacti, Apostolum aliquandò concupiscentiam adpellasse peccatum, & hoc tamen non obstante non solum definierunt, quasi ex sententiâ univèrsalis Ecclesiæ, scilicet, eam verè & propriè peccatum non esse, sed etiam insuper contrarium, ex mente nimirum Pauli, & post eum Augustini, ad cujus consensum in margine impertinenter fit provocatio, statuentibus fulmen Anathematis, brutum quamvis & invalidum sunt minati, hoc etiam ostendentes documento, à quo fuerint acti spiritu, tanto rigore contra Pauli discipulos adhibito. Nunc antequam examen eorum suscipiatur, quæ Bellarminus contra dictam Pauli sententiam ex Augustino objecit, lectori significandum est, injuriam, quam is Luthero fecit insignem, quali peregrinam Augustino adscripsit sententiam; suprà depulsam esse, ubi de effectu Baptismi fuit actum, undè accersi huc debent pro innocentia Megalandri vindicta. Inter Oracula scripturæ autem quibus ex Augustini, ut præten dit, sensu contra Evangelicos agit Bellarminus, primum occupat locum Jacobi, in quo juxta explicationem Augustini discernitur partus, id est, peccatum à pariente, id est, concupiscentia, tanquam effectus à causa. Videtur quidem hoc discrimen habere aliquam speciem, sed videtur solum, & habet aliquam speciem, sed externam modò & oculis expertium. An enim sequitur, quia Jacobus & ex eo Augustinus effectum concupiscentiæ, id est, ejus partum vocat expressè peccatum, ipsam verò concupiscentiam non item; & Jacobum & Augustinum pro peccato eam non habuisse? Nam discrimen inter parientem five matrem pestiferam & partum ex sensu utriusque eò debet vel potest extendi, ut quod huc expressè adscribitur, illi ob id ipsum sit denegandum? Credendumne est aut cogitandum, & Apostolum & tantæ æstimationis in Ecclesiâ Doctorem fuisse à communi sensu ita desertos, ut ideò matrem negent esse hominem, quæ filiam peperit hominem? Etsi enim neuter receptis hodiè in Philosophorum scholâ terminis sit usus, quorum illo tempore non tanta fuit necessitas; non tamen nesciverunt, Gignentem cum genito, si non semper specie, uno saltem eodemque genere communicare, siquidem unumquodque gignens per ordinarium naturæ cursum ab Authore naturæ divinitus constitutum simile sibi gignere certum est atque compertum, adeoque omne genitum gignentis sui naturam participare. Quamvis etiam non idem peccatum gignatur à semetipso, nihil tamen omninò prohibet, quo minus sine omni absurditate dicatur, unum ab alio gigni posse, imò etiam gigni peccato; atque sic concupiscentiam, quæ originalis peccati propria est, & effectus primi Protoplastorum peccati rectè dicitur, post conceptionem ab Apostolo indigitatam gignere non seipsam, sed peccatum, specie quidem, non autem genere diversum. Nec dicendum est, si id credidisset Apostolus, & post eum Augustinus, non omisuros fuisse, concupiscentiam quoque tanquam peccati matrem dicere peccatum. Sed, præterquam, etiam si id factum esset, Synodi Tridentinæ Patres nihilominus pro autoritate, se tùm pollere in orbe Christiano putabant, excipere poterant, non in vero & proprio sensu id intelligendum esse, quæ eos exceptione contra expressam onomatologiam Paulinam impudenter simul & audaciter usos vidimus proximè, quo etiam effugio Bellarminum non pauca satis clara Augustini testimonia obscurare conatum sequens examen ostendet; præter hoc, inquam, observari debet, neque Jacobus, neque etiam Augustini fuisse institutum, concupiscentiæ onomatologiam exhibere, sed ab effectu mortifero eam describere, cum neutri eorum venire potuerit in mentem, fore unquam homines in Ecclesia tam absurdos, qui Concupiscentiam renatis quoque post Baptismum adhuc constanter inhærentem tam viliter æstimantes, eam, quæ tam detestandæ filiæ mater est, verè & propriè peccatum dici in dubium vocare, imò etiam negare sint ausuri, Doctores omninò cæci &

Conf. D.
Carpzov.
169 pag.
16.
cap. 1.

vid. D.
Hutter.
Locor.
Theol. p.
340.

simplicium miseri seductores. Placent hic imprimis verba, quæ *Novarinus* ad hoc *Jacob* oraculum cum pluribus ex aliquo sermone, Augustini nomen habente, & inter quinquaginta est numero & ordine post quadragesimum secundum, adduxit quibus concupiscentia dicitur *illicita, lasciva, turpis, à DEO alienans*; quæ peccati verè & propriè dicti epitheta esse, quis non videt?

Secundum nunc sequitur testimonium, quo Bellarminus demonstrare satagit, concupiscentiam in renatis non esse peccatum verè & propriè, usus Apostoli verbis, quibus

Rom. 7. *peccatum in se habitare & malum operari* testatur; sed contra semetipsum, dum non tantum non negat Paulus, concupiscentiam esse peccatum verè & propriè dictum, sed potius expresse vocat peccatum, ut mirum debeat videri, ausum fuisse Bellarminum ad hoc testimonium contra Evangelicos provocare, cum directè sibi oppositum potuerit, imò debuerit videre, nisi ultro clausis quasi oculis cæcus esse voluisset. Neque mens alia fuit Augustini iis duobus locis, ex quibus unum citavit tantum, ex altero autem aliqua adduxit verba Bellarmini. Prior ab eo prætermisus, quia veritatem Evangelicam confirmat, & Apostoli sententiam benè exprimit, hic omninò legi meretur: *Considerandum est, quod adjungit Apostolus, si, quod nolo, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est; magis enim se dicit legi consentire, quam carnis concupiscentia, hanc enim peccati nomine adpellat. Facere ergo se dixit & operari, non adfectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi. Hinc ergo inquit, consentio legi, quoniam bona est consentio, quia nolo, quod non vult. Deinde dicit, Nuncautem jam non ego operor illud, sed id, quod habitat in me peccatum. Quid est, nunc autem, nisi, jam nunc sub gratiâ que liberavit delectationem voluntatis à consensione cupiditatis? Non enim melius intelligitur, non ego operor, nisi quia non consentit sua exhibere membra peccato arma iniquitatis. Nam si & concupiscit, & consentit, & agit, quomodo non ipse illud operatur, etiamsi se doleat operari, & vinci se graviter ingemiscat? Non una est in his verbis ratio Evangelicorum confirmans sententiam. Sed & in posterioris testimonii verbis à Bellarmino citatis aperte satis veritas Evangelica continetur, quibus concupiscentia homini post lapsum inharens dicitur *inobediencia carnis*, quam esse peccati verè & propriè dicti descriptionem, nemo sanus ibi inficias. Quorum pertinent, quæ in eodem opere, ex quo Bellarminus testimonii posterioris verba depromsit, leguntur sequentem in modum: *Agit aliquid concupiscentia carnis, etiam quando non exhibetur ei vel cordis adfectus, ubi regnet, vel membra velut arma, quibus impleatur, quod jubet. (Actus manet, reatus præterit.) Quid autem agit, nisi ipsa desideria mala & turpia? Non enim si bona essent & licita, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Non enim ait, ad habenda ejus desideria, sed, ad obediendum desideriis ejus; ut, quoniam sunt in aliis majora in aliis minorâ, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agone iustitia pudicitiaque servemus, ne illis obediamus. Ut tamen, ne ipsa sint desideria, velle debemus, etiamsi in corpore mortis hujus id obtinere non possumus. Hinc idem Apostolus velut ex sua persona introductione loquens nos instituit, dicens, non, quod volo, hoc ago, sed, quod odi, illud facio, id est, concupisco; quia & hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. Si autem, quod nolo, inquit, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est, quia hæc & illa non vult, quod & ego nolo, non vult enim, ut concupiscam, quæ dicit, Non concupisces, & ego concupiscere nolo. In hoc itaque consentiunt voluntas legis & mea. Verum quia concupiscere volebat, & tamen concupiscebatur, sed eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo serviebat, adjunxit atque ait, Nunc autem jam non ego operor illud, sed id, quod inhabitat in me, peccatum. Non potuit clarius onomatologia concupiscentiæ tanquam peccati verè & propriè dicti Apostolicam explicare sanctus Doctor, quam dum eam agere & operari scripsit, etiam ubi cordis adfectus ei non exhibetur, in homine nimirum regenerato, & legimentis per Spiritus Sancti gratiam pro viribus obedienti, ubi notanter scripsit Augustus Pater, actum etiam ferè similem in modum scripsit, eadem Pauli verba explicans ex professo: *Est concupiscentia non consentio, etsi post concupiscentias meas non eo adhuc tamen concupisco. Igitur ipse ego, ego ipse mente servio legi DEI, carne autem legi peccati, mente non consentio legi peccati, sed tamen nollem esset in membris meis lex ulla peccati. Et post aliquando ipsum agere, concupiscere est, non concupiscentiæ consentire. Et iterum: Quid lex dicit? Non concupisces. Et nolo concupiscere, & tamen concupisco, quamvis concupiscentiæ meæ ad sensum ego non præbeam, quamvis post eam ego non eam; resisto enim, contra mentem enim***

lib. I. contra duas Epist. Pelag. cap. 10.

lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 27.

NB.

Serm. V. de verb. Apost. circa med.

mentem, nego arma, teneo membra, & tamen fit in me, quod nolo. Adhuc amplius: Nunc autem jam non ego operor illud. Nunc autem, quid est? Nunc autem jam redemptus, qui fui antea sub peccato venundatus; jam accepta Salvatoris gratia, ut mente condelecter legi DEI; non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum. En, quam dixit ex & cum Apostolo legem peccati, eam ex eodem dixit peccatum, certè non nisi verè & propriè dictum, nisi mentem ejus invertere, & omnia hic de concupiscentiâ renatorum minus verè & impropriè velimus intelligere, quod non esset aliud, quam summis ima miscere, omnemque sensus certitudinem auferre. Quia verò Bellarminus circa hujus dicti Apostolici intellectum in eo non parùm subsidii ponere videtur, quod vocabulum carnis significet corpus tantùm & partem hominis inferiorem, sciat lector, Bellarminum è suis habere sibi contradicentem *Esthim*, celebrem inter eos Epistolarum Apostolicarum interpretem, ita de hoc Pauli loco scribentem: *Observa*

carnis acceptionem Apostolis usitatam, quâ sumitur pro toto homine, quatenus carnalis est & vetus, id est, secundum illud, quod traxit ex vetere & carnali Adamo, corruptus ex corrupto; quæ corruptio non in solâ carne est, ut ab animâ distinguitur, licet maxime adpareat in carne propter membrorum rebellionem, verum etiam ac potissimum in ipsa animâ, cujus utique ea sunt vitia, quæ non competunt carni, & quæ spiritualia solent vocari opposita carnalibus, veluti superbia, invidia, contentiones, & his similia, quæ cuncta inter opera carnis enumerare non dubitavit Apostolus. Eadem antehac quoque fuit Augustini de hujus vocabuli significatione mens & sententia, quod non solum citata proximè loca testantur, sed alia etiam plura. Ita notanter ad præsens negotium alicubi scribit: *Quamvis in Baptismo plena fiat & tota peccatorum remissio, tamen si continuo*

tota & plena etiam hominis in eternam novitatem fieret mutatio, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere in fine postea renovandum, quando verè tota novitas erit; sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est interior homo, perfecta in Baptismo fieret novitas, non diceret Apostolus. Et si exterior homo noster corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem. *Profecto enim, qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus est renovatus; & in quantum non est renovatus, in tantum adhuc est in vetustate.* Alibi iterum sic inquit: *Motibus suis*

anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem; & rursus, motibus suis, quos habet secundum carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum. Et ideo dicitur *Caro concupiscere adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Sed propter hoc & de ipsa dictum est *anima, renovatur de die in diem.* Porro itidem alio in loco, ubi classicum Apostoli testimonium de operibus carnis ex quinto capite Epistolæ ad Galatas tractavit, ita de hac re suam expresse sententiam: *Iste locus, quantum ad rem presentem satis esse videbitur, consideratus, poterit hanc dissolvere questionem, quid sit vivere secundum carnem; in operibus namque carnis, qui dixit esse manifesta, eaque commemorata damnavit, non illa tantum invenimus, quæ ad voluntatem carnis pertinent, sicuti sunt fornicationes, immunditie, luxuria, ebrietates, comestiones &c. verum illa etiam, quibus animi vitia demonstrantur à voluptate carnis aliena. Quis enim, quæso, servitorem, quæ Idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, emulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidias non potius animi vitia intelligat esse, quam carnis; quandoquidem fieri potest, ut propter Idololatriam vel hæreses alicujus errorem à voluptatibus carnis temperetur, & tamen tunc etiam homo, quamvis libidines carnis continere ac cohibere videatur, secundum carnem vivere hæc Apostolicâ autoritate convincatur, & in eo, quod abstinet à voluptatibus carnis, damnabilia carnis opera agere demonstratur? Addit pro uberiori explicatione: *Quis inimicitias non in animo habeat, aut quis ita loquitur, ut inimico, vel quem putat inimicum, dicat, malam carnem, ac non potius, malum adversus me habes animum? Postremò: sicut carnalitates, ut ita dicam, si quis audivisset, non dubitaret carni tribuere; ita nemo dubitat, animositates ad animum pertinere.* Cur ergò hæc omnia & his similia Doctor gentium in Fide & Veritate adpellat carnis opera, nisi quia eo locutionis modo, quo totum significatur à parte, ipsum hominem carnis nomine vult intelligi?*

NB.

lib. II. de peccat. merit. cap. 7.

lib. 6. contra Jul. c. 5.

lib. 14 de Civ. DEI. cap. 2.

Rom. 8.

Succedit nunc tertium Bellarmini argumentum vel testimonium ejusdem Apostoli autoritate nixum, quo nihil damnationis docuit inesse iis, qui sunt in Christo *IESU*. Et ut exinde obtineat, concupiscentiam in renatis non esse peccatum verè & propriè dictum, duobus utitur ex Augustino locis, ostensurus, reatum esse id, quod propriè dicitur

dicitur peccatum, eumque esse omnino inseparabilem ab eo, quod in se dignum est aeternæ damnatione. Sed neutrum dixit Augustinus, se accurate ea perpendantur loca, ad quæ provocavit Bellarminus; neque etiam dicere potuit, sine insigni absurditate, id quod sequens utriusque docebit examen. Priori quidem loco, quo Augustinus scripsit, *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati*; quomodo id voluerit intellectum, ipse in proximè antecedentibus explicavit: *In eis qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt omnium prorsus peccatorum, utique est necessum, ut reatus etiam huius, licet manentis adhuc concupiscentiæ remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam prætercunt, cum fiunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur, in aeternum manebit; sic illius concupiscentiæ reatus auferitur, quando remittitur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Illustrat id porro per exemplum à contrario verbis proximè sequentibus: *Si quisquam fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec ipsius reatus indulgentiæ remittatur.* Habet ergò peccatum, quamvis illud, quod admisit, jam non sit, quia cum tempore, quo factum est, præterit. Nam si à peccando desistere, hoc esset, non habere peccatum, sufficeret, ut hoc nos moneret scriptura, *Fili, peccasti, non adjicias iterum; non autem sufficit, sed addidit, & de pristinis deprecare, ut tibi remittantur.* Manent ergò, nisi remittantur. Sed quomodo manent, si præterita sunt; nisi quia præteritum actu manent reatu? Sic itaque fieri potest è contrario, ut etiam illud maneat actu, præteritum reatu. Vides, lector studiose, differentiam inter actum & reatum ab Augustino notatum, quod itidem ad Lutheri à Bellarmino graviter accusati pertinet innocentiam. Vides etiam, ita intellexisse sanctum Doctorem verba, *Hoc est, non habere peccatum, reum non esse peccati*, ut reatum dicat concupiscentiæ licet manentis adhuc in Sacramento Baptismi remissum, atque ita prætereat reatu, maneat actu, sicut è contrario in peccato Adulteriitantum actuali, (quo à concupiscentia tanquam originali vel rectius originato differt & discernitur) nisi remittatur, manet reatus, actus præterit, etsi nihilo minus homo huius peccati etiam semel tantum perpetrati reus sit & verè dicatur peccator & habere peccatum. Judicet nunc, quicumque pollet iudicio, an reatus Augustino sit idem quod peccatum, & an verè scripserit Bellarminus, ex Evangelicorum confessione id statui debere, cuius nullum tamen proferre potuit testimonium, neque Augustino tam absurdo, neque Doctoribus Evangelicis tam à sermonis proprietate alienis, ut reatum cum peccato idem esse dixerint. Certè eruditissimus & in hoc studii genere versatissimus ante omnes ferè alios, *Gerhardus Iohannes Vossius*, paulò ante laudatus, in accuratissimo de *Vitiis Latini Sermonis* opere testatur *CTos* recentiores propterea castigatos fuisse à *Budæo*, quod reatum vulgò dixerint pro crimine, hac addita observatione, *nexum inter ea quidem, non idem esse tamen; & reatum esse obligationem ad penam, ut inter crimen & penam medius sit reatus.* Neque hanc observationem rejicere aut nullitatis accusare potuit *Scuppius*, minutina aliàs & minoris momenti in hoc opere Vossiano suæ subiciens Censuræ. Hoc quidem est certum, in sacris etiam scripturis vocabulū peccati quandoque pro reatu, quia & ipsa peccati penam sumi; sed non sequitur, verba vice vocabulum reatus loco ipsius peccati esse in usu, nisi exemplis id possit doceri, quæ hæcenus, ex Augustino imprimis desiderantur. Sed & neque alterum dixit Augustinus, quod cum dixisse vel docuisse Bellarminus voluit, videlicet *reatum esse omnino inseparabilem ab eo, quod sua naturâ dignum est aeternâ damnatione*; ita ut sequatur inde, in regentis per remissionem peccatorum cum reatu ipsam quoque concupiscentiam sub notionem peccati verè & propriè dicti esse ablatam. Nam si locum à Bellarmino citatū inspiciamus, is hoc nullo planè modo evincit, agens solum de *pena & ejus merito*, quod omnes Adami & evigina à nativitate suâ trahunt, & cui ante gratiam regenerationis sunt obnoxii, de quo statui hic sermo non est, sed de statu & conditione regentorum post acceptam peccatorum à Deo remissionem. Si verò alibi sanctum Doctorem de hoc argumento audiamus differentem, eum à partibus Evangelicorū stare, patebit evidentissimè & indubitanter. Ita autem scribit contra Julianum, suæ mentis interpretis optimus: *Videamus illud excellentissimum acumen tuum, quo vidisti, quemadmodum refelleres, quod à me dictum est, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur; quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen.* Adversus mea hæc verba, scribit porro Augustus Doctor contra suam antagonistam, sic argumentaris homo acutissimus, tanquam ipsam concupiscentiam dixerim per Baptismum reatu liberari, quoniam dixi, reatu suo jam soluto, velut suo dixerim, quo ipsa (nimirum concupiscentia) est rea, eoque soluto illa per-

lib. I. de
Nupt. &
Concup.
cap. 26.

Syr. 21.

lib. I. cap.
32. pag. m.
339.

lib. 6. c. 6.

maneat absoluta; quod utique si sensissem, profecto eam esse malam non dicerem, sed fuisse. Ac per hoc secundum mirabilem intelligentiam tuam, quando audis in aliquo reatum homicidii solutum, non hominem, sed ipsum homicidium à reatu existimas absolutum. Sic intelligat quis, nisi qui non erubescit laudare, cum quâ (nimirum concupiscentiâ) compellitur dimicare. Et post aliqua: Nos, qui concupiscentiam dicimus malam, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipsa (nimirum concupiscentia) erat rea, nec enim aliqua est persona, sed quorem hominem originaliter faciebat, fuerit remissus atque evacuatus; absit, ut dicamus sanctificari, cum quâ necesse habent regenerati, si non in vacuum susceperunt DEI gratiam, intestino quodam bello, tanquam cum hoste configere, & ab eâ peste sanari desiderare & optare. Ibidem post plura: Concupiscentia, quæ manet oppugnanda atque sananda, quamvis in Baptismo dimissa sint cuncta omnino peccata, non solum non sanctificatur, sed potius, ne sanctificatus aeternæ morti obnoxios tenere possit, evacuatur, quia & illi qui lacte alebantur, non cibo solido, & adhuc animales, non percipientes, quæ sunt spiritus DEI, quoniam stultitia illis adhuc erat; si in illâ mentis aetate, in quâ novi homines adpellabantur, non carnis, de corpore exivissent, parvuli in Christo, nullo stultitiæ illius reatu tenerentur, quia hoc eis beneficium fuerat regeneratione collatum, ut omnium malorum, quibus & postea vel moriendo, vel proficiendo fuerant excendi, reatus continuo solveretur remissione omnium peccatorum, nondum sanitate omnium morborum, qui tamen reatus teneat necesse est eum, qui generatur secundum carnem, quia non nisi ei remittitur, qui secundum spiritum regeneratur. Clarè satis mentem suam explicat augustus Doctor, cur scripserit, quod Lutherus etiam observavit, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, & quod soluto etiam reatu suo, vel ejus, maneat tamen; accuratè distinguens inter reatum ratione ipsius peccati, & inter reatum ratione ipsius personæ peccantis, non hoc, sed illo respectu ejus inseparabilitatem agnoscens, qui tamen hic non attenditur, nobis de reatu personæ, non ipsius peccati sollicitis, Augustino nobiscum sentiente, reatum concupiscentiæ, sicut aliorum omnium peccatorum in regeneratis esse solutum ipso manente & post Baptismum in hærente peccato concupiscentiæ, quam esse peccatum propriè & verè dictum agnovit sanctus Pater, dum in numero aliorum omnium peccatorum recensuit. Estque id tam manifestum, ut Toletus etiam, à fixto Senensi, Possævino, Alegambio, Iano Nicio Erythro, vel potius, vid. Wcl. Iohanne Victorio Roscio, Andrea quoque Saullago, Bellarmini continuatore insigniter let. h. loc. laudatus, in Commentario fatari debuerit, Augustinum à partibus Evangelicorum stare, & concupiscentiam esse peccatum docuisse, ob id ipsum ab Augustini sententiâ, utpotè per Synodi Tridentinæ Decretum reprobata credens, quod ex parte etiam à Cornelio Lapidensi factum.

Nunc ostenso, nullum esse Bellarmini & Pontificiorum sententiæ subsidium ex sacris literis juxta Augustini explicationem, sequitur, ut doceatur, in aliis etiam Augustini testimoniis, quos singulari industriâ ex omnibus operum Tomis secundum receptam in plerisque Editionibus seriem collegit Bellarminus, vel potius aliunde exscripsit, nihil pro hæc sententiâ haberi, id quod brevi repetitione testimoniorum, ad quæ provocat Bellarminus, fiet, ex quâ lectori constabit, quantâ Augustinus constantiâ docuerit concupiscentiam esse peccatum. Et in primo quidem Tomo primum meritò locum occupat testimonium ex opere *Retractionum*, utpotè in quo sententiam, quam aliàs & antehac defendit, constanter & egregiè confirmavit. Ita autem post verba, quæ supra in tractatione quæstionis de definitione peccati habuimus, hic non repetenda, scribit Augustinus: Hoc peccatum, de quo locutus est Apostolus, (capite nimirum septimo lib. I. c. 15. Epistolæ ad Romanos) idè peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pena peccati est; quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur, quod aperit in consequentibus, dicens, Scio, quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ bonum; velle enim adjacet mihi, perficere autem non invenio. Perfectio quippè boni est, ut nec ipsa peccati concupiscentia sit in homine, cui quidem, quando bene vivitur, non consentit voluntas, verum tamen non perficit bonum, quia inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas, cujus concupiscentia reatus in Baptismo solvitur, sed infirmitas manet, cui, donec sanetur, omnis fidelis, qui bene proficit, studiosissimè reluctatur. Peccatum autem, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est, quod iusta damnatio est consecuta, hoc enim per unum hominem intravit in mundum; quanquam & hoc peccatum, quo consentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Et post pauca: Quod propterea dictum

dictum est, ut volens discerneret à nolente, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in Pe-
ridis fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente, hoc est, liber à voluntate peccando, quia
& scientes contra Præceptum fecerunt, & Tentator suavit, ut hoc fieret, non coegit. Nam
qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis & quod nesciens
fecit, volens tamen fecit ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas uti-
que, sicut est definita, animi fuit motus, nullo cogente, ad aliquid vel non amittendum, (alias ad-
mittendum) vel adipiscendum; quod enim si nolisset, (vel, nisi voluisset) non fecisset, non
coactus est agere. Quia voluit, ergo fecit, etsi non quia voluit, peccavit, nesciens pecca-
tum esse, quod fecit. Ita tale peccatum sine voluntate esse potuit, voluntate facti, non
voluntate peccati; quod tamen factum fuit peccatum, hoc enim factum est, quod fieri non
debit. Quisquis autem sciens peccat, qui potest cogenti ad peccatum sine peccato resi-
stere, nec tamen facit, utique volens peccat quoniam qui potest resistere, non cogitur ce-
dere; qui verò volenti (alias, cogenti) cupiditati bonâ voluntate non potest resistere, &
& ideo facit contra Iustitiæ præcepta, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pena peccati.
Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est; itemque definitio peccati,
quæ diximus, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi, quod Iustitia vetat, &
unde liberum est abstinere, propterea est vera, quia id definitum est, quod tantummodo
est peccatum, non quod est etiam pena peccati. Nam quando tale est, ut idem sit & pena
peccati, quantum est, quod valet voluntas sub cupiditate dominante, nisi forte si pia est,
ut oret auxilium? In tantum enim libera est, quia in tantum est liberata, & in tantum ad-
pellatur voluntas; alioquin tota cupiditas quam proprie voluntas est vocanda, quæ non
est, sicut Manichei desipiunt, aliena naturæ additamentum, sed vitium nostræ, a quo non
sanamur, nisi gratiâ Salvatoris. Quod si quisquam dicit etiam cupiditatem ipsam nihil
esse aliud, quam voluntatem, sed vitiosam peccatoque servientem, non est resistendum,
nec de verbis, cum res constat, controversia est facienda; sic enim ostenditur, sine volun-
tate nullum esse peccatum, sive in opere, sive in origine. Hæc semel pro semper, quia
locus hic sæpius occurrit in præfenti tractatione, debuerunt excubiri, ut uno quali intuitu
exhibeantur, quæ quam maxime huic instituto inserviunt, neque eadem cum tæ-
dio repetere postmodum opus sit. Notari autem exinde præmissis debet, testari Au-
gustinum, quod Paulus concupiscentiam vocaverit peccatum, quod improprie intel-
ligi debere, Bellarminus nondum demonstravit. Præterea confirmat, id quod in
antecedentibus etiam vidimus, reatum concupiscentiæ solvi, manente tamen infirmi-
tate, quam verè & proprie peccatum esse & dici, in sequentibus docebitur. Accedit,
sanctum Patrem, etsi certo sensu omne peccatum dicat esse voluntarium, agnoscere ta-
men aliquod discrimen inter peccata voluntatis & ut sic dicam Noluntatis, & sic etiam
inter peccata, quæ vel scienter vel ignoranter ab hominibus committuntur; item inter
voluntatem facti & voluntatem peccati. Insuper observari debet differentia inter pec-
catum, quod tantum est peccatum, & quod simul est etiam poena peccati, quam alias
etiam non semel inculcat Doctor Augustinus. Præmissis autem huc pertinet, quod
agnoscit & concedit, concupiscentiam & cupiditatem proprie voluntatem esse & vo-
cari posse, quo Bellarmini phrasin castigavit, quæ sæpius concupiscentiam in renatis
absque consensu accedente dixit involuntariam, quæ locutio, nisi ritè explicetur, quam-
maximè est impropria, & ab accuratis verborum, eorumque proprietatis observato-
ribus vix ac ne vix quidem admittenda. Etsi jam primum hoc testimonium, quamvis
inter Augustiniana meritò ultimum, quia post cætera à Bellarmino laudata scriptum,
inter Evangelicæ veritatis testimonia debet referri, id quod notatæ observationes, plus-
fatis ostendunt, facile datur perspicere, quid de sequentibus sit sperandum, quæ ex omni-
bus operum Tomis habet Bellarminus, utpote quorum explicatio ab huius sensu legiti-
mo dependet, ut jam porrò videbimus. Certè quod ex eodem primo operum Au-
gustini Tomo laudavit Bellarminus, si integrum videamus, aperte à nostris stat parti-
bus. Agit ubi de primo Protoplastorum peccato, ostenditque rationem, quæ tunc
eâdem serpens deceptor Paradisiacus hodiernum homines soleat seducere. Verba
huc pertinentia sunt: *Etiâ nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad pecca-
tum quisque delabitur, quàm tunc actum est illis tribus, serpente, muliere & viro. Nam
primo sit suggestio sive per cogitationem, sive per sensum corporis, vel videndo, vel tan-
gendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo. Quæ suggestio cum facta fuerit, sicu-
puditas nostræ non moveatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia; si autem mota
fuerit, quasi jam persuasum erit mulieri. Sed aliquando viriliter etiam committam cupi-
ditatem*

lib. II. de
Gen. c. Ma-
nich. c. 14.

ditatem refranat atque compefcit ratio; quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquantâ luctatione coronamur. Si autem ratio confentiat, & quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vitâ beatâ tanquam de Paradiso expellitur homo; jam enim imputatur peccatum, etiam si non subfequatur factum, quoniam rea tenetur conscientia in confensione. Facilis est ex his Augustini verbis deductio, si ob confensum homini imputatur peccatum, ob dissensum non imputari id quidem, sed tamen inesse vel fuiffe, cupiditatem videlicet & lubidinem, id est, ipsum concupifcentiæ peccatum, à cuius motibus primò-primis & secundo-primis homo renatus premitur quidem, at Spiritus Sancti gratiose inhabitantis & fortiter operantis gratiâ non omninò & planè opprimitur, donec tandem ab omni, & sic etiam ab hoc malo liberatus verè liber erit, Deo soli absque omni labe peccati addictus.

Jam quæ ex secundo Epistolarum Tomo in rem suam laudat verba Bellarminus, iterum pro nobis sunt, non contra nos, ut sequens integer eorum textus ostendet, qui hic est: *Incipit homo secundum gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat, quod amat, nec consentiat carni, agenti quod odit, id est, non ut omninò non concupifcat, sed ut post concupifcentias suas non eat. Quod quidem tam magnum est, ut si omninò fieret, & quamvis insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, nulli tamen eorum adhiberemus ad sensum, non esset, undè diceremus Patri nostro, qui est in Cælis, dimitte nobis debita nostra. Nec tamen ideo tales jam essemus, quales erimus, cum mortale hoc induerit immortalitatem; tunc enim non solum nulli desiderio peccati obedimus, sed nulla erunt desideria, quibus non obedire jubeamur.* Verè & notanter iterum distinxit augustissimus Pater inter statum hujus vitæ & futuræ, docens, quod in illâ nulla sint futura peccati desideria, quibuscum in hac regenerari etiam quotidie pugnant, & ne ab eis vincantur, satis in semetipsis inveniunt, quod agant. Et si sensum hujus testimonii è parallelis Augustini locis attendamus, per desideria peccati nihil aliud intelligit, quam ipsam peccatorum concupifcentiam, quam expressè in antecedentibus dixit peccatum, ut ulteriori demonstratione non sit opus. Quamvis autem dicat, si hisce desiderijs non adhiberetur confensus, non opus fore regeneratis oratione Dominicâ, non tamen exinde sequitur, peccatorum concupifcentiam verè & propriè peccatum non esse, quia jam indicatum est discrimen inter concupifcentiæ peccatum originale five originatum, & inter peccata actualia inde provenientia, pro quorum remissione in oratione Dominicâ regeneratos quotidie DEUM invocare quidem testatur, non exclusis tamen primis Concupifcentiæ motibus peccaminosis, id quod alibi satis clarè expressit, notanter in hanc rem scribens: *Virtus est charitas, quâ id, quod diligendum est, diligitur. Hec in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ jam non possit augeri, quamdiu hic vivit homo, est in nemine; quamdiu autem potest augeri, profecto illud, quod minus est, quam debet, est ex vitio, ex quo vitio non est justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non justificabitur in conspectu DEI omnis vivens; propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosmet ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, dimitte nobis debita nostra, cum jam omnia dicta, facta, cogitata in Baptismo sint dimissa.* Alibi tractans Parabolam de homine à Latronibus vulnerato & per Samaritanum curato ita & similem ferè in modum de hoc negotio scribit: *Sunt homines ingrati gratiæ, multum tribuentes saucie in opique Naturæ. Verum est, magnas arbitrii liberi vires homo, cum conderetur, accepit, sed peccando amisit, in mortem lapsus est, factus est infirmus, à latronibus semivivus (de hac Augustini explicatione aliàs) in viâ relictus est, in jumentum suum levavit cum Samaritanus, quod interpretatur custos ad stabulum adhuc perducitur. Quod extollitur? adhuc curatur. Sed, sufficit mihi, inquit, quod in Baptismo accepi remissionem omnium peccatorum. Numquid quia delecta est iniquitas, finita est infirmitas. Accepi, inquit, remissionem omnium peccatorum. Prorsus verum est, deleta sunt cuncta peccata in Sacramento Baptismatis, cuncta prorsus dicta, facta, cogitata; cuncta sunt deleta. Sed hoc est, quod infusum est in viâ oleum & vinum. Et post pauca: *Stabulum si agnosceris, est Ecclesia. Stabulum modo, quia vivendo transimus; Domus erit, unde nunquam migrabimus, cum ad regnum Cælorum sani pervenerimus. Interim in stabulo libenter curemur, non adhuc languidi de sanitate gloriemur, ne nihil aliud superbiendo faciamus, nisi ut nunquam curiando sanemur. Adhuc es in hac vitâ, adhuc fragilem portas carnem, adhuc corpus, quod corrumpitur, adgravat animam; adhuc post integritatem remissionis accepisti remedium orationis; adhuc utique dicis, donec sanentur languores tui, dimitte nobis debita nostra.**

Epist. a d
Acell.Epist. 29.
ad Hier.Serm. II.
de Verb.
Apost.

Èd gratius autem esse debet hoc testimonium, quia egregiè illustrat ea, quæ Bellarminus è tertio & quarto Augustini Tomis pro suâ adduxit sententiâ. Quia enim utrobique sanctus Pater morbum distinguit à languore, quia post morbum in corpore hominis ad aliquod tempus permanet, additâ adplicatione ad peccata & eorum in renatis superstitem adhuc concupiscentiam; malè sequi exinde putat Bellarminus, Concupiscentiam ex Augustini sententiâ non ipsum esse peccatum, sed ex & à peccato languorem. Non planè nullus operè fecisset pretium Bellarminus, ut quia ex Medicorum Scholâ hanc tractare voluit Augustino præeunte quæstionem, à Medicis accuratius informari se passus fuisset, an non languor in corpore hominis, qui non solum morbos quosdam consequitur, sed aliquos etiam solet antecedere, signumque morbi subsequenti esse, sit etiam dici que possit verè & propriè morbus, ut potè qui non rarò tam est intentus, ut ipsam mortem post se trahat, nullo vel antecedente vel sequente morbo? Et certè, si juxta sententiam Augustini homo etiam regeneratus in stabulo adhuc, id est, hujus vitæ statu versans de sanitate, nimirum perfectâ, ob languorum residuum, eumque & morbi & mortiferum gloriari non potest, nihil omninò obstat, quò minus languor ille, à peccato Protoplastorum nobis omnibus inhærens, & qui tot morbos in nobis causatur, ipse morbus dici possit, omnes in universum æternæ morti subiecturus, nisi Christus, Archiater cælestis, omnes nostros languores in se ultrò suscepisset, eoque et ipso nos sanasset, cuius beneficii & gratiæ reddimur participes hic quidem inchoative, ibi autem post depositam carnis mortalitatem plenariè. Quod itidem aliud voluit Augustinus Doctor, dum per languores in nobis post Sacramentum Baptismi residuos intelligere si prava desideria expressè scripsit, verbis à Bellarmino è quarto operum ejus Tomo citatis, quam illicitos concupiscentiæ motus, etiam sine accedente consensu, dicere peccata, quod alibi tam expressè vidimus? Charitas nempe, quamdiu potest augeri, profectò illud, quod minus est, quam debet, est ex vitio, propter quod necessarium est nobis dicere ad DEUM in Cælis Patrem, dimitte nobis debita nostra, quod paulò ante Augustinus adposuit scripsit ad institutum.

Prætermisissimè igitur his duobus Tomis & testimoniis exinde adductis, ut potè quibus ex antecedentibus jam satis est factum, ad quintum progredimur, opus de Civitate DEI exhibentem, unde Bellarminus duo laudavit loca, opinioni suæ, ut opinatus est, sed falso, lib. I. c. 25. faventia. Prior pleniorè textu ita legitur: *Quod si illa concupiscentialis inobedientia, qua adhuc in membris habitat moribundis, præter nostræ voluntatis legem suâ quasi lege movetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* De ratione consequentiæ non dicam, per quam Bellarminus suum obtinere scopum contendit, cum solus gratiæ respectus, qui hic unice locum habet, omnem tollat, si quæ est, difficultatem; illud tantum notari meretur, quod Bellarminus præ mentis cœcitate inobservatum prætermisit, Augustinum ipsa mentione *Concupiscentialis inobedientie*, quid de eâ sit habendum, sufficienter indicasse. In glossâ posteriori, quam Bellarminus præter, imò contra mentem sancti Doctoris adposuit, ut aliquid inde pro se extorqueat, insigniter est falsus. Locus ita habet: *Ex quo primi homines commissæ pravariationis causa Paradiso sunt dimissi, atque humana in eis Natura est damnata, excepto uno Mediatore, & post regenerationis lavacrum quibusque adhuc parvulis, necno mundus à sordibus, sicut scriptum est, nec infans, cuius est vita unius dici super terram.* Bellarminus, nescio, quo doctus genio, existimat, Augustinum his verbis Christum cum infantibus recens baptizatis comparasse, quod sicut ille fuerit absque omni peccato, ita hic etiam post impetratam regenerationis spiritualis gratiam & plenariam remissionem peccatorum fuit absque omni sordibus peccati, concupiscentiâ in eis residuâ, si ei non consentiatur, nullam omninò peccati propriè dicti rationem habente. At qui multum fallitur fallitque Bellarminus, si comparisonem Christi cum infantibus baptizatis in hoc Augustini testimonio invenisse sibi persuasit, nixus sine dubio particulâ conjunctivâ *Et*, quâ hic Augustinus pro *Etiam*, conjunctione sensum intendente, est usus, non quasi infantes baptizatos compararet Christo, quoad videlicet omnimodam à peccatis puritatem, quod mirum videri non immeritò debet, quomodo in mentem venire potuerit Bellarmino, talia non sine injuriâ Christi, solius verò sancti, scribere auso, id quod ad antecedentem quoque Controversiam de peccati originali subiecto fuit observatum: sed quia Augustinus solum excipiens Christum à sordibus peccati, etiam infantes baptizatos numero peccatorum includit, e quibus nemo fit immundus à sordibus peccati. Idne gratis Augustino videar adinxisse, ipse verborum suorum optimus interpres porrò sententiâ dicat, qui *Oraculum Malachie*

chia de sacrificiis Judæ & Hierusalem prolixissime tractans, inter alia huc pertinenter ita ibidem scripsit: *Hostie veteris legis, quæ de pecoribus immaculatis ac sine ullo prorsus vitio jubebantur offerri, significabant homines sanctos, qualis solus inventus est Christus, sine ullo omnino peccato. Proinde quia post judicium, cum fuerint igne etiam mundati, quia ejusmodi mundatione sunt digni, in omnibus sanctis nullum omnino invenietur peccatum; atque ita seipso obferent in justitia, ut tales totie omni modo immaculati ac sine ullo vitio sint futuri &c.*

Nam plus ultra progredientes ad sextum nos conferimus Tomum, è quo tale profert testimonium Bellarminus, quo quidem conatur Augustinum ostendere à sententiâ Lutheri alienum, sed in vanum, & irritum. Lutheri sententia, quam Bellarminus mutilam adducit, hæc est. *Baptismus omnia remittit peccata, sed nullum penitus tollit, veterum incipit tollere; id quod illos sefellit, qui remissionem intellexerunt omnimodam expurgationem, atque sic defectum pro peccato accipere seipso coegerunt, ex malo intellectu in prioribus lapsi. Nam hæc eorum sententiâ homines in securitatem & superbiam presumptionem ducuntur, dum peccatis ablati puri sibi visi omittunt studia expurgandi peccati, ut cujus confesii jam non sunt, quâ opinione impiâ plurimi peccant necessum est. Sed & eo pervenerunt in sanie, ut libidinem etiam inevitabilem sanctorum Parentum, dum generant, quantumvis indomitam, & summo invictoque furore contra legem DEI concupiscentiam, defectum vocare sint coacti. Hoc est verè nimis extenuare peccatum, dicere, tam atrocem libidinis impetum esse defectum.* Conferantur hæc cum verbis, quæ Bellarminus tanquam Lutheri verba citavit, & adparebit non exiguum discrimen nec pauca mutilatio. Ita si etiam conferamus Augustini super hæc re sententiam cum verbis, quæ Bellarminus itidem ex eo laudavit, manifestum erit, non ita sincerè Bellarminum se hic gessisse, nec aliam Augustini, quam Lutheri mentem fuisse. Postquam igitur Augustinus Pauli sententiam de nuptiarum honestate commendavit, sequentibus verbis eam explicavit: *Hinc certè fas non est dubitare, nuptias non esse peccatum; non itaque eas secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat, absurdissime dici, eos non peccasse, quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui sit per incontinentiam, non solâ procreandi causa, sed aliquando etiam nulla procreandi causa, quem nuptiæ fieri non cogunt, sed ignosci impetrant, si modo non ita sit nimis, ut impediatur quæ seposita esse debent, orandi tempora, nec in eum immutetur usus, qui contra naturam est, de quo Apostolus tacere non potuit, cum de nimis immundorum & impiorum hominum corruptelis loqueretur. Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ipse nuptialis est; ille autem, qui ultra istam progreditur necessitatem, jam non rationi obsequitur, sed libidini. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando peccet damnabiliter, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subigantur, rem faciunt, non planè nuptiarum.* Hæc ad explicandam Pauli sententiam Augustinus, quæ nihil planè ad confirmandam Bellarmini sententiam ullâ ratione possunt conferre.

Sequitur ergò nunc septimus ordine & numero Tomus, è quo diversa quatuor testimonia profert Bellarminus, quæ tamen itidem id non conficiunt, cujus gratia laudantur. Et primum quidem illius oraculi Apostolici exhibet sensum, ex quo Bellarminus supra tertium pro sua, quam defendit, sententiâ formavit argumentum, quo nulla condemnatio dicitur esse his, qui sunt in Christo IESU; Augustino addente non damnari, nisi qui Concupiscentiæ carnis consentiat ad malum. At ostensum est in hujus oraculi ex Augustino vindiciis, minimè sequi aut legitimam deduci posse consequentiam, ergò etiam nihil omnino & per se damnabile, nullum amplius peccatum propriè dictum esse in regneratis, qui in Sacramento Baptismi omnium peccatorum remissionem à DEI gratiâ impetrarunt, utpotè quod alibi & aliàs non semel Augustinus docuit expressè satis. Secundum, quod prolixius aliquantò exhibet Bellarminus, præcipuum est & ferè primum, quod Evangelicorum sententiæ videtur opponi posse. Sed & illud, si Augustini mens ritè attendatur, non cogit ad adfensum. Videtur quidem Augustinus expressè & quo ad litteram negare, Concupiscentiam esse peccatum. Sed dum antea vidimus, eum alibi itidem expressè & ad litteram id adfirmare, concupiscentiam esse peccatum, idque in retractationibus explicare ulterius & confirmare, omnino videri debet, quo sensu negavit, concupiscentiam esse peccatum, ne & hic sanctus Doctor sibi metipso contrarius videatur, & contradictoriè opposita scripsisse. Videamus verba huc in primis pertinentia: *Concupiscentia, etiamsi vocatur, non utique, quia peccatum est, sed quia peccata facta est, sic vocatur, sicut scriptura manus cujusque dicitur, quod manus eam fecerit.*

Tom. II.
Jen. Lat. p.
298. b.

de Bonò
Conjug.
cap. 10.

Rom. 8.

lib. I. con-
tra duas
Epist. Pe-
Satis lag. cap. 13.

Satis apertè videntur hæc evincere, per locutionem Metonymicam dici, concupiscentiam esse peccatum, juxta mentem Augustini. Verùm si proximè sequentia subjungamus, intelligere dabitur, quo sensu Augustinus hic negarit, concupiscentiam esse peccatum. Ita autem explicat suam mentem: *Peccata sunt, quæ secundum carnis concupiscentiam vel ignorantiam illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur; quæ transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Et ista ipsa carnis concupiscentia sic in Baptismo dimittitur, & quanquam tracta sit à nascentibus nihil noceat renascentibus.* Manifestum est ex his discrimen, quod Augustinus iteratò hic inculcat, inter concupiscentiam, quod alibi expressè dixit esse peccatum, & concupiscentiæ fructus, peccata nimirum actualia, quorum mater & genitrix est concupiscentia, si ei consensus adhibeatur. Et tale peccatum actuale negat esse concupiscentiam Augustinus, de quâ tamen, dum expressè hic iterùm docet, eam in Baptismo sic dimitti, ut non noceat, simul indicat, habere eam peccati rationem, quamvis ob acceptam regenerationis gratiam non amplius noceat, nisi per fructus actualium peccatorum se exerat, arbor mala non nisi poma ferens pestifera. Tertium nunc succedit testimonium, quod tamen & ipsum ex mente scriptoris intellectum sententiæ Evangelicorum non obest. Patebit hoc, ubi pauca, quæ Bellarminus excerpserit verba, è textu pleniore interpretabimur:

lib. I. de
Nupt. &
Concup.
cap. 23,

Concupiscentia, inquit sanctus Doctor, quæ solo regenerationis Sacramento expiatur, profecto vinculum peccati generatione trajicit in posteros nisi ab illo & ipsi solvantur regeneratione. Nam ipsa quidem Concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis, quando illi ad opera illicita non consentitur, atque ut ea perpetrent, a reginâ mente membra non dantur, ut si non sit, quod scriptum est, Non concupiscas, fiat saltem, quod alibi legitur, Post concupiscentias tuas non eas. Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod peccato facta est, & peccatum, si vicerit, fiat reum, reatus ejus valet in generato, quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad opera mala ei quodammodo jubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus; itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum facit, si vincit, sicut frigus vocatur pigrum, non quod fiat à pigris, sed quod facit pigris. Habent hæc verba quædam priori testimonio similia, & quæ Bellarmini sententiam firmare videntur; sed habent etiam aliqua, quæ ad nostram pertinent, quibus adjungi debent sequentia: Hoc generi humano inflictum vulnus à Diabolo, quidquid per illud nascitur, cogit esse sub Diabolo, tanquam à suo frutice fructum decerpit jure, non quod ab illo natura sit humana, quæ non est nisi ex DEO, sed vitium, quod non est ex DEO. Non enim propter seipsam, quæ laudabilis est, quia opus DEI est, sed propter vitium damnabile, quo vitiosa est, natura damnatur humana. Capite sequenti hæc habet: Ex hac concupiscentiâ carnis, quæ licet in regeneratis jam non deputeretur

cap. 24.

in peccatum, tamen natura non accidit, nisi de peccato; ex hac, inquam, concupiscentiâ carnis tanquam peccati filia, & quando illi ad turpia consentitur multorum etiam peccatorum matre; quæcumque nascitur proles, originali peccato est obligata, nisi in illo renascatur, quem sine ipsâ concupiscentiâ virgo concepit. Iterùm capite sequenti: Si quaeritur, quomodo ista carnis concupiscentia maneat in regenerato, in quo universorum fa-

cap. 25.

cta est remissio peccatorum, quandoquidem per ipsam feminatur, & cum ipsa carnalis gignitur proles Parentis etiam baptizati; aut certe si in Parente baptizato potest & esse, & peccatum non esse, cur eadem ipsa in prole sit peccatum? Ad hæc respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur infirmitas nostra, proficiente renovatione hominis interioris de die in diem, cum exterior materii incorruptionem. Non enim substantialiter manet, sicut corpus aliquod aut spiritus; sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor. Quamvis igitur Augustinus in hoc, si-

NB.

cut etiam antecedente testimonio concupiscentiam in renatis dicat non esse peccatum, fatetur tamen, modo quodam loquendi peccatum vocari; id quod esse potest & debet argumento, sanctum Doctorem concupiscentiæ in renatis non omnem respectum & peccati rationem denegasse. Confirmatur id eo, dum distinguit inter generatum & regeneratum, statuens, in illo valere reatum concupiscentiæ, non item in hoc, de quo iterùm monet, quod concupiscentia ei non deputeretur in peccatum, sed dimittatur, verùm non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur, quod porro ad innocentiam Lutheri à Bellarmino inique tractati pertinet. Accedit, quod non potuit non

non agnoscere, quod aliàs etiam observavit, etfi forte fiat, quod scriptum est, *Post Concupiscentias tuas non eas*, non tamen fieri semper, nimirum à renatis, quod in lege Syr. 18. Decalogicà extat, *Non concupisces*; quo autem præcepto non nisi peccatum verè & propriè dictum esse prohibuit, utrobique, ut spero, est & esse debet omni ex parte indubium. Neque hoc solum, sed illud etiam debet notari, Augustinum vocare concupiscentiam his verbis expressè *vulnus à Diabolo inflictum*, per quod omne, quod nascitur, sub Diabolo esse cogatur; *vitium quoque*, quod ab eodem sit malo spiritu, & quidem damnabile; ut & *adfectionem malæ qualitatis*, sicut languor est, ipse etiam morbus, ut in antecedentibus ostensum, quæ omnia ad peccatum verè & propriè dictum pertinere, quis ita cæcus est, qui non videat? Aliam jam prætermitte, quæ in cæteris etiam non semel occurrunt testimoniis, ne crambe sæpius adposita lectori sit fastidio. *Quartum* ex septimo hoc Tomo super adhuc est Testimonium, quo Augustinus scripsit juxta Bellarminum de justificatis, *omni peccato eos carere, non omnimalo*; unde sequi putat, concupiscentiam eis adhuc in hærentem non esse peccatum propriè dictum. Sed addere debuisset sequentia Bellarminus, & responsum ab Evangelicis expectare opus non habuisset. Ubi enim scripsit de homine baptizato & per Baptismum justificato Augustinus, *omni peccato caret, non omni malo*; statim subjungit, *quod plantus ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis*. Et distinguere videtur peccatum à malo, & pro uno eodemque simul habere distinguere quoad culpam & penam, illam vocabulo peccati, hanc vocabulo mali in sinuare; pro uno autem eodemque simul habere, dum omnium malorum & culpæ & pænæ reatu hominem baptizatum carere scripsit. Hæc autem ne videantur contraria videndum est, quomodo seipsum explicaverit Augustinus, qui in proximè sequentibus ita pergit: *Numquid caret corruptione corporis? Annon est malum, quod ad gravat animam? & numeravit, qui dixit; (Author libri sapientia) Corpus corruptibile ad gravat animam? Numquid caret* lib. 6. contra Jul. cap. 5. *ignoratia malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parvum est malum, per quod homo non percipit, quæ sunt spiritus DEI?* Et in paulò antecedentibus: *Quis ita sit imprudens atque impudens, ita procax, pervicax, ita postremo insanus & demens, qui cum peccata fateatur esse mala, neget esse malam peccatorum concupiscentiam, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu peccata concipere ac parere non sinatur?* At, qui negat eam esse peccatum propriè dictum, negat eam esse malam, dum id ei denegat, cujus solius respectu dici potest, imò debet mala; quasi arbor non sit mala in se & verò, si fructus malos ferre non patiatur. Perpendant hæc, qui Augustinum vi ad aliam trahere nituntur sententiam, quam non uno in loco perspicuè satis docuit & explicavit, ne contra expressam ei aliquid adscribatur literam.

Sed pergamus in examine testimoniòrum Augustini, quæ Bellarminus pro se ex singulis operum Tomis depromsit, quod nunc *octavum* exhibet Tomum, enarrationes in Psalmos continentem, unde duo commendavit Bellarminus, quorum prius simile est ei, quod antè è sexto habuimus Tomo, adeoque nullum amplius responsum desiderat; posterius autem ei, quod è secundo fuit adductum, cui quamvis itidem, & quidem è locis duobus parallelis fuit satis ex assè factum, ut nihil ad verum ejus sensum ulterius requiratur, quia tamen hoc posterius testimonium egregiè rem totam explicat, juxta illud in gratiam veritatis Augustinianæ integro contextu huc adponere, quod ita habet: *Quærendum est, quæ per amur dimitti nobis, quando dicimus Deo, dimitte nobis debita nostra; utrum* In Psal. 118. Con. III. *quæ nos operamur, quando peccati desiderii obedimus, an ipsa nobis dimitti volumus desideria, quæ nos non operamur, sed, quod habitat in nobis, Peccatum? Quantum ego quidem, inquit Augustinus, sapere possum, languoris illius & infirmitatis, unde illicita commoventur desideria, quod Apostolus Peccatum adpellat, universus reatus, Sacramento Baptismatis est solutus, cum omnibus, quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitavimus. Nec deinceps nobis iste languor obesset, quamvis inesset, si nullis ejus desiderii illicitis nunquàm præberemus obedientiam, sive operatione sive locutione, sive tacitè adfensione, donec ipse etiam sanaretur, cum id, quod poscimus, esset impletum, sive dicentes, Veniat regnum tuum, sive dicentes, libera nos à malo. Sed quoniam tentatio est vita humana super terram, etiamsi à criminibus longè* Job. 7. *simus, non tamen deest, ubi desiderii Peccati vel facti, vel dicti, vel cogitati obediamus, quando adversus majora vigilantibus quedam incautis minuta surrepunt, quæ si adversus nos colligantur, etsi non singula suis motibus conterunt, omnia tamen acervo nos obruunt, Et propter hoc etiam mihi videtur, quod hi, qui ambulat in viis Domini, dicunt, Di-*

mitte nobis debita nostra: quoniam ad vias Domini & ipsa pertinet oratio, & ipsa confessio, quamvis non ad eas pertineant peccata. Itaque in viis Domini, quas omnes complectitur una fides, quâ in eum creditur, qui justificat impium, qui etiam dixit, ego sum via &c. nemo peccatum operatur, sed confitetur. Deviat ergo, cum peccat, & id id peccatum vie non tribuitur, quod a deviante committitur. Sed in via fidei pro non peccantibus habentur, quibus peccata non imputantur; de quibus Apostolus Paulus fidei iustitiam commendans, in Psalmo scriptum esse monstravit, Beati, quorum remissa sunt iniquitates &c. Hoc præstant viæ Domini, ac per hoc, quoniam iustus ex fide vivit, ab istâ viâ Domini illa alienat iniquitas, que est infidelitas. In hac autem viâ Domini, id est, in fide piâ, quisquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut si quid a deviante committitur, propter viam non imputatur, & tanquam non fuerit operatus, accipitur. Hæc omnia ibi Doctor Augustinus, è quibus ritè intellectis lectori verum à falso discernere perito potest constare, quo sensu scripserit, fidelibus in oratione Dominicâ necessum esse, ut DEO supplices & humiliter dicant, *Dimitte nobis debita nostra*; & an verè scripserit Bellarminus, Augustinum docere, *Petitionem illam non pertinere ad motus concupiscentiæ involuntarios*; nùm quoque sequatur, si ita docuerit, quod tamen non absolute, sed certâ quâdam restrictione docuit concupiscentiam renatis adhuc inhærentem non esse peccatum verè & propriè sic dictum?

Rom. 4.

vid. D.

Hoepfn.

de Justific.

Disput. III.

pag. 197.

seqq.

lib. I. con-

tra duas E.

pist. Pelag.

cap. 13.

cap. 14.

in Pf. 143.

NB.

Alibi quidem & loco supra etiam citato dicit ac scribit Augustinus: *Propter concupiscentiam, cuius jam reatus lavacro regenerationis est absumptus, non dicunt in oratione Dominicâ baptizati, Dimitte nobis debita &c. sed propter peccata, que fiunt sive in eius confessionibus, cum ab eo quodlibet vincitur, quod placet, sive cum per ignorantiam malum placet, quasi bonum. Sed noluisse hæc ita undè intellecta & intelligenda Augustinum, omninò que concupiscentiam hæc Petitione exclusam, præter loca duo parallela superius adducta, ibidem in capite statim sequenti docuit, scribens porò: Omnes concupiscentia partus, & ipsius concupiscentiæ reatus antiquus, qui Baptismatis ablutione sunt dimissi, & quidquid ista nunc parit concupiscentia, si (fortè eth) non sint illi partus, qui non solum peccata, verum etiam crimina nuncupantur, pacto illo quotidiana orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra &c. Et Eleemosynarum sinceritate mundantur. Et post aliqua: Multi fideles baptizati sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani quia hæc dicimus, adversus nos insentur & dirumpantur in Janiâ, non quia peccati aliquid remanet, quod in Baptismate non remittatur, sed quia in nobis in huius vita infirmitate manentibus quotidie fieri non quiescunt, que fideliter orantibus & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Addit, Hæc est fidei Catholica saxitas, quam sanctus ubique seminat spiritus; non pravitatis heretica vanitas, & præsumptio spiritus. Omnium optimè autem & quam fieri potuit clarissimè mentem de vero huius Petitionis sensu explicavit Pater Augustus, illustrans verba regii psaltis, quibus pœnitens DEUM ira legitur adlocutus: *Ne intres in Iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Augustini paraphrasis hæc est, omninò omnis homo vivens. Quid ipsi Arietes, quid ipsi Apostoli, de quorum prole dicitur, Adferre Domino filios arietum? Ex his Paulus est, qui dicit, se non esse perfectum. Non quia jam acceperim, inquit, aut jam perfectus sum. Denique, fratres, ut citò agnoscatis, ipsi didicerunt orare, quod oramus, ipsi data est regula postulandi à Iurisperito cœlesti. Sic orate, inquit. Et cum præmississet quâdam, posuit & hoc, ut dicerent Arietes nostri, duces ovium, & præcipua membra Pastoris, & Congregatores unius gregis; ipsi didicerunt dicere, *Dimitte nobis debita &c. Non dixerunt, gratias tibi, qui dimisisti nobis debita &c. Sed, dimitte, sicut & nos dimittimus, orabant autem utique jam fideles, jam Apostoli; nam ista oratio Dominica magis datur fidelibus. Si debita illa tantummodo dicerentur, que per Baptismum dimittuntur, Catechumenis congrueret magis orare, Dimitte nobis &c. Dicant ergo Apostoli, dicant, Dimitte nobis &c. Et cum eis dictum fuerit, quare hoc dicitis, que vestra sunt debita? respondeant, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Restant ultimi duo Tomi ac testimonia ex illis defumta, que tamen dum similia sunt iis, quæ ex tertio & quarto fuerunt adducta, non aliud desiderant resolutionem, ne eadem sæpius cum tædio lectoris iterentur.****

Sequitur ergo jam examen, quod Bellarminus instituit adversus quatuor illas solutiones, quas è Chemnitio & aliis ad laudata Augustini testimonia proposuit, examini re-

ni reciproco subjiciendum, ut nullitas illius & vanitas in gratiam veritatis fiat manifesta. Ad primam quidem non debuit Bellarminus ferre tam iniquè, quod *Chemnitius* de Augustino observavit, eum negando, concupiscentiam in renatis, si non accedat consensus, sed potius per Spiritus Sancti inhabitantis gratiam resistatur, esse peccatum, vocabulo peccati *more vulgi & politicè* usum, non secundum morem scripturarum & ad sensum Pauli, non debuit, inquam Bellarminus illud ferre tam iniquè, cum ipse postmodum in examine tertii generis testimoniorum ex Augustino, quibus concupiscentiam expressè vocavit peccatum, loco responsi scripsit, *Augustinum in iis vocabulo peccati largo usum esse modo.* Si enim hoc uti responso liberum fuit Bellarmino, ubi expressè Augustinus concupiscentiam vocavit peccatum; cur id non concessum quoque fuerit *Chemnitio*, ubi Augustinus negavit concupiscentiam esse peccatum, disputans contra eos, qui sicut omnino negarunt, concupiscentiam ad malum esse rem malam, ita nihil pro peccato propriè dicto agnoverunt, nisi quod à plenario voluntatis consensu veniret? Et hoc sensu concessit adversariis Augustinus, quasi ad hominem disputans, & aliquid eis, absque tamen veritatis præjudicio, indulgens, ut eò feliciter & facilius in primario Controversiæ statu eos impugnaret, concupiscentiam in renatis, si non accedat consensus voluntatis, non esse peccatum; etsi alias quævis peccata, etiam quæ dicuntur ignorantia, certo quodam modo dixerit esse voluntaria, ut jam vidimus, & ipsam absque consensu accedente concupiscentiam juxta phrasin Paulinam vocaverit peccatum, certè non impropiè, nisi ea concedantur exinde sequi absurda, quæ Bellarminus ex interpretatione Chemnitiana sequi existimavit. Jam ad solutionem secundam malè vocavit Bellarminus distinctionem inter peccatum sine & cum reatu *communitiam*, quia ex ipso met Augustino fuit ostensum, alium esse reatum concupiscentiæ vel peccati, alium ipsius personæ, reatus vocabulo hic non in priori, sed posteriori significato per Augustini sententiam intelligendo. Et hoc discrimen si attendatur, sicut omnino debet attendi, nisi Augustinus absolute iterum contra adversarios disputasse videri possit, quod tanto Doctore est indignum, res erit in vado. Ita etiam intelligi debet dictum Augustini, ad quod toties provocat Bellarminus: *Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* De cætero adfixit peregrinam mentem, Augustino Bellarminus, quasi peccatum sublato reatu dixerit esse peccatum non nisi tropicè, quod tamen loco per eum citato sanctus Pater non dixit; sicut neque illud alio in loco, ad quem Bellarminus itidem provocat, *quod in Baptismo non solum reatus, sed ipsa etiam iniquitas tollatur*, expressè contra sententiam Doctoris augustissimi, ita de Baptismi virtute ibidem scribens: *Quidquid peccatum est à nobis antea, deletum est in Baptismo.* Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis verò audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi liberatoris misericordia indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Et post aliqua: *Fac, quod ait ipse Apostolus, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore &c. Non ait, non sit; sed, non regnet. Quamdiu vivis, Peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.* Plura ibi his similia leguntur, in quibus non semel concupiscentia originalis post Baptismum adhuc inhærens expressissimè dicitur peccatum, nullà ne minimà quidem mentione facta debere id intelligi tropicè & improprie, quod sine ullo planè indicio per insignem temeritatem Augustini sententiæ adfixit Bellarminus. Quod tertiam attinet solutionem, quam Calvino in specie adscripsit Bellarminus, ad ejus vindicias ego quidem ex institui ratione non teneor; addo tamen, Bellarminum in ejus examine iterum in signe falsi crimen committere, idque duplex, dum non solum in loco proximè citato Augustinum verbis apertis dixisse scribit, concupiscentiam non esse peccatum, nisi improprie, cujus contrarium modo est ostensum; sed etiam ausus est lectori persuadere, sanctum Doctorem scripsisse in libris Retractationum apertissime, concupiscentiam esse infirmitatem, non verò peccatum, nisi per Metonymiam, quod esse apertissimum Bellarmini figmentum, verba exinde superius prolixissimè adducta satis possunt docere. Neque etiam verum est, quod tam impudenter scribit, Augustinum in extremo libri de Perfectione Justitiæ docuisse *motus Concupiscentiæ involuntarios adeo non esse peccata, ut pro eorum remissione non sit opus dicere, Dimitte*

conf. D.
Hæc. Anti
Hæg. Disp.
II. 5. 38.
p. m. 69.

Tract. 41.
in Joh.

re nobis debita &c. quæ Bellarmini, non verò Augustini verba esse, præter testimonia superius per non unam occasionem adducta, hic ipse locus à Bellarmino indicatus convincit, ubi sequentia leguntur, *Quisquis dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quæquam hominem justè vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Iohanni, qui ait, si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Non enim ait, habuimus, sed, habemus. Quod si quis adserit, de illo est*

NB.

*se dictum peccato, quod habitat in carne mortali nostra secundum vitium, quod peccatis primi hominis voluntate contractum est, cuius peccati desideris ne obediamus, Paulus Apostolus præcepit, non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitans, ad nullum opus malum omnino consentit vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa moveatur concupiscentia, que alio (quodam) modo peccati nomen accepit, quod ei consentire sit peccare, nobisque moveatur invitis, subtiliter quidem ista disceruit, sed videat, quid agatur de oratione Dominicâ, ubi dicimus, Dimitte nobis debita nostra &c. quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam vel in lapsu lingue, vel in oblectanda cogitatione ejusdem peccati desideris aliquantulum consentiremus, sed tantummodo dicendum esset, Ne nos inferas in Tentationem, sed libera nos à malo. Nec Apostolus Iacobus diceret, in multis offendimus omnes; non enim offendit, nisi cui concupiscentia mala contra iustitiam rationem adpetendo seu vitando faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet. Conferantur hæc cum locis, quos dixi, parallelis supra citatis, & injuriam Augustino fecisse Bellarminum, pervertendo mentem ejus constabit. Quæ ad quartam solutionem habet Bellarminus, quæ Chemnitius Augustinum retractasse ea scripsit, quæ aliquantò incommodius dixerat, concupiscentiam non esse peccatum, sed pœnam & causam peccati; id quod Bellarmino per testimonia proximè citata refelli posse videtur, revocant in memoriam, quæ antehac apud Pagantium Gaudentium, scriptorem hujus seculi non incelebrem, suo etiam loco inferius citandum, de hac voce & instituto Retractionum Augustini antehac observavi, qui in opere, quod sub *obstetricis literaria* titulo publicavit, inque eo de componendis & evulgandis libris egit, inter alia hunc in modum scripsit: *Quid celebrius Retractionibus sancti Augustini, Antistitis Hipponensis? Non puduit gravissimum hominem fateri, deesse non-nulla suis scriptis. Non erubuit singillatim referre, quid desideraret. At vulgo non rectè percipitur sanctissimi Vni in eo libro institutum. Non enim retractare apud latine loquentes est palinodiam canere, discedere à priori sententia, & à se erratum in prima adfirmare; sed idem est, quod recensere, recognoscere & relegere, ut significes, si quid lectorem ignorare nobis, aut etiam aliquid demas addidisse. Quis autem non videt, hæc omnia fieri posse absque eo, quod priores opiniones immutes, in-vertas, oppugnes? Audiamus Festum: Retractare, est rursus tractare. Quintilianus dixit, materiam retractare. Virgilius vulnera, Ovidius desueta verba. Sed præsertim ipsius Ciceronis ex secundo de Natura Deorum libro verba, quæ nostra robur addunt sententia: Qui omnia, inquit, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent & tanquam relegerent, sunt dicti à relegendo Religiosi. Sed obijciunt illud, quod est in Epistola Trojani apud Plinium, ubi largitiones retractantur, quod perinde est, ac si dixisset, revocantur improbanturque. Quid, quod ipse Augustinus satis superque seipsum interpretatur, dum in Prologo Retractionum inquit: Neque enim quisquam nisi imprudens, ideo, quia mea reprehendo errata, me audebit reprehendere. Sed si dicit, non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent, verum dicit & mecum facit; eorum quippe reprehensor est, quorum & ego. Quibus sic existimo occurrendum, ut non distent, Antistitem Hipponensem in non-nullis se minus rectè locutum fateri. At tantum contendo, in scriptum propriè librum, ut indicaretur, quid expectandum foret. Nec obstrepro, si quis adfirmet, retractare aliquando idem esse, quod revocare. Sanè in toto illo opusculo Augustiniano pauca emendantur, sed totum penè consumitur in enarrandis libris, quos in illam diem Vir præstantissimus ediderat atque vulgaverat, ut deinceps nosset omnes, quinam pro germanis forent habendi, ne impostores sub tanto Nomine nugas suæque inveniæ lectoribus incantatis possent obtrudere. Ferendi verò non sunt homines audaces, qui ut auctoritatem sanctorum Patrum elevent atque evertant, ingeminant frequenter Augustini retractationes, quasi in eis, quæ religionis arcem attingunt, non stabilem foverit sententiam, sed subinde vertuntur instar huc illuc à veritatis vento passus esset se agitari. Certè postquam ipse à Mani-**

Differt. X.
p. 72. f.

lib. 10.

NB.

thæis

cheis transmigravit ad castra Catholicorum, in dogmatibus Fidei, quae nempe semel hausit ab Ecclesia, nunquam vacillavit, aut incerta tractus est sententia. Nam quae ab ipso corriguntur in illo libello, sunt res extra Fidei regulam posita, ut quod saepe usus est vocabulo Fortune, &c. Hac ille, quae oblata hac occasione ideo adpositi, quia hujus viri scripta in paucorum versari manibus certum est, & non indigna sunt visa, quibus hic aliquis daretur locus, praesertim cum *Chemnitii* causam in data solutione, quam Bellarminus impugnat, non parum juvare possint. Si enim ipse Augustinus singulari studio dici potest retractasse sine nota inconstantiae aut levitatis, quae forte hic & ibi in cursu disputationis non ita commodè vel minus rectè posuerat, vel à calore adversarium impugnandi abreptus, vel in gratiam ejus ad hominem disputando aliquid concedens, quod alibi seposito hoc respectu accuratius observaverat; non video, quam malè hic *Chemnitius* scripserit, Augustinum, quod uno in loco dixit aliquanto *incommodius*, in altero retractasse, id est, enucleatè magis tradidisse, quod in hac praeripis controversia de renatorum post Baptismum Concupiscentia factum, plura jam ex eo testimonia non parèe producta testantur, quod porro etiam sequentia confirmabunt.

Et haec tenus testimonia scripturae & Augustini, quibus evincere voluit Bellarminus, concupiscentiam in renatis non esse peccatum propriè dictum. Sequuntur jam rationes, quas itidem Augustini firmat autoritate. *Primam* deducit à negato Baptismi effectu in liberando à concupiscentia, unde sequi putat, concupiscentiam non esse peccatum, quia secundum Augustini sententiam Baptismus liberat ab omni peccato. Addit, si concupiscentia esset peccatum originis, non esset propter dominium, sed *propter repugnantiam ad rationem vel pronitatem ad repugnandum*, id quod duobus ex opere contra Julianum locis Augustini satagit demonstrare. Verum si uterque inspicatur accuratius, non id volunt, quod Bellarminus exindè laboravit exprimere, sed longè aliud & diversum. Scilicet, quod effectum Baptismi circa liberationem à concupiscentia attinet, dum Evangelici docent, liberatos esse ab ea regeneratos ratione dominii, & qui hinc sequitur reatus & imputationis, debuit è contrario Bellarminus demonstrare omnimodam concupiscentiae liberationem, non solum quoad dominium, sed etiam quoad repugnantiam ad rationem & pronitatem ad repugnandum; quae dum ex autoritate Augustini etiam post Baptismum in renatis superest, id quod adducta ex eo testimonia confirmant, ipse Bellarminus vi adactus debuit agnoscere, concupiscentiam hoc respectu esse peccatum originis, id est, ut Evangelici explicant, illud, in quo & per quod peccatum originis se quam maxime exerit, & fructus profert in se non nisi mortiferos. Quod porro hujus rationis defensionem de infantibus inferit Bellarminus, arguens, dominium concupiscentiae in iis non inveniri, sed accedere postmodum *ex consensu voluntatis*, & ideo non originale, sed actuale peccatum esse; praeter id, quod supra de actualibus infantum peccatis est dictum, notari debet, confundere Bellarminum cum effectu causam, id est, peccatum originale cum actuali, concupiscentiam hic causae locum occupante, iis autem peccatis, quae per consensum voluntatis fiunt, loco effectuum considerandis, quae omnino causam, id est, ipsam inhaerentem concupiscentiam praesupponunt, & tanquam mali fructus de arbore mala praesens exhibent testimonium. *Secunda Bellarmini ratio*, ob quam putat, concupiscentiam non esse vel posse dici peccatum verè & propriè dictum, in eo consistit, quod cum concupiscentia sit effectus & poena peccati originalis, non possit esse simul ipsum originale peccatum. Atqui, ut non reperam, quo sensu concupiscentia dicitur Evangelicis originale peccatum, de quo ex occasione in sequentibus etiam agetur; illud hic venit notandum quod & vocabulo peccati originalis, & vocabulo concupiscentiae non uno utatur modo Bellarminus, adeoque ludat & fallat incautum lectorem. Quando enim concupiscentia dicitur originale peccatum, habitualiter intelligi debet, quatenus indicatur post lapsum inhaerens vitiosus concupiscentiae habitus, non demum contractus per crebras actiones vitiosas, sed connatus; quando autem motus concupiscentiae attenduntur, sunt hi & dicuntur effectus concupiscentiae, & quidem peccaminosi, quin & peccata propriè dicta. At altera parte quando peccatum originale dicitur poena peccati, non dicitur res una peccatum simul & poena ejusdem peccati, sed distinguitur illud peccatum originale, quod nobis jam post lapsum est commune, & omnibus Adami & Evi-genis à primo Conceptionis momento inhaeret, à primo Protoplastorum peccato, quod in se fuit quidem

quidem actuale, dicitur autem originale, vel potius originans, quia ab hoc ceu primo fonte cætera derivantur & ortum trahunt; sicut hoc quod in nobis est, dicitur originatum, etsi & illud causa sit multorum actualium peccatorum, quæ tanquam effectus mali de causa inhærente restantur, id est, ut dixi, tanquam fructus de Arbore malâ. Et ita intelligi debet locus Augustini, ad quem ex opere contra Julianum provocat Bellarminus, brevi post vindicandus; nam quod ex retractionibus etiam adducit, suprâ jam est ostensum, nihil Bellarmini causam juvare, qui ut antehac non semel, ita hic quoque Augustino facit injuriam, de eo contra verborum tenorem scribens, quod concupiscentiam *per tropum* dixerit peccatum vocari, quod in Augustino legitur nullibi. Comparatio mortis cum concupiscentia, quod utrumque sit effectus peccati, non ex Augustini penna fluxit, sed Bellarmini, qui & hic vim facit verbis Augustini ex citato retractionum opere laudatis, quibus dum scripsit, *hominem nasci implicatum reatu Adams, & ob id pœna obnoxium*, per pœnam minimè intellexit concupiscentiam, uti vult Bellarminus, suæ inserviens hypothese, neque etiam intelligere potuit, apertissimè pœnam distinguens à reatu, illam cum Paulo, juxta oraculum à Bellarmino quoque adductum, ab hoc, quasi effectum à causa distinguens, particulis *ob id* causalibus & connectivis rem satis manifestam facientibus. Tertia ratio & vocabulo concupiscentiæ iterum ludit ob ambiguitatem, & Augustini auctoritate impertinenter planè utitur vel potius abutitur. Quoad vocabulum concupiscentiæ confundit concupiscentiam naturalem, quâ homo etiam post lapsum ad hoc vel illud objectum indifferenter & absque peccati labe fertur, confundit cum illa deordinatione ab ipso lapsu homini inhærente, quâ id homo concupiscit, quod nullo planè modo concupiscere deberet, & quod in lege divina severissimè est prohibitum. Quod verò Augustini atinet auctoritatem, verborum ejus scopum & intentionem non attendit Bellarminus, sinon ultrò & singulari studio pervertit, quod alias non semel factum. Patebit hoc, ubi ipsum Doctorem augustissimum sistemus, contra Julianum sequentiâ scribentem: *Quod tibi præclaro acumine visus es invenisse, ut dices, etiamsi diabolus crearet homines, nulla sua culpa mali essent, & idè jam nec mali essent, quia esse quisquam, nisi quod natus est, non potest, nec ab eo justum est aliquid amplius flagitare, quam potest. Solemus & nos adversus Manichæos ita dicere, qui non dicunt, bonam naturam esse vitiatam, sed sine initio & immutabiliter malam, quam secundum suas fabulas opinantur esse malam. Natura verò humana secundum Fidem Catholicam bona est instituta, sed peccato vitata, meritoque damnata est.* Attendere hic debuit Bellarminus, si hinc verbis Augustini legitimè voluit uti, scripsisse Augustinum ea non ex propria hypothese, aut quæ ulla ratione posset concedi, sed quam Fidei Catholice adversam perstrinxit, juxta eam adstruens, concupiscentiam, videlicet malam, & naturali contradistinctam, homini non concreatam, sed ex peccato ortam esse nimirum primo Protoplastorum, quod omnium malorum & culpæ & pœnæ fons est, undè cætera fluunt omnia & ortum trahunt. Quarta ratio ipsum originale peccatum abolet, & Augustino pro more peregrinam & planè alienam adtingit sententiam. Illud indè constat, quia concupiscentiam ratione actus involuntarii & primorum ab ea motuum, quibus non consentitur, negat esse peccatum, & hinc putat, multò magis negari debere, ipsum pronitatem ad malum esse peccatum, nimirum propriè dictum. At hac ratione ipsum originale peccatum non erit peccatum propriè dictum, nec infantes ob illud solum æternæ damnationi erunt obnoxii. Hoc autem indè manifestum, quod Augustinus eo in loco, ubi Bellarminus docere tum scribit, Concupiscentiam in dormientibus peccatum non esse, quia non sit in potestate eorum, non concupiscere, gravissimè conqueratur. Verba sunt sequentia, quibus ita Deum adloquitur: *Iubes, ut continentiam à concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione seculi. Insuper à concubitu, & de ipso conjugio melius aliquid, quam concessisti, monuisti. Et quoniam dedisti, factum est, & ante-quàm dispensator tui sacramenti fierem. Sed adhuc vivunt in memoria mea, de qua locutus sum multa, talium rerum imagines quas ibi consuetudo mea fixit, & occurrant mihi vigilanti carentes quidem caribus, in somnis autem non solum usque ad delectationem, sed etiam usque ad consensionem factumque simillimum. Et tantum valet imaginis illusio in anima & in carne mea, ut dormienti falsa visa persuadeant, quod vigilanti vera non possunt.* Numquid tunc Ego

vid. D.
Hutter.
Locor.
Theol.
P. 342.

lib. 3, c. 12.

lib. 10.

conf. c. 30.

Ego non sum, Domine, Deus meus? Et tamen tantum interest inter meipsum & meipsum, ut intra momentum, quo hinc ad soporem transeo, vel huc inde retranseo. Vbi est tunc illa ratio, quæ talibus vigilans resistit suggestionibus? Et si res ipse ingeratur, inconcussus maneo. Numquid clauditur cum oculis, numquid sopitur cum sensibus corporis? Et unde in somnis etiam sæpè resistimus, nostrique memores propositi, atque in eo certissimè permanentes, nullum talibus illecebris adhibemus adscensum? Et tamen tantum interest, ut cum aliter accidit, evigilantes ad conscientia requiem redeamus, ipsaque distantia reperiamus nos non fecisse, quod tamen in nobis quoquo modo factum esse doleamus. Numquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes anima mea languores, atque gratia tua abundantiore lascivos motus etiam soporis mei extinguere? Augetis, Domine, magis in me magisque munera tua, ut anima mea sequatur me ad Te visco concupiscentia expedita, ut non sit rebellis tibi, atque ut in somnis etiam non solum non perpetret istas corruptelarum turpitudines per imagines animales, sed ne consentiat quidem. Nam ut nihil tale vel tantillum libeat, quantum possit nuu cogitari, etiam in casto dormientis adfectu, non tantum in hac vita, sed etiam in hac ætate, non magnum est omnipotenti, qui vales facere supraquam petimus & intelligimus. Judica hic iterum, lector optime, an Bellarminus verè de Augustino scripserit, juxta sententiam ejus concupiscentiam in dormientibus peccatum non esse; qui in hisce verbis expressè eidem adscribit non delectationem modò, sed & adscensionem ipsumque factum, ob quod dolere se fatetur, agnoscens in se languores animæ & lascivos motus, utpote visco concupiscentia impedito, atque hinc rebellionem & corruptelarum turpitudines, quibus non solum consentiat, sed etiam perpetret. Quæ omnia certè talia sunt, quæ nullo permittunt modo, ut dicatur, concupiscentiam Augustino in dormientibus non esse peccatum, cum ex hoc testimonio contrarium planè sit manifestum, & videatur Bellarminus, nisi accesserit malitia, dormiens aut somnians hic Augustinum legisse. De loco ex opere de *Civitate Dei* supra in vindiciis testimonium ex quinto operum Augustini Tomo actum est, nobis jam ad ea progredientibus excutienda, quæ Bellarmino visum fuit respondere ad argumenta Evangelicorum, quibus concupiscentiam verè & propriè peccatum esse solent demonstrare.

Primo & hic sistuntur loco oracula scripturæ, Augustini autoritate confirmata, ac iniquis Bellarmini detorsionibus breviter liberanda. *Primum est*, quo Paulus ^{cap. 6.} monuit Romanos noviter ad Christum conversos, *non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, hac cum Augustini observatione notatu, dignissimà, quod Apostolus non dixerit, *Non sit peccatum in vestro mortali corpore, sed non regnet*, quam observationem ante ad solutionem *secundam* prolixiore textu habuimus. ^{Tract. 41. in Joh.} Ridiculus hic est Bellarminus, dum contra Lutherum ad hanc Apostolicam concupiscentia onomatologiam, quæ eam expressè dicit peccatum, constanter provocantem iteratò urget significationem peccati impropria & metonymicam, hoc imprimis argumento, quia Paulus non dixerit, *concupiscentiam propriè esse peccatum*. At scire debuit Bellarminus, neque Paulum dixisse, *concupiscentiam esse peccatum improprie*. Nec quidquam juvat aut prodest, quod vox peccati in diversis scripturæ locis nunc accipiatur pro culpa, nunc pro pœna, nunc etiam pro causa peccati, nunc denique pro sacrificio vel expiatione peccati. Id enim sicut ultrò concedimus & largimur, ita certum est, quemvis locum, ubi vox peccati occurrit, exertè satis ostendere, quo significau debeat accipi. Adeoque si præsens Apostoli oraculum penitus intueamur & perpendamus, vi prædicatorum peccato hic attributorum erit manifestum, significationem non impropria, sed propria habere locum debere, nec pro pœna seu effectu, vel etiam causâ peccati tantum, multò minus pro sacrificio vel expiatione peccati, sed imprimis pro ipsâ accipi culpa, id est, peccato propriè dicto, quod ne regimen habere in se suoque corpore patiantur homines regenerati, Paulus necessarium duxit, ut seridò moneret, hac adhortatione superseffusus, nisi de peccato propriè dicto ipsi sermo fuisset, his non nisi ad peccatum propriè dictum referendis. *Secundum* Apostoli oraculum huc pertinens est, quo testatur, se non cognovisse, concupiscentiam esse peccatum, nisi lex diceret, *Non concupisces*. Quæcumque hic Bellarminus de mediis & fine hujus præcepti ^{Rom. 7.} habet, ad rem ipsam non pertinent, nec etiam juvare possunt causam, quam defendit, quia potius eam evertunt. Si enim media sunt, resistere concu-

concupiscentiis, eisque non adfentiri, nunquam cedere, eaquæ ita obligant, ut qui non fecerit, continuo existat reus; si item finis est, funditus extirpare concupiscentias, atque id efficere, ut nullus in carne motus oriatur contra rationem; quis non videt, ob hujus præcepti finem & media concupiscentiam rectè & propriè dici peccatum, utpotè legi expressitè contrariam, & tale malum, quod Bellarmino fatente hominem facit reum & obnoxium maledictioni divinæ? Testimonia duo, quæ ex Augustino hic adfert Bellarminus, itidem faciunt pro nobis. Utrumque jam supra suo expendimus loco. Posteriorius præsertim egregiè sententiam Evangelicorum illustrat, dum Pater augustissimus idè hanc legem, *non concupisces*, datam esse scripsit, *ut nos in hoc morbo jacere intelligentes Medicinam gratiæ quæreremus*. En morbum nobis omnibus communem, en gratiæ Medicinam huic morbo oppositam! Valentes Medico non opus habent, morbo peccati carentes gratiâ Dei non indigent. Tertium sequitur ex eodem loco oraculum, quo Paulus nomine hominis regeniti carnalem se & venundatum sub peccato scribit, Augustino, quod Bellarminus etiam agnoscit, antehac statuente, Apostolum hic loqui in personâ hominis impii, sed in posterioribus scriptis mentem suam (in melius, juxta Bellarminum, & verè quidem) mutante, & hanc Pauli sententiam de homine per Christum regenito constanter adversus Pelagianos intelligente, ita tamen, ut carnalis esse dicatur, *quia nondum corpus habeat spiritale*, quibus ex Augustino verbis Bellarminus hoc Apostoli oraculum Evangelicis ixit ereptum. Id quomodo veniat intelligendum, ipse nos docebit Augustinus, loco per Bellarminum citato sequentem in modum scribens: *Numquid Apostolus, cum hoc scriberet, carnalis fuit, an secundum corpus hoc dicit? Adhuc enim erat in corpore mortis hujus, nondum spiritali factus, quod alibi dicit, seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale. Tunc enim ex toto se, id est, ex utraque parte, quæ constat, spiritalis erit homo, quando etiam spiritale corpus erit. Neque enim est absurdum, ut sit in illa etiam vita caro spiritalis, si potuit esse in hac vita, in his, qui adhuc sapiunt carnalia, etiam spiritus ipse carnalis. Sic ergo dixit, Ego autem carnalis sum, quia nondum spiritale corpus habebat Paulus, sicut dicere posset, Ego autem mortalis sum, quod utique non nisi secundum corpus dixisse intelligeretur, quod nondum fuerat immortalitate vestitum. Item quod adjunxit, venundatus sub peccato, ne quis cum Christi sanguine nondum existimet redemptum, etiam hoc secundum illud potest intelligi, quod ait, & nos primitias Spiritus habentes, & ipsi in nobismet ipsis ingemiscimus, expectantes adoptionem, corporis nostri redemptionem. Si enim secundum hoc se dicit venundatum sub peccato, quod adhuc non est redemptum corpus ejus à corruptione, vel venundatum aliquando in prima transgressione præcepti, ut haberet corpus corruptibile, quod animam adgravat, quid prohibet hic Apostolum intelligi de seipso dicere, quod ita dicit, ut etiam in ipso possit intelligi, etiam si in sua persona non se solum, sed omnes accipi velit, qui se novèrunt spiritali delectatione cum carnis adfectione confingere sine consensione. Post aliqua: Apertius, quod sequitur, utrumque declarat, Condelector enim legi Dei, inquit Apostolus, secundum hominem interiorem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Unde propter ista tria, duo scilicet, de quibus jam disputavimus, quo ait, Ego autem carnalis sum & venundatus sub peccato, & hoc tertium, captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, potest videri Apostolus cum describere, qui sub lege adhuc vivit, nondum sub gratia. Sed sicut illa duo exposuimus propter carnem adhuc corruptibilem dicta, sic & hoc intelligi potest, ut captivantem me dixerit carne, non mentis motione, non consensione, & idè captivantem me, quia & in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Ad dantur proximè sequentia, & adhuc magis clara erit Apostoli sententia, quam Doctor augustus alibi parallelum ex eo testimonium de operibus carnis explicans rotunde ita expressit: *Quomodolibet intelligat Apostolus carnem, quia reverà non natura ejus, quæ bona est, sed vitia carnalia hoc nomine nuncupantur, ecce tamen, etiam baptizatus carnis est contraria. Omnium optime autem & expressissimè suam & Apostoli sententiam exhibuit in opere retractationum, priorem suam explicationem de homine posito sub lege, nondum sub gratiâ, refellens, his pro confirmatione posterioris sententiæ subjunctis: *In libris, quos adversus Pelagianos edidimus, etiam spiritalis hominis jamque sub gratia constituit melius intelligi verba ista monstravimus, propter corpus carnis, quod spiritale nondum est, erit autem in resurrectione mortuorum; & propter ipsam carnis concupiscentiam cum qua ita confligunt sancti, ei non consentientes ad malum, ut tamen motibus ejus, quibus resistunt repugnantibus, non careant in hac vita, non eos autem habebunt in illa, ubi mors***

lib. I. de
Nupt. &
Concup.
c. 27.

Rom. 7.

lib. I. con-
tra duos
Epist. Pe-
lag. c. 10.

de Nat. &
Grat. c. 55.

lib. I. c. 23.

Mors absorbetur in victoria. Propter hanc itaque concupiscentiam motusque ipsos, quibus ita resistitur, ut sint tamen in nobis, potest quisque sanctus jam sub gratia positus ita dicere omnia, quae hic esse dixi verba hominis nondum sub gratia positi, sed sub lege. Ex his patet satis clarè, Augustinum se carnalem dixisse, non idèò tantùm, quia nondum corpus habuit spiritale, sed etiam, quia sensit in se spiritum carnalem, vitia nimium carnalia, id est, ipsam carnis concupiscentiã, quibus verbis Pater sanctus & suam, ut dixi, & Apostoli sententiam ita apertè exhibuit, ut apertius non potuerit, nihilque omnino desideretur ad confirmandam & conformandam Evangelicorum cum Paulo & Augustino sententiam. Cætera, quæ præter hæc Bellarminus de suo adjecit, ne Paulus noster esse videatur, ab aliis excussum est, nominatim à Gerharðo, cujus industria nihil hic potest addi. *Quartum* igitur ex hoc Pauli loco sequitur oraculum, quo Apostolus agnoscit Rom. 7. legem de non concupiscendo bonam esse, id non agniturus, nisi concupiscentiæ carnis etiam sine accedente consensu essent contra legem, adeoque etiam peccata verè & propriè sic dicta, Augustino hic iterum Evangelicis consentiente. Absurdus autem hic est Bellarminus, dum fateri quidem vi veritatis est coactus, motus concupiscentiæ involuntarios juxta Augustinum quoque in Præcepto de non concupiscendo prohibitos repugnare legi, & tamen ausus est negare, esse eos peccata, quia, inquit, legi repugnant, ut finem indicanti, non ut media imperanti, quasi verò finis absque mediis possit impetrari, & lex DEI finem intendat absque mediis, quod esset non nisi legislatoris imprudentissimi. Contra id autem, quo ex altera parte Bellarminus se evadere posse existimavit, si lege de non concupiscendo ad motus tantùm voluntarios restricta dicat, consensum Pauli cum lege in eo esse positum, quod lex jubeat eum resistere concupiscentiæ & Paulus velit eis resistere ac resistat, debet notari, agnovisse Paulum, quod lex de non concupiscendo bona sit, non eo tantùm sensu, quod prohibeat consentire concupiscentiis, sed potius mandet iisdem resistere, verùm eo etiam quo ipsum concupiscere est peccatum, & quo ipsi motus concupiscentiæ primi, etiam sine consensu accedente, repugnant legi, atque sic sunt peccata verè & propriè dicta, nisi has carnis concupiscentias & motus earum improprie & per tropum legi repugnare dicamus. Quid autem hac ratione in sacris literis proprie dictum erit super, quod non in significationem tigris pro lubitu interpretum possit converti? *Quintum* nunc succedit ex eodem Paulo oraculum, quod ibi, ubi antecedentia, legitur, Apostolo iterum nomine hominis regemini sequens de infirmitate carnis testimonium exhibente: *Invenio igitur legem, volenti Rom. 7. mihi facere bonum, quoniam malum mihi adjacet.* Bellarminus quidem ut enervet argumentum, quod ex inde deducitur, ad Augustini provocat auctoritatem, Pauli verbis hanc paraphrasin adponentis: *illa, scilicet lex, bonum est volenti facere, adjacet autem lib. I. contra duas Epist. Pelag. cap. 10. ex concupiscentiã malum, cui non consentit, qui dicit, jam non ego operor illud.* Aliam huic similem hujus testimonii explicationem ex alio Augustini opere desumptam exhibent *Canzenius & Fromundus*, augustissimo Doctori ista hanc Apostoli sententiam exprimente: *Invenio mihi legem esse bonum volenti facere quod lex vult, quoniam non ipsi legi, quæ dicit, Non concupisces, sed mihi adjacet malum, quod nolo, quia & nolens concupisco.* lib. I. de Nupt. & Concup. cap. 30. Non inquiram nunc sollicitus, an Pater sanctus hæc paraphrasi mentem Apostoli sit adsecutus, quæ de re non una eademque est interpretum Romanensium sententia, non unius ab Augustino dissentientibus; sed illud tantùm quaeritur, an per hanc Augustini paraphrasin infirmetur argumentum, quo ex hoc Pauli testimonio solet demonstrari, concupiscentiam inrenatis esse peccatum verè & propriè sic dictum. Bellarminus id quidem intendit, at frustra & in vanum. Nam Augustinus non tollit illam mali & boni oppositionem, quam Paulus satis clarè indicat, quæ insuper ostendit evidenter, malum non pœnere, sed culpæ hic esse intelligendum, nisi oppositionem minus ritè institutam dicere velimus, quod aliud nihil esset, quam Apostolum absurditatis accusare, ac consequentiæ & deductionis, quam eleganti membrorum ordine connectit, nervum penitus infringere. *Sextum* succedat ex eodem loco oraculum, quo Apostolus concupiscentiam vocat *legem in membris, repugnantem legi mentis & captivantem in lege peccati.* Rom. 7. Bellarminus ad infringendum ex inde argumentum urget ex Augustino, *Concupiscentiam dici captivantem, id est, captivare conantem, vel, captivantem secundum carnem, non secundum mentem.* Atqui non sufficienter & ex pleno Bellarminus proposuit augusti Patris super hoc Apostoli oraculo sententiam, quæ ex opere ultimùm citato hæc est. *Quod ait Apostolus, video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ipsa ista est, de qua loquimur, concupiscentia, i. e. peccati*

peccati in carne peccati. Quod autem dixit, & captivantem me sub lege peccati, hoc est, sub seipsa, quæ est in membris meis; aut captivantem dixit captivare conantem, id est, consentiendum implendumque cogentem; aut potius, quod non habet controversiam, captivantem secundum carnem, quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam vocat peccati legem, non utique in eâ ullum desiderium illicitum, cui mens obedire non teneat, commoveret. Quod autem non ait, captivantem carnem meam, sed captivantem me, hinc factum est, ut sensus hic alius quaereretur, & acciperemus captivantem, veluti dixisset captivare conantem; quanquam paulo superius & ipse Apostolus, quomodo rectè de carne suâ dicere potuit, captivantem me, satis evidenter aperuit. Cum enim dixisset, Scio, quia non habitat in me, id ipsum exponens adjunxit & ait, hoc est, in carne meâ bonum. Hec ergo captivatur sub lege peccati, in quâ non habitat bonum, hoc est caro. Carnem verò nunc adpellavit, ubi est morbidus quidam carnis adfectus; non ipsam corporis conformationem, cujus membra non adhibenda sunt arma peccato, id est, eidem ipsi concupiscentiæ, quæ hoc carnale nostrum tenet captivum. Prætermittis autem nunc, quæ supra ad secundum est scriptura testimonium, ex eodem loco Pauli delatum, quo Bellarminus pro se usus est, de vero intellectu vocabuli *Carnis* ad mentem ipsius Apostoli & eum explicantis Augustini, ad stipulante etiam *Eschio*, scriptore inter suos maximi æstimato, sunt in medium producta; illud præmissis è citato sancti Doctoris textu est manifestum, Bellarminum non sincerè ejus mentem exhibuisse, sed id, quod primo legitur loco, non sine veritatis præjudicio fraudulentè omisisse, adeoque rem suam hoc ipso nimis suspectam fecisse. Ut taceam, alia etiam in his Augustini verbis extare, quæ sententiam Evangelicorum non parùm juvare possunt & contra Bellarminum defendere. Huc pertinet, quod concupiscentiam cum Apostolo dixit legem peccati in carne peccati, eamque captivantem sub lege peccati, hoc est, sub seipsa, quæ in membris est. Adde, quod eandem carnis concupiscentiam vocavit *morbidum carnis adfectum*, eomet ipso peccati verè & propriè dicti rationem insinuans, supra quoque explicatam. *Octavum* nunc ex hoc Apostoli loco super adhuc est oraculum, quo idem de se regenito testatur, *velle, videlicet bonum, adjacet mihi, perficere autem non invenio*. Bellarminus distinguens inter voluntatem & potestatem putat, quia in hominis potestate non est, nunquam concupiscere, videlicet malum, malum, miseriam id esse potius, quam peccati, & ad imperfectionem hominis in hac vitâ pertinere, Augustino id testante, dum scripsit, *Hoc est perficere bonum, ut nec concupiscat homo*. Sed præterquam quod Bellarminus hæc distinctione suâ confundit statum hominis ante & post lapsum ac debitum præstandi id, quod ante lapsum per vires concretas potuit, cum impossibilitate post lapsum omnibus in universum hominibus communi, quæ tamen impotentia tam non præstat hominem à debito liberum, quam non præstitit in Parabolâ à Christo commendatâ Rex servum nequam liberum ideo, quia non erat solvendo de quo aliàs; id, quod ex Augustino iterum adfert, pro nobis est. Si enim hoc est perficere bonum, ut nec concupiscat homo, & quod ibidem subjungit Augustinus, *imperfectum est bonum, quando concupiscit, etiam concupiscentia non consentit ad malum*; quid aliud hoc est, quàm dicere, homini etiam post Baptismum ante quàm ad statum perfectionis in æternâ beatitudine venit, adherere peccatum verè & propriè dictum, etsi illud, nisi consensus & actus ipse succedat, ob factus gratiæ in Baptismo in initum non imputatur in peccatum, quod ex Augustini observatione superius citatâ in hac quæstione semper debet notari.

Rom. 7.

lib. I. contra Iulianum Episc. Pelag. cap. 10.

Jam quod attinet vindicias cæterorum è sacris literis testimoniorum, quibus concupiscentia tanquam verè & propriè peccatum describitur, quidquid Bellarminus is opposuit ex Augustino, in antecedentibus habet sufficiens responsum, ut adeo per remissiones hic expeditio sit facilior. Et quidem ad *quartum* ex oratione Dominicâ referri debet, quod ad testimonia Augustini ex secundo & octavo operum ejus Tomo dictum est. Ad *quintum* pertinent ea, quæ circa tertii & quarti operum Tomi testimonia ex sententiâ medicorum sunt observata, quæ alibi etiam non semel occurrunt. Ad *sextum* sufficere potest responsum, quod ad diversa quatuor testimonia ex septimo operum Tomo datum est, supra etiam ex parte in controversiâ de effectu Baptismi exhibitum. Ad *octavum* de renovatione repeti debet, quod præter & post alia ad secundum è sacris literis testimonium à Bellarmino productum Augustinus ibidem indè Bellarminus pro se argumentatus est, circa renovationis in hac vitâ imperfectionem notanter docuit. Denique ad *duodecimum* & ultimum à Bellarmini exceptione vindicandum potest

potest infervire, quod pro tertiâ solutione testimoniorum à Bellarmino objectorum ex Augustini sententia visum fuit idoneum. Conferat hæc singula lector veritatis studiosus, & repetat ex locis jam citatis & manifestum erit, plerisque factis ex asse factum, quæ Bellarminus fastidiosa repetitione ac iteratò inculcavit, ut adeò novis non opus sit pro Augustino hic vindiciis. Progrediamur ergò ad ea Augustini, ac cæterorum Patrum, Cypriani, Helarii & Ambrosii testimonia ab Augustino contra Pelagianos adducta ac quasi Augustino propria, quibus inprimis Chemnitius demonstrare laboravit, concupiscentiam in renatis adhuc reliquam esse peccatum verè & propriè sic dictum, ubi incredibilem nequitiam & impudentiam Chemnitio adscribit Bellarminus, *cujus perpenas in Gehennâ sine dubio pœnas sit luiturus*. Videamus, jure, an injuriâ hæc de sincerissimo Tridentinæ Synodi examinatore scripserit ejusdem hyperaspistes Bellarminus? Breviter autem ea tantum è prolixis Bellarmini discursibus excerptæ placet, quibus & Augustino pariter & Chemnitio intulit injuriam, quin & iis Patribus, quorum auctoritate Augustinus contra Pelagianos est usus. Itaque præterimò contra veritatem scripsit, Augustinum, ut probet, *posse hominem vivere perfectè, etiamsi peccatum contraxerit originale, & eo per Baptismum remisso relicta sit in membris nostris concupiscentia*, adtulisse testimonium Cypriani ex libro vel Epistola de mortalitate. Nam adeò illud Augustini institutum non fuit, ut potius contra illud tanquam perniciosum errorem Pelagianorum ex professo disputaverit ut suo infra loco ostendetur. Et si Augustinus hoc voluisset probare, laudatò Cypriani testimonio uti non potuisset, ut potèe cujus tenor contrarium planè docet, præsertim si ea attendamus sancti Martyris verba, quæ à Bellarmino fraudulenter omiſsa, omninò hic legi merentur, prout ea Augustinus adduxit sequentia: *Obsessa mens hominis, & undique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia est prostrata, exurgit libido; si libido est compressa, succedit ambitio; si ambitio est contenta, exasperat ira, inflat superbia, invitat vinolentia, invidia rumpit concordiam, amicitiam abscindit Zelus, cogervis maledicere, quod divina lex prohibet, compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones quòtidie patitur animus, tot periculis urgetur pectus*. Imò si Augustini etiam verba, quibus hanc Cypriani sententiam explicat, & quæ Bellarminus ad suas trahere partes conabatur, attendamus, hoc Augustino nunquam fuisse propositum, quod Bellarminus voluit, erit manifestum. Dum enim in Cypriani laudem scribit, *quod his motibus malis, partim de origine* (id est, originali peccato & concupiscentiâ, quod bene notandum venit) *partim de consuetudine venientibus fortiter resistit, non acquiescens esse, quod cum esse cogebant*; hoc insuper addito, quod & Bellarminus non omninò prætermittere potuit, *Nec ideo tamen in tam periculoso laboriosoque certamine nullo hostili telo feriebatur* Cyprianus, cujus proprium hæc de re ex Epistola de eleemosynis testimonium, Bellarmino etiam ex parte citatum, Augustinus in proximè sequentibus subjungit, quod tale est: *Ne quisquam sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, ut sua fretus innocentia Medicinam non putet adhibendam esse vulneribus, cum scriptum sit, Quis gloriabitur castum se habere cor; aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Et iterum in Epistola sua Johannes ponat & dicat, si dixerimus, quia peccatum non habemus &c. Si autem nemo esse sine peccato potest, quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus est, aut stultus*. Addit sanctus Martyr & Augustinus ex eo, quæ Bellarminus iterum prætermisit: *Quàm necessaria, quàm benigna est divina clementia, quæ cum sciat, non deesse quædam sanatis postmodum vulnera, salutaria dedit curandis denuò sanandisque vulneribus remedia*. Et jam aliquis & dicat, Bellarminum ex vero scripsisse, Augustinum, ut probet, *posse hominem vivere perfectè &c.* Cypriani testimonium attulisse; nisi omnes, qui hæc legunt, bardos & stipites, omnique judicio destitutos existimet, ipsè omnis judicii & rationis expertus. Insignis præterea est malitiæ & prostituti pudoris documentum, quod Bellarminus Chemnitium accusare fuit ausus, quasi impertinenter Augustini verba cum verbis Cypriani conjunxerit, ea Cypriano adscribens, quæ sint Augustini. Potuisset fortè id per aliquam fieri inadvertentiam, cujus tamen ratione si Chemnitius pœnas Gehennales meruit, multò majores meritis dici potest non uno in loco Bellarminus, hæctenus non semel de fraude minus piâ incitandis Patrum testimoniis convictus. At non factum id est à Chemnitio, Patrum loca sincerius tractante de quo ipsa ejus verba à Bellarmino exscripta testantur, quæ sunt: *Cyprianus apud Augustinum motibus malis de origine venientibus fortiter resistens ait, Ne quisquam sibi &c.* Hic, inquit Bellarminus, ita Augustini verba cum verbis Cypriani conjunxit Chemnitius, ut videatur Cyprianus dicere, malos motus illos

NB.

vera esse peccata, etiam cum eis resistitur. At quamvis de scopo & intentione Chemnitii sit indubium, demonstrare eum voluisse, molos concupiscentiæ morus, etiam cum eis resistitur, esse peccata verè & propriè sic dicta; non tamen est verum, quod Cypriano verba Augustini adscripserit Chemnitius. Non enim quasi verba Cypriani adduxit, malis motibus de origine venientibus fortiter resistentis, sed exhibuit ea tanquam Cypriani personam juxta Augustinum describentia, ut ipse verborum ordo, si modo attendatur, satis clarè indicat, Bellarmino iniquissimè Chemnitii innocentia traducente. Sed etsi hæc Augustini verba Cypriano adscripisset Chemnitius, sensum videlicet eorum respiciens & sancti Martyris mentem, non deesset, quod pro sinceritate & innocentia ejus potèro possedici. Nam non solùm citata ejus verba idè volunt, sed & alia, quæ in antecedentibus ex eo laudavit Augustinus, non procul ab initio secundi contra Julianum libri hæc ex Epistolâ ejus de oratione Dominicâ adducens: *fieri petimus voluntatem DEI in celo & in terrâ, quod utrumque ad consummationem nostræ incolumitatis & salutis pertinet. Nam cum corpus è terrâ, & spiritum possidemus è celo, ipsi terra sumus & calum, & in utroque, id est, in corpore & spiritu, ut DEI fiat voluntas, oramus. Est enim inter carnem & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem quotidiana congressio, ut non ea, quæ volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cælestis & divina quærit, car o terræna & secularis concupiscit. Et idè petimus inter duo ista ope & auxilio DEI concordiam fieri, ut dum & in spiritu & in carne voluntas DEI geritur, quæ per eum renata est, anima servetur.* Eritèrum in Epistolâ de mortalitate Paulum proptereà dicit concupiscere dissolvi & esse cum Christo, *ut nullis jam fieret peccatis & vitis carnis obnoxius.* Hæc Cyprianus ab Augustino multùm commendatus, quæ etiam Augustinus quasi sua voluit haberi & propria, quidquid etiam fuerit visum Bellarmino, ob id ipsum Chemnitio dicam scribenti, quod videatur utriusque sententiam connectere, & pro unâ atque eadem habere.

Nunc quantum ad Hilarii verba itidem ab Augustino laudata, quorum aliqua Chemnitius contra Synodi Tridentinæ decretum adduxit, negare quidem non potuit Bellarminus, juxta ejus sententiam *nihil in nobis esse mundum, nihil innocens nos obtinere, & corpora nostra omnium vitiorum esse materiam;* & tamen vim hujus ingenuæ confessionis infringi posse existimavit, dum commentus est, Hilarium non absolute nos pollutos esse & sordidatos scripsisse, sed *ex parte concupiscentiæ*, cui opponit gratiam DEI, per quam regenerati vincunt concupiscentiæ incentiva, ita ut non solum sordes & pollutionem evadant, sed magis etiam emundentur atque purgentur. Verùm nosse debuit Bellarminus, per hanc DEI gratiam sordes à concupiscentiâ provenientes non ita in totum abluï, ut non remaneat fons & origo earum, unde semper alia succedunt; nec ita vinci concupiscentiæ incentiva à regeneratis, ut non bellum hoc intestinum singulis ferè momentis redintegretur semperque habeat pia mens & Christiana, quorum certet atque dimicet, donec sepositâ carne infirmitatis plenaria sequatur Pax & contra quosvis externos & internos hostes victoria. Quod verò Hilarius addidit, *gaudendum nobis esse, quod hostem habeamus,* (quæ verba non malitiosè Chemnitius omisit, quasi suæ obessent sententiæ, sed quia ad institutum non pertinere visa fuerunt;) respexit Doctor Pictariensis hominis regeniti in hoc Martis Christiani campo singularem Zelum & fervorem. Sicut enim qui semel animum Militiæ addixit, gaudet, ubi hostem sibi videt obtigisse, quocum in apertâ acie congregiatur, spe nimirum victoriæ ab eo impetrandæ, etsi id non sine multo sanguine fiat, & victor etiam non nisi vulnera exinde reportet; ita etiam homo Christianus in susceptione Baptismi, Sathanæ tanquam hosti jurato & irreconciliabili bellum indicens gaudet, quod sub capite Christo vires suas è celo acceptas adjuvante spirita fortitudinis exercendi habeat occasionem, quamvis experientia doctus sciat, non sine vulneribus hanc rem agi, & victorem quoque à victo non uno vinci modo, donec consummata tandem victoria succedat, omnesque inimici ponantur & subdantur pedibus quoque fidelium. Agnoscere id coactus fuit ipse Bellarminus, ad secundum & tertium Hilarii testimonium à Chemnitio ex Augustino scriptum advertens, *in hac vitâ, quæ tota est tentatio, renatos non posse longo tempore sine aliquâ novâ sordè peccati, saltè quotidiani & venialis vivere, unde immundi & mali possint dici, imò debeant.* Patet hinc insuper, habere locum non posse gloriam Bellarmini, quâ in proximè sequentibus putat, posse hæc testimonia Hilarii de promissæ ad malum exponi, ut potè quæ sola cum concessâ sordium peccati contractione nova stare non potest. Docuit id Augustinus ibidem ex aliis Hilarii testimoniis, quæ Chemnitius brevitate ergò omisit, hic omnino legenda nisi idem brevitate studium prohiberet.

Pergendum namque nunc est ad *Ambrosium*, cujus itidem autoritate contra Pelagianos usus est Augustinus, & omnium copiosissime quidem, Chemnitio iterum aliqua tantum excerptente, ea nimirum, quae instituto quae ceteris videbantur inservire quam maximè, ubi videlicet Doctor Mediolanensis concupiscentiam vocavit *vitium iniquitatem & delectationem DEI mandato adversam*. Equidem Bellarminus huic etiam triplici onomatologia obviam iturus, ne ratio peccati verè & propriè sic dicti videatur concupiscentiae attribui posse, varia comminiscitur effugia; sed nihil dicit, quod non dictum sit prius, & in antecedentibus refutatum. Quod enim attinet vocabulum *vitii*, per quod significari dicit *omnem corruptionem & languorem*, sufficere illud nobis in praesenti negotio, jam est ostensum, quia languor ex morbo ipse etiam morbus est, dum *natura nostra de morbo trahit morbum*, ut Hilarius in primi Psalmi expositione ab Augustino laudatus in rem nostram optimè loquitur. Nec alia mens fuit Augustini in verbis, quae Bellarminus pro se adduxit, dum vitia hominis interiora, quorum post Baptismum civile bellum remanere scripsit, non quidem talia esse dixit, *quae peccata sunt dicenda*, sed expressè addidit particulam temporis determinativam, *tam*, additâ conditione, *si ad opera illicita spiritum concupiscentiae non trahat, & concipiat pariatque peccatum*, id est, actuale, quod effectus est peccati & concupiscentiae originalis, sicut haec vel hoc effectus est peccati actualis Protoplastorum primi, à quo omne malum & culpa & poenae. Circa vocabulum *Iniquitatis*, quo inter alia concupiscentiam describit *Ambrosius*, ut plurimum hypothesebus nondum demonstratis nititur Bellarminus, atque hinc apud contradicentem invalidis, quamvis ea non raro inserat, quibus sibi metipsum ex more contradicit, nostramque non parum juvat causam. Ita grati agnoscunt Evangelici, quod idè concupiscentiam ab *Ambrosio* vocari dicit iniquitatem; quia sit ordinatio quaedam & perversitas contra ordinem in primâ creatione positum; ut ut non videant, cum nihilominus scripsit Bellarminus, non tamen propriè concupiscentiam esse peccatum. Quod enim addit, ejusmodi perversitatem non esse in voluntate, quae sola capax sit peccati propriè dicti; sed in carne; in antecedentibus jam accepit responsum, ubi ostensum fuit ex professo, quid de voluntario peccati sit habendum, & num in solâ carne originalis concupiscentia sedem habeat ac indicatum quoque, minus accuratè & per contradictionem in adjecto, ut vocant, concupiscentiam dici involuntariam, dum contra voluntatem concupiscere res sit non nisi absurdissima. Comparatio hujus deordinationis in homine post lapsum cum equo freni impatiens & deiciente sessorem, est omni ex parte impertinentissima, adque praesens institutum nullo planè modo applicabilis, quod ipse coactus fuit agnoscere Bellarminus, scribens, *equum nec virtutis nec vitii propriè capacem esse*. Re hunc in modum reductâ & redactâ ad liquidum, opus non habuisset Bellarminus porro demonstrare, ita in verbis *Ambrosii* intellectam fuisse ab Augustino vocem iniquitatis, rem, quae satis est clara, magis semper magisque intricans, ac ea non sine taedio inculcans, de quibus ante jam fuit actum, ut, quod Augustinum scripsisse dicit, *hanc iniquitatem esse in carne non mentes*, etsi citata Augustini verba, concupiscentiam idè dici iniquitatem ab *Ambrosio*, quia iniquum sit, ut caro concupiscat adversus spiritum, id expressè non habeant. Quod verò Augustinus docet, in homine cum hac iniquitate originalis concupiscentiae iustitiam simul esse, suo infra loco ostendetur, ab ipso et Augustino imperfectam intelligi iustitiam, quae concupiscentiae carnalis malum non omninò tollat, sed ab eadem continuo quae motu impetatur & impediatur. Quis Augustini verborum, *per Baptismum tolli omnem iniquitatem & solum remanere infirmitatem*, sensus sit, supra itidem non semel est dictum. Ceterum addidit Bellarminus de suo, quod *Ambrosium* ibi, undè ejus autoritate usus est Augustinus, satis apertè scribit significasse, *per iniquitatem se corporis passionem intelligere, quae proprio careat nomine, & iniquitas dici possit per Tropum, quia ad iniquitatem perducatur*; cum si vel Augustinum autoritate *Ambrosii* utentem, vel ipsummet *Ambrosium* loco per Augustinum citato evolavimus, id apertè *Ambrosium* significasse inveniamus nullibi. Neque instituta à mellistuo Doctore comparatio virtutum & vitiorum sibi met invicem è diametro oppositorum evincit, quidquid etiam videatur Bellarmino, qui parùm aut nihil planè hic vidit, sancti Doctoris mentem pessimè pervertens. Opponit is notanter prudentiae iracundiam, quia homines per eam, ubi limites excedit, omnis prudentiae expertes se ostendunt, sicut è contrario prudentem se ostendit, quia iram didicit iusto tempore & loco moderari. Opponit Temperantiae concupiscentiam, quia intemperans ea praeter debitum concupiscit, quae studiosus Temperantiae

rantia contemnit & negligit. Opponit Fortitudinem Timorem, quia qui timore nimio concutitur, ad documenta Fortitudinis edenda ineptus merito censetur. Opponit tandem Justitiæ iniquitatem specificè sic dictam, quâ proximo contra Juris Naturæ regulam injuria vel verbis vel factis infertur, à qua quicumque abstinet, Justus verè dicitur. Atque sic non video, quam apertè, ut Bellarminus vult, *Ambrosius* hic significarit, per iniquitatem se corporis intelligere passionem, quæ proprio careat nomine, & iniquitas dici possit per Tropum ideo, qui ad iniquitatem perducatur. Nam id neque dixit vel scripsit apertè Mediolanensis Antistes, neque ex adductâ virtutum & vitiorum comparatione potest ullâ ratione elici, in quâ dum videmus concupiscentiam ab iniquitate tanquam vitia duo specie differentia & singularia distingui per se cadit Bellarmini glossa Tropum fingens, qui hic quidem nullus est, vel locum habet. Nihil ad rem facit, quod vitia hæc, quæ virtutibus opposuit *Ambrosius*, dixit *corporis passiones*, sicut virtutes adscripsit Animæ: cum id nullam ob aliam rationem credi debeat factum, quam quia hæc vitia ut plurimum per membra sensuum organa & instrumenta solent ostendi & fieri manifesta, cum è contrario quis animo Prudens, Temperans, Fortis, Justus esse possit, etsi nullo id externo comprobet documento & exemplo. De ultimò concupiscentiæ originalis denominatione, quâ *Ambrosius* eam esse dixit *delectationem DEI mandato adversam*, quia Bellarminus ad antè se dicta & scripta provocat, nobis etiam ad responsum iis datum provocare erit integrum, ubi imprimis id fuit ostensum, legi divinæ contrarium esse non modò contentum concupiscentiæ præbitum, sed ipsum concupiscere, etiam sine consensu accedente, ut *Paulus* & ex eo noster *Augustinus* apertè docent, testimoniis supra laudatis. Non ergò vana est *Chemnitii* gloriatio, ut Bellarminus impudenter scribit, sed ipsissima & apertissima veritas, quod *Ambrosius*, ut & ante eum *Cyprianus* & *Hilarius*, Evangelicorum expresserit sententiam, quod *originalis concupiscentia in renatis per se & ex se ac naturâ suâ sit peccatum verè & propriè dictum, quod reum facere & in æternum damnare possit hominem, si DEVS imputare velit, id est, nisi reatum ejus ex singulari gratiâ in Sacramento Regenerationis vi Justitiæ Christi satisfactoriæ remississet & condonasset. De Justitiâ in renatis & bonorum operum imperfectione in sequentibus agendum restat.*

Atqui sic hæcenus ea *Cypriani*, *Hilarii*, *Ambrosii*, celebratissimorum Ecclesiæ prioribus ab Apostolorum tempore seculis Patrum testimonia, quæ *Augustinus* sua & sibi fecerat propria, ab iniquis Bellarmini detorsionibus sunt vindicata, quibus apertè satis demonstrari potest, juxta sententiam *Augustini* horum ante se Patrum autoritate contra Pelagianos utentis originale concupiscentiam in renatis adhuc reliquam esse peccatum verè & propriè dictum. Sequuntur nunc ipsa *Augustini* testimonia, quorum tria facit Bellarminus genera, ad primum genus ea referens, ad quæ *Lutherus* noster provocavit, cujus innocentiam & sinceritatem in hæc re sub initium hujus responsi ivimus vindicatum, undè etiam potest patere vanitas glossæ Bellarmini, quâ mentem augustissimi Doctoris pervertere laboravit, qui dum scripsit, *Concupiscentiam in renatis non esse peccatum, non imputari, nec facere reos*, ita intelligi debere putavit sancti Patris verba, quasi in concupiscentiâ renatorum omnis planè ratio cessaret; cum tamen *Augustinus* rationem peccati actualis solum respexerit, eam concupiscentiæ renatorum sine consensu accedente denegans, ut verba superius prolixè exscripta testantur. Et quomodò concupiscentia renatorum non haberet rationem peccati, de quâ ad mentem *Augustini* scribit Bellarminus, *manere eam in renatis quoad actum, quia non cesset prava excitare desideria*? Num enim prava hæc desideria non habent rationem peccati verè & propriè sic dicti, etiam si à renatis non accedat consensus, eisque non obtemperetur? Hoc quidem dicere & sentire, esset seipsum contradictionibus involvere. Ad argumentum *Melanthonis* & aliorum, qui à respectu concupiscentiæ irrogenitorum & ante ejus remissionem ad respectum concupiscentiæ regenitorum & post ejus remissionem ducunt consequentiam, *Augustino* agnoscente, concupiscentiam in irrogenitis & ante ejus remissionem esse peccatum verè sic dictum, responderet quidem Bellarminus, *Augustinum* scribendo, *Concupiscentiam esse peccatum, intelligere id non ratione sui, sed ratione reatus peccati originalis, qui cum eâ maneat ad nexus usque ad Baptismum.* Addit triplicem reatus considerationem vel quâ reatus

reatus ab ipsa oritur Concupiscentia & in ipsa fundatur, vel quia reatus Concupiscentia ratione ortus sui à primo Protoplastorum peccato respicitur, vel qua ipsum hominis consensum post se trahit; primum ex his modum Evangelicis, secundum verò & tertium sibi adscribens, ac ex Augustini quodam testimonio confirmare adnitens. Verum ex iis, quæ supra de vocabulo *reatus* ejusque propria significatione in hoc argumento sunt dicta, patet, Augustinum præter duos posteriores modos *primum* quoque non tam admittere, quàm urgere & contra Pelagianos defendere, ut ampliori responso ad prolixissimum Bellarmini de hoc discursum opus non sit, nisi quod non impertinens videtur, pauca quædam vocare sub censuram, quæ in eo minus ritè & contra Augustini sententiam posita leguntur. Eminent inter ea illud, quæ gravem sancto Doctore intulit injuriam, quasi Concupiscentiam nobis *innatam* vel *connatam* similem esse docuerit *habitu malo multis actibus malis comparato*. Atqui disputavit augustissimus Pater verbis à Bellarmino citatis contra Julianum ad hominem, & ut ex concessis eum constringeret, adque agnitionem ejus perduceret, quod credere verum esse pertinaciter recusaverat, more hæreticorum. Et quomodo sine manifestissimâ contradictione & absurditate potuit Disputator aliàs tam subtilis & attentus, qualis omnium eruditorum consensu fuit Augustinus, & sine irrisione adversariorum certissimâ & acerbissimâ, Concupiscentiam nobis *innatam* similem statuere habitu comparato; *innatam* dico vel *connatam* ei, quod multis demum actibus comparatur? Ponderet hæc & conferat, cujuscunque ingenium permittit, de aliorum dictis judicium ferre, eritque manifestum ex adversaria etiam partis consensu, Bellarminum hæc scribentem & Augustino adscribentem, non solum gloriosissimo & victoriosissimo Disputatori huic multum aestimii per hoc detraxisse, sed & semetipsum turpiter prostituisse, quasi hominem omni judicio destitutum, ad minimum sui insigniter oblitum, & per nimium adversarios oppugnandi zelum ad extrema quævis, etiam absurdissima adactum. Equidem evitare videtur voluisse Bellarminus hanc absurdam contradictionem inventionem alicujus tertii comparationis inter concupiscentiam & habitum per multos actus comparatum. Sed quidquid sit de hoc *tertio comparationis*, quod quoad remissionem & non imputationem Concupiscentia in parvulis & malorum actuum in adultis aliquem potest habere locum; ipsa tamen comparatio Concupiscentia nobis *innata* vel *connata* cum habitu multis actibus malis *adquisito & contracto*, quam Augustino perperam adscripsit Bellarminus, quomodo etiam cunque pingatur, absurdissima & contradictoria est & manet. Ita pariter est absurdum, quod Bellarminus porò infert, augustissimi Doctore mentem amplius pervertens, dum quasi certum lectori ausus est proponere, *eum, qui malos contraxit habitus, non esse reum proprie, quia malos habitus illos habeat, sed quia malos fecerit actus, unde malus habitus processerat*; atque sic hominem; *qui habet Concupiscentiam, non esse proprie reum ratione Concupiscentia, quasi peccatum sit illam habere, sed ratione peccati, quo ipsa Concupiscentia sit facta*. Ergo, id quod justissimâ exinde deducitur consequentiâ, qui per crebros quotidianæ inebriationis actus contraxit vitium damnatæ ebriositatis, habitum inter morales non ultimum, sed ferè primum, reus proprie non erit, quia malum hunc habet habitum, sed tantum quia malos fecit actus, unde malus ille ebriositatis habitus processit. Ergo, quod amplius ex Bellarmini sequitur illatione, Concupiscentia in nullo hominum, etiam irrogenitorum & ante Baptisum, impetratamque in eo remissionem peccatorum, habet rationem peccati proprie dicti, præterquam in solis Parentibus protoplastis, utpotè in quibus solis Concupiscentia verè originalis fuit, à primo actuali peccato orta. Atqui, ut de prioris absurditate nemini non obviâ & in oculos incurrente non dicam, cujus omnino debuit pudere tam insignem Ecclesiæ Romanensis Athletam; posteriore consequentiâ directè Augustini sententiæ oppositam esse, ex hætenus laudatis ejus testimoniis pluribus Luce Solis meridiana est clarius, ut mirum & hic videatur, quâ potuerit Bellarminus Patri Sancto tam peregrinam & adversam sine expresso rubore, absque manus titubatione mentem adscribere, eamque prolixius, eodem Doctore augustissimo non semel ad partes vocato, defendere, confictis etiam ad clarissima ejus in partem contrariam testimonia non tam responsionibus, quàm vanis illusionibus, de quarum nullitate vel tribus agendum est verbis, cum pleraque jam sint in antecedentibus excussa. Opponit nimirum Bellarminus & separat, quæ Augustinus connectit & subordinat, dum scribit, Concupiscentiam

vocari ab Augustino iniquitatem *vel* quia talis sit formaliter, *vel* certè materialiter, cum tamen utrumque hic locum habere ex Augustini verbis pateat, quibus vim infert Bellarminus, dum ex eis satagit elicere, Concupiscentiam *soli*us carnis propriè & formaliter non esse iniquitatem, Concupiscentiâ *soli*us carnis ad mentem Bellarmini hic non attentâ. De cætero noster iterum est Bellarminus, dum hanc Concupiscentiæ infirmitatem, quam solum materiale ex hypothesi vult esse iniquitatem, puniendam dicit, nisi esset expiata, *propter reatum quod facta est*, nisi quod & hic in gratiam opinionis suæ subjungit, dici Concupiscentiam facere reum, non quod absolute illam habere sit peccatum, *sed quia peccatum sit, illam ex propria habere culpa*, de quo ante. Nobis etiam non adversatur, dum porrò ad mentem Augustini scribit Bellarminus, per eum reatum, quo Concupiscentia est facta, ab ipsa Concupiscentia hominem fieri reum, *donec non veniatur per Baptismum*; modò non exclusivè hæc intelligantur. Atque sic etiam grati acceptamus, quod porrò monet, Augustinum loqui de Concupiscentia, quatenus ea efficit habitum totalem corruptum & totalem naturæ & omnium ejus potentiarum corruptionem, quæ hominem facit reum, *etiamsi tantum insit, & nihil operetur, ut in infantibus*. Sequentia addantur, & adparebit, Bellarminum non pauca contra semetipsum in gratiam Evangelicæ veritatis scripsisse, semper tamen intermixtis quibusdam, quæ mentis inconstantiam apertè produnt.

Jam *secundi generis* testimonia ex Augustino ut vindicentur, quæ Bellarminus non magnas habere vires existimat, ad quod vis eorum separatim respondit quidem, sed ita, ut sæpius eadem non sine lectoris fastidio repetierit. *Ad primum* respondet per instantiam, quod si Concupiscentia idèd, quia ab Augustino non bona, non sancta, sed mala dicitur, dici debeat peccatum, Angelos quoque malos dici debere peccata, ut potè non sanctos, non bonos. Sed scire debuit & meminisse Bellarminus, si doctus voluit videri disputator, aliam esse denominationem habitus homini inharrentis, aliam ipsius hominis illo habitu præditi; vel ut rationem Grammaticam fiat hic respectus aliud esse, dici malum substantivo, aliud adjectivo sensu, dum Concupiscentia originalis dicitur mala sensu substantivo, id est, malum ipsum, quod homini à primâ origine inharret, Angeli autem lapsi dicuntur mali adjectivo sensu ob amissam bonitatem concretam & intellectam loco ejus detestandam pravitatem & incorrigibilem malitiam. *Ad secundum* distinguit ex Augustino inter mala corporis, ut morbos inquam, persecutiones, & mala animæ, ut immoderatas passiones, quas esse dicit vitiorum incentiva, non propriè culpas aut peccata. Sed præterquam, quod hac distinctione ad id probandum opus non fuit, Bellarminus & hic sibi met est contrarius, dum Concupiscentiæ passiones vocat animæ mala, quas supra non semel solius esse carnis dixit, non verò etiam mentis & animæ. Neque destruit, sed potius adstruit & confirmat Textum glossæ Chemnitii, Concupiscentiam non tantum esse malum pœnæ, sed & malum culpæ, Augustino id verbis antè laudatis significante, dum eam & peccati effectum, & peccati causam, & ipsum quoque peccatum esse scripsit apertissime & ita formaliter, ut contra solam materialitatem Bellarmini possit sufficere. *Ad tertium* suæ inseruit hypothesi Bellarminus, negans, omne, quod opponitur virtuti, esse peccatum propriè dictum, & dum Chemnitio novam objicit Dialecticam, novam se tradere Ethicam, inque Philosophiâ Morali se non benè institutum ostendit. *Ad quartum* pariter ratione ad discrimen inter vitium & peccatum provocans, ludit vocabulis eorumque significationibus, volens quidem subtilitate philosophicâ rem suam juvare, quam tamen oblitus accuratioris Theologicæ plus reddidit suspectam, non attendens, nomine peccati in Scholis Philosophorum venire tantum actuale, non autem originale, de quo hic agitur, & cujus consideratio non nisi ad Scholas pertinet Theologicas, si ordine sit procedendum. *Ad quintum* dum agnoscit Bellarminus, Concupiscentiam post Baptismum non ita evacuari, ut non sit, sed ut ratione adnexi reatus non oblit mortuo, quæ inerat vivo, Lutheri ex Augustino defendit sententiam, quam antea calumniosè traduxerat, sui iterum immemor. *Ad sextum* negat quidem, quod & per totam hanc fecit Disputationem, Concupiscentiam propriè & in se peccatum esse, & ratamen fatetur, eam obluetari æternæ salutis; quæ quomodo possint conciliari, hætenus non constat. *Ad septimum*, quod ex Augustino repetit, Concupiscentiam in corpore mortis per Christum Dei gratia castigandam, Evangelicis non obest, sed prodest, exinde enim ostendere & evincere est facillimum, estque hætenus non semel evictum & ostensum, Concupiscentiam esse in se & propriè peccatum. *Ad octavum*

Ad octavum repetit, quæ Augustinus habet de sensu quintæ in oratione Dominica petitionis, in quâ tamen non modò actualium, ut vocantur, peccatorum, sed Concupiscentiarum quoque, etsi sine accedente consensu, rogari remissionem; ex pluribus Augustini testimoniis supra est confirmatum. Quæ de impudentia Chemnitii subiungit Bellarminus, in eum meritò retorquentur, ut ex institutâ locorum collatione est manifestum. *Ad nonum & ultimum* Chemnitio iterum infert injuriam, quasi alienam Augustino adscripserit mentem, videlicet post Baptisimum remanere aliquid quod verè & propriè sit peccatum, cum tamen ex adductis non parè Augustini testimoniis aperitissimè constet, augustissimum Patrem id constanter docuisse, neque hanc sententiam in retractationibus mutasse.

Super jam adhuc sunt *tertiæ generis* testimonia ex Augustino, quæ Concupiscentiam expressè dicunt esse peccatum, quæ ut eludat Bellarminus, operosè laboravit, nihil relinquens intentatum, illud præprimis urgens, quod idem Augustinus alibi locorum neget Concupiscentiam esse peccatum, & ubi scribit, eam esse peccatum, rationem addit, quia insit ei inobedientia contra dominatum mentis, hac non semel repetita observatione, ne Augustinus Concupiscentiam mox affirmans, mox negans esse peccatum, inconstans videatur, necessariò dicendum esse, ubi negat esse peccatum, vocabulo peccati eum uti significatione propriâ & formali, ubi autem affirmat esse peccatum, uti vocabulo hoc significatione impropria & largo quodammodo, id est, ut aliàs explicat, materialiter solum. Sed non video, qua ratione Augustinus ab inconstantiâ & adfectatæ obscuritatis labe possit excusari, si uno eodemque vocabulo, in una eademque Controversia & Disputatione mox largiori, mox strictiori, mox materiali, mox formali, mox proprio, mox improprio usus est sensu. Fieri certè id non potuisset, quominus ab adversario gravissime adfaretur, tanquam fraude non pia rem hanc tractans, nemine certo & indubio, quo significatu, hoc velillo, uteretur; quod tamen in omni Controversiarum tractatione & Disputatione est quam maxime necessarium, si seriò res agatur. Neque est committendum, ut Augustino tale quid imputetur, qui tam sincerè semper boni & legitimi Disputatoris partes est tuitus, ut adversarii hac in parte nihil ab eo potuerint desiderare, non intermissuri, si quidquam ab eo minus rite fuisset commissum, Disputatorem veritatis studiosum dedecens. Id verò est, quod in diversis Augustini locutionibus, quibus Concupiscentiam mox affirmat, mox negat esse peccatum, venit observandum, scilicet, ubi negat esse peccatum, intelligere eum actuale, ubi affirmat esse peccatum, intelligere eum originale peccatum, quod ex collatione locorum, ac diligenti eorum inspectione, id est, antecedentium & consequentium attentâ consideratione lectori veritatis studio constabit. Etsi hoc advertatur, sicut omninò advertendum est, facili operâ eludi poterunt, quæcunque Bellarminus porò contra veritatem manifestissimam finxit, ut ut vi ejus non tarò victus, ei invitus etiam præbuit testimonium. Sufficit nimirum, quod non potuit non agnoscere, *in esse Concupiscentiæ inobedientiam contra dominatum mentis*, in homine videlicet regenito; quod quid aliud est, quam descriptionem peccati propriè dicti exhibere? Pertinet etiam ad hoc, quod Augustinum contra Pelagianos scribit coactum dicere, Concupiscentiam esse peccatum, id est, *rem in se malam & vitiosam, qualia sint peccata morum, quæ propriè dicuntur peccata*, quo egregiè Evangelicorum descripsit sententiam Bellarminus. Accedit, quod negare non potuit, propositum fuisse Augustino, contra Pelagianos Concupiscentiam originalem nihili æstimantes ostendere, *posse id, quod est pœna & causa peccati, simul etiam esse peccatum, sive propriè, sive impropriè*, & largo quodammodo: Nos Evangelici stamus pro significatione propriâ, quæ hactenus ex pluribus testimoniis fuit demonstrata, dum Bellarminus impropriam nullo hactenus liquidam facere potuit. Cætera quæ ex more interferit hypothesi, quam defendit, inservientia, itidem ex antecedentibus possunt enervari: sæpè enim eadem repetere opus non est.

Atque idem statui debet de responsionibus Bellarmini ad rationes Evangelicorum, quibus post oracula scripturæ & Augustini testimonia demonstratur, concupiscentiam originalem in renatis esse peccatum verè & propriè dictum, ejusdem Augustini autoritate non semel occurrente, ut adeo paucissimis & perquam breviter eas vindicare liceat. Et quidem *ad primam* Bellarminus respondet principium petens, quasi Augustinus Concupiscentiæ motus ideò dixerit illicitos, non quia non liceat eos animo pati invito, sed quia non liceat eis præbere consensum. Verùm supra ex non uno Augustini testimonio vidimus, ipsum concupiscendi motum & actum, etiam sine consensu ac-

su accedente, in se esse illicitum & hinc verè peccatum, quod tam diu fiat immo-
 tum, donec aliquis Bellarmini hyperaspistes ex Augustino docuerit contrarium. *Ad*
secundam urget, quod sæpius antehac factum, peccati rationem in voluntate, sine quâ
 peccatum propriè dictum agnoscit nullum; & hinc quia concupiscentia in renatis ei-
 dem contrariis non est in eorum arbitrio, peccatum propriè dictum dici non
 posse putat. At neque peccatum omne voluntarium esse, neque concupiscentiam
 benè dici involuntariam, ad nauseam ferè hætenus est inculcatum, Augustino nun-
 quam non præbente consensum. *Ad tertiam* plus ultra progreditur Bellarminus, &
 non contentus scripsisse, concupiscentiam & primos ab ea motus non esse in hominis
 arbitrio, addit, desiderium Adulterii voluntarium, imò ipsum opus Adulterii pariter
 voluntarium aliquandò non esse in potestate nostrâ immediate, quia nimirum Dei ju-
 dicio deserti vires non habeamus, quibus cogenti resistere valeamus cupiditati; quo
 contra mentem augustissimi Doctoris nihil dici potuit alienius. *Ad quartam* repe-
 tit, Deum odisse concupiscentiam in nobis, non ut peccatum, sed ut languorem ex pec-
 cato relictum, de quo tamen supra ex consensu Medicorum est ostensum, ipsum lan-
 guorem à morbo profectum, cum præprimis, qui habitualis est, & homini pertinaci-
 ter inhæret, morbum verè dici & esse, & hominem occidere tandem. *Ad quintam*
 ostendit Bellarminus, se vim consequentiæ in eâ non attendisse. Nam ideo dicitur,
 omnem pœnam, videlicet justam esse à Deo, ut evincatur, concupiscentiam non so-
 lum esse peccati pœnam, sed simul quoque peccatum, quia non est à Deo. Et dum
 Bellarminus infert per instantiam, mortem ex hoc corporalem dici debere non tan-
 tum esse pœnam, sed & pœnam, quia non sit à Deo; rationem rationis neglexit, & con-
 clusioni aliam sine antecedente ratione opposuit, id quod est contra logicorum regu-
 las. *Ad sextam* quoque respondet per instantiam, quâ tamen adeò nihil lucratur, ut
 causam potius juvet Evangelicorum, quibus hanc rationem sextam, nescio, unde de-
 sumtam supposuit. Si enim respectu eodem ignorantia rerum necessararum ad aternam
 Beatitudinem & originalis concupiscentia sunt consideranda, juxta Augustini
 mentem concupiscentia erit peccatum propriè dictum, quia ignorantiam hanc spiri-
 tualem ita descripsit, ut non possit non inter peccata propriè dicta referri. Tandem
ad rationem septimam, ex iis ultimam, quas autoritate Augustini laboravit infringere
 Bellarminus, eadem utitur instantiâ de spirituali ignorantia, ac ideo etiam responsio
 eodem dimittendus, ut nimirum aliquando post moram in hac controversiâ longiorem
 ad portum liceat venire, lector non ulterius detinendo, sed ad sequentia admittendo,
 quæ portò non parcam desiderant operam, ut Augustinus sinistre ut plurimum intel-
 lectus & obtorto sæpius collo ad partes tractus sibi & Evangelicis postliminio restitueretur
 ex debito. In quo labore semel Dei gratiâ suscepto & hucusque ejusdem favore con-
 tinuato antequam progrediar, monendum duxi, venisse inter hæc præter alia in ma-
 nus, recens opus Henrici de Noris, Veronensis Augustiniani, de Historia Pelagianâ &
 quintâ Synodo Occidentium cum Vindiciis librorum ab Augustino contra Pelagianos
 & Semipelagianos scriptorum, Patavii ex superiorum permisso editum, in cuius par-
 te postrema contra eos agit prolixissimè, qui augustissimo. Doctori & antilogas, &
 excessus, & errores in Doctrinâ; pluribus adductis scriptoribus, imputantur, circa ex-
 cessus primo statim loco contra Antoninum Moraines, alias Iohannem Martinonum,
 ejusque Anti-Jansenium, disquirens, An excesserit Augustinus scribens, Concupiscentiam
 rationi contrariam esse malam & defectam naturæ humane ex originali peccato ori-
 tum? In cujus Questionis discussione, quamvis cum Bellarmino ad mentem Synodi
 Tridentinæ & ejus Interpretum observet in antecessum, Doctorem sanctum non esse
 arbitratum, Concupiscentiam esse peccatum, sed esse veluti habitum vitiosum ad malum in-
 clinantem; nemo tamen ex adductis contra Bellarminum responsionibus ut spero suf-
 ficientibus non videt, menti Doctoris augustissimi esse hæc adverte, nec quadrare ad
 Controversiæ statum, qui inter eum & Pelagianos versabatur tum. Accedit, quod
 ipsum hoc videantur agnovisse, qui ex recentioribus cum Moraino vel Martinone
 hanc Augustini sententiam rejiciunt, non rejecturi, si cum Tridentinâ Synodo con-
 sentiret; objicientes, excessisse illum disputationis astu, & in odium hærescos, quam impu-
 gnabat, interdum ad extrema declinasse. Si enim excessit & ad extremum declina-
 vit, & ita quidem, ut alterum extremorum pertinuerit ad sententiam Pelagianorum,
 qui concupiscentiam contendebant esse perfectionem ac Bonum naturale, mediâ
 inter utramque viâ per Synodum Tridentinam inventâ, non esse obicu-
 rum

rum est, ex horum mente Augustinum propius accessisse ad partes Evangelicorum, quorum doctrina de concupiscentia originalis quidditate & qualitate hactenus contra Bellarminum ex Augustino est confirmata, de qua iure meritoque mea facio verba, quibus modo laudatus Doctor & Vindex Augustinianus contra S. Patris accusatores utitur, *cum videlicet hanc de concupiscentia sententiam passim & ubique, & solidissime, quidem ac constantissime inculcare; neque eidem excidisse quasi aliud agenti, sed totis eam viribus contra hereticos serio ac consulto propugnasse, & si Augustinus excessisset, eodem vitio antiquam laborare Ecclesiam, quæ eandem & ante Augustinum & cum Augustino secuta sit sententiam, quæ omnia præsentī infervere possunt instituto, hic autem non uberius diducenda.* Id tantum insuper addo, quod idem Augustini Hyperaspistes porro observat, fuisse inter propositiones *Michaelis Baij*, Professoris antehac Lovanientis, à sede Romanâ damnatas numero & ordine septuagesimam & quartam, *quod concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, sit peccatum;* quod etsi idem cum Tridentinâ Synodo dicat esse falsissimum, mox tamen in continuatâ Augustinianæ mentis expositione sibi ipse ipsi contra-scriptit, Augustinum sensisse, *concupiscentiam secundum se vitium, & non solum vitiatam esse; ut ut sibi sufficere dixerit, si Heretici, nimirum Pelagiani, id saltem concederent, eandem esse vitiatam, ut inde peccati originalis vulnus adpareret.* De cætero, quod atinet propositionem *Baij*, fortè eam referre licebit inter eas, de quibus Bulla damnatrix à *Vasquezio* in paulò antecedentibus laudata concessit, *quod non-nulle earum aliquo modo sustineri possint.*

Atque sic, quod ex superabundanti accedit, erudito & citra præjudicium judicare num. 1. docto lectori potest patere, quid statuendum sit de *Stapretioni* pronuntiato, qui in opere prolixissimo, de *justificatione* quod post præscripta evolvere demum est concessum, circa *Augustini* in hac Controversia mentem sequentia scribere non est veritus: Augustinus, cum contra *Pelagianos* (qui & originale peccatum negabant, & ideo hanc concupiscentiam naturalem esse dicebant, vel si præter naturam ex peccato fuit inventa, maneatque tanquam pœna, propterea laudabilem esse voluerunt, tanquam virtutis materiam; qui etiam sine peccato hominem in hac vita vivere posse, & quamplurimos de facto vixisse dogmatizabant) multa scriberet, quamque illi per commodum fuisset, ad *superbiam Pelagii* retundendam, *Baptismi gratiam extenuare, docereque, quod hodiè docent heretici, manere etiam post Baptismum hanc in nobis concupiscentiam, ut veri nominis peccatum, ideoque nec esse illam laudabilem, neque in hac vita quinquam esse posse sine peccato, contra tamen disertissime semper docuit, & in Baptismo omnia deleri peccata, & hanc concupiscentiam per se nullo modo vere & proprie peccatum dici.* Et quamvis in sequentibus prolixè conetur respondere ad ea *Augustini* loca, quæ *Chemnitius* pro sententia Evangelicorum collegit, & vice versa responsiones eludere ad ea *Augustini* testimonia, quibus adversaria pars ad erroneam opinionem cunctis viribus stabiliendam solet uti, vel potius & rebus abuti, diligens collatio tamen ostendit, eum præter ea, quæ *Bellarminus* attulit, nihil habere, adeoque novum refutationis laborem non requirere.

Constat quia etiã ex ante dictis, qua contradictione laboret observatio *Romei*, scriptoris Ignatiani, quam digressio de justificatione, operi, quod *Effigiem Calvinii* exhibet, inserta sistit, cum adplicatione quam maximè incongruâ, dignâ, quæ hic etiam cum cæteris legatur. Ita autem post explicatum *reatus* vocabulum è scriptoribus Ecclesiasticis, quod videlicet ipsam significet culpam, hac margini adposita notatione, aliter *Vasquezium* sentire & intelligere: *An & si S. Augustinum interpretabimur, quàm originale peccatum in reatu constituit, quàm dicit peccata, donec remittantur, actu præterito manere reatu, contra verò concupiscentiam in renatis manere actu, transire reatu? Sic opinor. Est enim reatus culpa, qui hominem formaliter constituit peccatorem, & est reatus pœnæ, qui ex reatu priore, tanquam effectus ex causa, resultat, quem Scholastici intelligunt Theologi, quàm de reatu disputant, ut D. Thomas, & sic accipere videtur S. Hieronymus. Quod autem S. Augustinus reatum culpæ intellexerit, patet primò, quia sic loquitur in opere de Nuptiis & Concupiscentia: Hoc est non habere peccatum, reum non esse peccatis (non dicit, reum non esse pœnæ.) Nam si quisquam verbi gratia fecerit adulterium, etiamsi nunquam faciat deinceps, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum &c. Et infra. Sed quomodo manent, si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu? Sic ad eundem ferè modum in opere contra Julianum loquitur. Secundo, quia alioquin destrueret peccatum origi-*

lib. III. c. 3. p. 59.

§ 6. in Notis p. 517.

lib. 6. c. 26.

originale, quod summis viribus ubique conatur adstruere; nam reatus pœnæ non est peccatum. *Tertio*, quia ex parte sentiret cum Pelagio, qui aliquem peccati effectum in parvulis agnovisse videretur. *Quarto*, quia hoc esset incidere in opinionem, quam *Scotus* postea docuit, post actum peccati præteritum nihil remanere in peccatore, nisi deputationem ad supplicium &c. *Maneat ergo*, D. Augustinum reatus nomine ipsam *habitualem culpam intelligere, quæ quia moraliter tantum manet, & non physice, collocatur ab ipso in occultis Dei legibus, quæ conscriptæ sint quodam modo in mentibus Angelorum. Atque hæc observatio contra Lutheri &c. hæresin nos munit, qui volumus peccatum originale actu manere reatu transire, quia nimirum non imputetur, quando in homine sit & vivat &c.* Mirare, lector Evangelice, observationem in se bonam, non ritè intellectam, multò autem pejus adplicatam. Sed hoc erroris est proprium, ut etiam id, quod bonum videtur habere, male possideat, & non nisi eodem pessime abutatur.

Incidit post hæc in alium quendam scriptorem ordinis Lojoliticæ, Philippum Monceum, Parisinum, qui de sententia Augustini circa hanc Controversiam de reatu peccati originalis contra Vasquezium, cujus etiam, ut in margine tantum, Romæ fecerat mentionem, sequentia notavit: Venio ad sententiam, quæ ponit, originale peccatum esse reatum, quæ quidem est Augustini locis pluribus, quibus de peccato originali loquens concupiscentiam adfert, significatque, eam esse illud peccatum, non secundum se sumtam, sed ratione conjuncti reatus; unde quia per Baptismum tollitur tota formæ ratio ejus peccati (scribuntur hæc juxta hypotheses receptas) sive id omne, in quo consistit illa, ait, concupiscentia remanente tolli reatum, quem proinde solum existimat esse labem & moralem malitiam peccati originalis. Jam verò Vasquez noster reatus nomine Augustinum putat intellexisse obligationem pœnæ luendæ, aut certe dignitatem illius; quam si intellexisset Augustinus, hanc ejus opinionem optimo jure coargueret Vasquezius, cum ex ea sequatur, nihil re verà esse in parvulis, quod rationem peccati habeat, cum neque obligatio pœnæ luendæ, nec illius ipsius pœnæ dignitas sit formaliter peccatum aut mala moraliter, ut de obligatione, patet facile, cum ipsa sequatur prædictam dignitatem, quia prius est quemlibet penam mereri, quam obligari ad eam luendam, nec fieri omnino possit, ut Deus quenquam obliget, qui non ante intelligatur dignus obligari. De eâ dignitate quoque res est similiter planè certa, eodem modo enim dignitas pœnæ se habet ad peccatum & malitiam moralem, quo contraria remunerationis dignitas & meritum gloriæ se habent ad opus studiosum ac moralem Bonitatem & Sanctitatem. Sed hæc dignitas confertur Bonitatem moralem, Meritum quoque istud, opus studiosum, estque propterea quædam ejus passio, ut ex S. Thoma constat. Igitur & illa etiam dignitas pœnæ malitiam sequetur, & passio ejus erit, in quantum scilicet non potest quisquam intelligi pœnæ dignus, nisi peccato præsupposito, quod vel adhuc sit, vel antea certè fuerit, ratione cujus ea dignitas tanquam ex propria radice & fundamento exurgat. Hujus universæ doctrinæ ratio est à priori, quod dignitas consistat formaliter in commensuratione, & sit relativa quædam comparatio ad præmium pœnæ, vel relationes verò omnes, ut exurgant, requirant aliquod fundamentum præcedens, quod in præfenti non esse potest aliud, quam Bonitas vel Malitia moralis. Nec verò objicias, dici communiter, non esse malum, subire pœnam, sed, dignum fieri pœnâ, quo videtur significari, ipsam pœnæ dignitatem esse malitiam moralem; nam hoc revera non significatur, sed solum, malum esse id facere vel habere, unde consequatur & quasi ex fundamento ac radice expurgat & pullulet ea pœnæ dignitas. Porro pro explicatione Augustini, quem difficile creditur est non vidisse argumenta, quibus usus sumus, aut eorum vim non penetrasse, notandum est, duplicem esse reatum &c. Postquam vero, quod Romæ fecisse vidimus, reatum culpæ Augustino adscripsit, de sententia ejus hæc ulterius addidit: Verum est, hoc in particulari non declarare Augustinum, quod formaliter sit peccatum illud, & in quo propria & peculiaris ratio ejus consistat. Sed hoc etiam Augustinus non admodum curavit, satis sibi putans esse, veritatem Eidei Catholicæ de existentia & propagatione peccati originalis contra Pelagianos mereri. Itaque nobis adhuc per illum licet, quidquid libuerit, sentire de formali ratione originalis culpæ, modo defendatur verum esse peccatum, & non ipsammet esse concupiscentiam, quippè quam ipse expressè prædictam esse culpam negat. Sic nimirum, qui semel veritatem abjurarunt, ejus tamen non planè in te desiderium sentientes, in-

in quart.
Sentent.
distinct. 14.
Quest. 1.
S. Dico
ergo &c.

Disp. 7. in
Thomam,
part. II,
c. III. p.
454. &
seqq.

Disp. 132.
cap. 3.

quest. 21.

Vespertilionum circa Lucis radios circumvolitant, & dum *Augustini* vestigia student premere, ab iisdem ob præconceptas aliunde opiniones procul recedunt, e jusve mentem ab aliis jam præoccupati non capientes, plenariam in statuendo arbitrii libertatem imaginantur sibi, quam ante Augustinum *Paulus* dudum voluit sublatam, omne id, quod de originalis peccati & concupiscentiæ formali ratione sciendum est, iis loquendi formulis dictante Spiritu Sancto includens, à quibus discedere nemini sine gravissimo læsæ Majestatis divinæ reatu unquam licet.

Quia sub finem hujus Controversiæ, post prolixam ejus discussionem contra Bel-
larminum, mentio facta est *Henrici de Noris*, quid nimirum is post alios de eadem sta-
tuerit ex Augustini sententia, ac inter id nactus is est Adversarium de domo propria num. II.
non unum, sed plures, interque eos *Fulgentium Risbrochium*, nomine, quem verò
Franciscum Macedonem esse, ab Illustri quodam inter Italos Viro sum edoctus, peculiari
quodam scripto demonstrare conantem, *Henricum de Noris* Augustino injurium esse,
sub initium operis triplicem ei Manichæismum adscribendo; Utur præsentis Instituti
non sit, hujus vel illius agere partes, (videant fratres Cadmei, quomodo aut reconcili-
entur, aut ulterius committantur) dum verò Augustini intercedit authoritas, præter
rem fore non puto, si paucis porro doceatur, quibus propior vel remotior sit Doctòr
augustinissimus, & num à *Noriso* tam grandis injuria Patri sancto sit inflata, in hujus qui-
dem Quæstionis puncto, de cæteris solliciti suo futuri loco. Et primum quidem Ma-
nichæismum in sequentibus verbis esse putat Risbrochius: *Sanctus Doctòr nusquam
vocavit Concupiscentiam bonam, sed ubique malam dixit, ut plane evidens fiat, secundum
propriam essentiam esse malam, non verò secundum imperfectionem annexam.* Se-
cundum in illis statuit, quibus existimat *Norisum* Augustino sensum adtribuere
Manichæum. Verba sunt prolixiora, sed tamen adscribenda, ut caput accusa-
tionis innotescat eò melius. Continent ea & oppositionem ex loco quodam Au-
gustini, & *Norisi* responsum. Textus ita habet: *Opponunt*, (adversarii) *Au-* lib. I. Re-
gustinum dixisse, Quamvis ignorantia & difficultas, (loquitur de difficultate or- tract. c. 9.
ta ex concupiscentia) etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed
laudandus esset Deus. Ergo, inquit ex Augustino, laudandus esset Deus, tametsi ho-
minem creavisset absque perfecta concupiscentiæ subjectione. In uno hoc tam claro, ut
ajunt, Augustini testimonio sibi victoriam canunt, cum tamen sanctus Doctòr innumeris
locis oppositum adseruerit, nec ibidem, ut ipsi perperam arbitrantur, ipsorum sententiam
docuerit. Etenim sanctus Doctòr eo loci contra Manichæos disputabat, qui dicebant,
concupiscentiam esse malam, & impossibile esse, sine illa hominem produci, & cum à Deo
bono creari nequeat, malam quandam naturam omnium malorum productricem commen-
tabantur. Augustinus, ut eosdem refelleret, hypothesei utramque gratia disputationis
admisit, nempe, hominem cum Concupiscentia creatum, & sine istà nequaquam creari po-
tuisse, Urgebat verò hæreticos, etiam tunc Deum fore laudandum; nam nulla culpa Dei
fuisset facere, quod fieri non poterat. Manichæos autem putasse, impossibile esse, condi-
hominem sine concupiscentia mala, testatur sanctus Doctòr in opere contra Iulianum.
Igitur in illa hypothesei adhuc esset laudandus Deus, ut libro tertio de libero Arbitrio pro- lib. I. c. 3. &
batur ab Augustino. Huic secundo Dogmati prolixum per aliquot capita opponit re- l. III. c. 12.
sponsum, quod secundum lemma capituli primo præscriptum in eo consistit, *Manichæos
non ausos fuisse hypothesei admittere, quam Henricus Noris ausus sit adfirmare, Augusti-
num admisisse.* Falso imponi Augustino ab eodem, sumta esse primordia naturalia, in
sensu Manichæi, de Concupiscentia per se mala; contrarium probari ex iisdem locis, quos
allegat Noris, qui continent sensum concupiscentiæ non mala, in sensu potius Pelagiano,
quam Manichæo, idque evidenter probari ex duobus aliis, capituli undecimi & duodeci-
mi in libro de Dono Perseverantiæ, quos Noris non vidit. Falli cum adfirmandos in
uno tantum loco, videlicet libro tertio de libero arbitrio de illa hypothesei Augustinum
egisse. Lemma capituli ultimi de hoc Dogmate sequens est, *Concupiscentiam secun-
dum essentiam malam in sensu Manichæo Noris statuisse, & ab errore Manichæismi nulla
ratione liberari posse eum.* Tertium Manichæismi Dogma in his Norisii verbis po-
nit Risbrochius. *Concupiscentia, prout est pœna, honestè à Deo intenditur, ita mors
mala est homini.* Huic sequens opponit lemma: *Posita sententia Noris, Concupi-
scentiam non posse à Deo intendi, etiam ut est pœna peccati, quemadmodum peccatum,
quod est pœna peccati, nequit intendi à Deo.* Atque hæc sunt illa accusationis gravif-
simæ capita, quibus Noris Antagonista hic suppositivus &, quod ex multis adparet

circumstantiis, conductus ab aliis, nescio, quomam stipendio, triplicis Manichæismi circumstantiis, conductus ab aliis, nescio, quomam stipendio, triplicis Manichæismi reum sistit orbi literato, & ita quidem, quasi eadem Dogmata Augustino præter debitum adscripserit. Meum, ut dixi, non est, *Norisi* partes suscipere defendendas, habet ætatem ad hoc munus maturam, ut quæ semel ex suo & Augustini sensu scripsit, non volitante calamo scripsisse se, ostendat. Si tamen aliquid in gratiam veritatis, si ne prolixiori locorum utrobique citatorum examine, quod eidem volo reservatum, dici debet, videtur *Norisi* grandis inferri à conductio hoc Augustini defensore injuria, quod manifestum est è præscripto *Lemmate* superius adducto, ubi hanc Augustino adscripsit sententiam, videlicet, *Concupiscentiam rationi contrariam esse malam, & defectum humanæ naturæ ex peccato originali ortum, neutiquam verò bonum naturæ illius.* Hoc si attendatur, uti omnino attendendum est, omnia per se cadunt, quæcumque eidem ex animi impotentia ab invidio hoste imponuntur. Et quando scripsit *NORISIUS*, *nulla culpa Dei fuisse, facere, quod fieri non poterat*, ipse agnovit ex contextu Antagonista, deesse particulam *aliter*, adeoque legendum esse, *quod aliter fieri non poterat*, ut ita suis verbis constet sensus, non tam malus, si æquus accesserit interpretis. Præterea tertiæ lemmatis verba pleniori textu sic leguntur: *Concupiscentia, prout est pœna, honestè (id est, justè) à Deo intenditur, at mala est respectu hominis, cui instigatur, ita mors mala est homini, bona respectu Dei illam decernentis in penam peccati.* Judica lector erudite, annon vis aperta verbis non ita obscuris sit inlata. Ego nunc manum de hac etiam tabulâ, digito hanc quoque concordiam inter fratres Cadmæos de Augustini autoritate discordem indicasse hac quidem vice contentus.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De

QVÆSTIONE,

An peccatum Originis rectè in positivo à quâdam qualitate constituatur?

Agit quidem Bellarminus hic directè non contra Evangelicos, sed contra Catholicos, ut vocat, scriptores, quibus *incommodam* adscribit sententiam, quæ videtur etiam error dici posse, & quamvis ex parte conveniat cum errore Lutheranorum, in eo tamen differat, *partim*, quod Lutherani non agnoscant ullam superadditam qualitatem, sed eam potius rideat Philippus in Apologiâ Confessionis; *partim* quod Lutherani Concupiscentiam post Baptismum ex naturâ suâ peccatum proprie dictum esse velint, quod *Authores illi minime concedant.* Meum non est hic, ut in multis antecedentibus Controversiis, Doctores Papæos à se invicem dissidentes reconciliare; sed quia hæc Quæstio à quibusdam Philosophis pariter & Theologis inter Evangelicos papaverientibus & amplius debito Scholastica disputandi methodo addictis sub initium hujus sæculi & nuper demùm cum singulari motu animorum fuit agitata, idè præter rem non erit, eandem hic breviter repetere, & ex instituto videre, à quorum partibus steterit antehac *Augustinus*, utpotè quem sibi hic etiam voluit proprium Bellarminus, plurimum in eo occupatus. Ante verò, quàm Catholicorum, quos dixit, resinet ex autoritate Augustini sententiam, ex more quædam præmittit ad statum Controversiæ omnino aperiendum, Augustini mentione non semel facta. *Primo* sciendum monet, *Concupiscentiam non semper eodem modo accipi in scripturis.* Interdum significat re adpetitum boni in universum, quâ notione multæ Concupiscentiæ bonæ inveniuntur, Augustino monitore. *Rursus*, Concupiscentiam aliquando significare actum, aliquando potentiam. *Addit*, nam & Concupiscentiam dicimus ipsium desiderium motum, ut patet ex Augustino, & ipsam vim seu potentiam adpetendi bona sensibilia, ut patet ex eodem Augustino. Et hoc modo, *pergit Bellarminus*, Concupiscentia non est mala, sed bona vel indifferens. Nam possumus per eandem vim adpetendi & bene & malè concupiscere, & sine dubio vis adpetendi bona sensibilia fuit in Christo, & in homine primo ante peccatum, & rursus erit in nobis post resurrectionem. Itaque S. Augustinus fatetur, non ita accipiendam esse Concupiscentiam, cum agitur de peccato originis. *Subjungit*, est igitur alia Concupiscentiæ notio, quâ Concupiscentiam adpellamus vitium, quo prout sunt homines ad adpetenda bona sensibilia con-

Conc. 8. in
Pl. 118.
l. 6. in Jul.
c. 8.
l. 4. in
Eund.
c. 14. &
l. 6. c. 7.

tra rationis ordinem. Et hoc modo accipitur Concupiscentia passim ab Augustino in libris adversus Pelagianos. *Alibi scribit, Concupiscentiam non esse substantiam, sed substantia vitium. Et apertius, ego, inquit, tanquam valetudinem malam ex origine vitiatam ingenitum esse dico homini vitium, quo caro concupiscit adversus spiritum. Iterum alibi, Non, inquit, Concupiscentia substantialiter manet, sicut corpus aliquod aut spiritus, sed adfectio est quaedam malae qualitatis, sicut Languor. Et, carnem adpellavit, nimirum Paulus ubi est quidam morbidus carnis adfectus, non ipsam corporis conformationem. Deinde sciendum monet Bellarminus, istud vitium in carne porrius residere, hoc est, in parte hominis inferiore, quae dicitur sensualitas. Confirmat hoc ex Augustino, de scribit, quod in omnibus libris adversus Pelagianos de Concupiscentia loquens semper ad vitium partis inferioris recurrat. Quod igitur, in membris corporis huius movetur, totumque animum in se dejectum conatur attrahere, & neque, cum mens voluerit, adfurgit, neque, cum mens noluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo. Et alibi, libidinem sive Concupiscentiam dicit esse vitium, quo adpetimus immoderate delectationem omnium sensuum, sed praecipue gustandi & tangendi. Et iterum, huic chirographo, inquit, nascuntur obnoxii omnes in carne de carne carnaliter nati. Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel inferioribus superiora turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur. Denique, ita porro Bellarminus, in omnibus libris contra Pelagianos directe scriptis, cum in singulis ferè capitibus Concupiscentiam saepius nominet, semper ferè pro vitio partis inferioris, quae rebellis est superiori, Concupiscentiae nomen accipit. Caterum, haec pro correctione antecedentium addit, negandum non est, etiam in parte superiore vitium simile reperiri. Nam ea quoque pars animi prona est ad concupiscendos honores, inanem gloriam & alias vanitates, & etiam si nolimus, eiusmodi parit desideria. Quod diligenter notavit S. Augustinus, demonstrans, carnem accipi interdum pro toto homine, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adami, & eum dici carnalem, qui secundum seipsum, non secundum Deum vivit. Ex quo dicit alibi, omne peccatum oriri ex cupiditate male inflammante, vel ex timore male humiliante. Claudat haec praemona sequentibus, Itaque vitium Concupiscentiae licet praecipue in sensualitate, tamen in mente etiam in habet sedem. Sanctus autem Augustinus in libris contra Pelagianos ideo penè de vitio sensualitatis loquitur ubique, quia in ea magis hoc vitium se prodit, non quod ignoraret, etiam in mente locum habere. His praenotatis, ut probet, Concupiscentiam non esse qualitatem positivam, ad Augustini iterum provocat auctoritatem, cujus diversa in medium profert testimonia, eo ordine hic exhibenda, qui placuit Bellarmino ita scribenti: Is igitur, videlicet Augustinus, de Concupiscentia loquens, cujus reatum dicit esse peccatum originale, sic ait, Comparatum homo pecoribus per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturae. Tanta namque excellentiae est homo in comparatione pecoris, ut vitium hominis sit natura pecoris. Item, Libido malum ideo non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, quae caret. Et, ideo in pecoribus malum non est Concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum. Porro, Quod Equo est natura, homini crimen est. Bellarminus hanc subjungit crisi, In his locis Sanctus Augustinus docet, illud ipsum esse in homine vitium Concupiscentiae, quod est in animantibus rationis expertibus natura. Certum est autem, in animantibus rationis expertibus nullam esse qualitatem corruptam, quae sint prona ad concupiscendum, sed solum adpetitum sensivum, qui utique rationi repugnaret, si ratio esset in Belluis. In homine igitur nulla est qualitas positiva praeter ipsam sensualitatem, sed ipsa sensualitas ideo dicitur vitiosa, & est in homine, quia rationi deberet obtemperare, quod etiam faceret, nisi propter peccatum amisisset originalem iustitiam. Praeterea idem Sanctus Augustinus alibi dicit, Concupiscentiam non substantialiter manere, sed sicut languorem; & non esse substantiam, sed substantiae vitium.*

Pro huius intellectu addit Bellarminus, Solet autem Augustinus per substantiam intelligere id omne, quod est in rerum natura, id est, omne positivum. Sic enim scribit alibi. Quod nulla est substantia, nihil est omnino. Idem quoque Author, ubicunque causam Concupiscentiae explicat, semper recurrit ad

1. de pecc. mer. & rem. c. 16. privationem sive absentiam Gratia. Quando, inquit, Adam peccavit, non obediens Deo, tunc corpus gratiam perdidit, quæ animæ ejus omni ex parte obediebat; tunc ille bestialis motus extitit homini pudendus, quem in sua erubuit nuditate. Ex hac igitur carnis obedientia, ex hac lege peccati & mortis, quisquis, carnaliter generatur, regenerari spiritualiter opus habet. Et alibi, Quid, inquit, est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat; Gratia quippe Dei magna erat ibi, ubi terrenum & animale corpus bestialem non habebat libidinem. Idem repetit aliis in scriptis. Subjungit Bellarminus, Vides, in locis, non solum ad Gratia absentiam revocari Vitium Concupiscentia, sed etiam vocari libidinem bestialem, quia illa ipsa libido est in homine vitium, quod in bestiis est natura. Et rursus, idem magnâ Dei gratia factum esse in Paradiso, ut terrenum & animale corpus libidinem non haberet, quia ex se & naturâ suâ libidinem fuisset habiturum, nisi magna illa gratia, ne haberet, impedivisset. Non igitur accessit mala qualitas aliqua; sed ipsa sensualitas, ut spoliata originali iustitia repugnat rationi, Concupiscentia dicitur.

Ex numero rationum, quas contra positivam originalis peccati qualitatem producit in aciem Bellarminus, prima hæc est, quam ex aliqua parte Augustini confirmat autoritate: Si Concupiscentia qualitas esset positiva, causam habere deberet positivam. Quæro igitur, quæ sit ista causa? Nam vel erit Deus, vel diabolus, vel serpens, vel ipse homo, vel certe Pomum ipsum vetitum. Prioribus prætermis de ultimo ita pergit, Neque in pomum vetitum causa ejus qualitatis potest rejici, neque enim illud malum fuit, & ideo prohibendum, sed ideo malum, quia prohibendum, & alioqui ex natura sua bonum, ut cætera, quæ

1. 14. del. D. c. 12. Deus creaverat, ut S. Augustinus rectè docet. Ultimam rationem ponit hanc, Qualitas illa positiva per Baptismum non tollitur, ut notum est. Ergo si peccatum originis est concupiscentia, & concupiscentia est qualitas positiva, sequitur rectè peccatum originis non tolli per Baptismum, quod in Ecclesia Catholica ut error exploratus exploditur. Neque satis faciunt illæ solutiones, quod peccatum originis dicatur remitti per Baptismum, tum quia Concupiscentia baptizatis non imputatur ad culpam; tum quia propter gratiam, quæ in Baptismo confertur, Concupiscentia non amplius dominatur. Nam præter alia solutio hæc non videtur consentanea doctrinæ S. Augustini. Ipse enim cum dicit, reatum concupiscentia esse peccatum originis, non recurrit ad concupiscentiam dominantem, sed dicit, hoc malum, tantum quia inest, etiamsi non dominetur, ad mortem perducere æternam, nisi reatus ejus expietur per Baptismum. Porro, quia non nescivit Bellarminus, eos etiam, qui pro peccati originali positivâ qualitate militant, provocare ad Augustini autoritatem, igitur non dissimulare voluit objectiones partis adversariæ ex eodem; subjunctis tamen ad eadem responsonibus, quas videbimus utraq;.

lib. 1. de Nupt. & Conc. c. 26. & 31. 1. 3. in Jul. c. 3. 1. 4. hypog. 1. 1. qu. 82. art. 1. Primò, inquit, objiciunt, quod Augustinus scribit, Concupiscentiam esse qualitatem, sic enim loquitur de eâ, Non substantialiter manet, sicut corpus aliquod aut spiritus, sed adfectio est quædam male qualitatis, sicut languor. Et, carnem adpellavit, nimirum Paulus, ubi est morbidus quidam carnis adfectus, non ipsam corporis conformationem. Deinde addunt, quod idem Augustinus dicit, Animam in corpore tanquam in vase vitiatò corrupti, hoc est, ex malâ qualitate carnis redundare malum qualitatem in animâ. Postremò adjiciunt, quod idem Author docet, libidinem in homine ex adflatu serpentis esse natam. Bellarminus respondet ad primum, vocari ab Augustino qualitatem sive morbidum adfectum, ipsam naturalem sensualitatis inclinationem, non aliquâ tabe positivâ, sed ex carentiâ originalis iustitiæ. Nam eodem modo Thomas vocat originis peccatum habitum corruptum, in quo sit aliquid positivum, ipsi videlicet animæ potentiæ non bene dispositæ, & aliquid privativum, nimirum deordinatio ex carentiâ iustitiæ originalis consecuta. Quocirca tam S. Augustinus, quam Thomas Concupiscentia vitium sæpe numero languorem naturæ adpellant. Languor autem significat humores corporis debita proportione & harmoniâ privatos. Ad secundum respondet, rectè dici animam in corpore tanquam in vase vitiatò corrupti, non quod sit in carne qualitas positiva, ex quâ rursus in animâ qualitas oriatur alia; sed quod anima non incipiat habere peccatum, nisi cum infunditur corpori, tunc enim primum incipit esse homo filius Adami. Ad postremum, præter id, quod opus Hypognostici non censetur esse Augustini, respondet Bellarminus, verba illius Authoris intelligenda esse metaphoricè. Per adflatum enim serpentis persuasionem diabolicam significari, quod videlicet Adam magis sit securus serpentem suadentem, quam Deum premonentem. Sententiam igitur Authoris esse, quemadmodum serpens corporalis adflando Venenum corpora hominum interimit, ita serpentem spirituales, id est, dia-

est, diabolum suadendo peccatum primo parenti necem animæ & corporis attulisset.

Et hæcenus ex Augustino contra positivam originalis peccati qualitatem Bellarminus, non semel & sibi met ipsi contradicens, & Augustinum Evangelicis testem veritatis concedens. Id antequam ostendatur, pro sententia orthodoxa ritè intelligendâ notari debet, quod dum statuitur, non planè nullis Scholasticorum antiquis & recentioribus, quæ vis & efficacia veritatis est, consentientibus, peccatum originis esse ens positivum, vel habitum & qualitatem positivam, ex unâ parte non negari esse privationem vel pravitatem privativam, ut potè quæ non tantum conceditur, sed insuper etiam præsupponitur, Controversiâ in eo præsertim versante, an peccatum originis per solam & nudam privationem & carentiam boni à Deo concreati definiri jure ad mentem scripturæ & describi possit vel debeat, quod Evangelici, & quidem Augustini etiam autoritate inficiantur, & insufficientes esse putant ad vim hujus mali exprimendam; ex alterâ autem parte, cum positivum quid originali peccato adscribitur, non fieri illud in rigore Philosophico, sed in latitudine quâdam Theologicâ, propter constantem videlicet ejus adhærentiam, quo sensu non solum in Philosophia Morali vitia animi virtutibus opponuntur & privativè & simul contrariè, sed & in Medicinâ corporis morbus & privatio sanitatis & unâ positio pravæ dispositionis nominatur. Quâ observatione præsuppositâ facilè responderi potest ad omne illud, quod aliquam & in Philosophia & in Theologia videtur habere difficultatem & absurditatem. Quod verò attinet Augustini autoritatem, quam Bellarminus suæ opinioni adscribere, nostræ autem sententiæ quamvis invidiosè & reluctantem auferre conatur, nemo non judicare doctus cogitur agnoscere, eum, dum disertè non uno in loco peccatum vocat *malam qualitatem*, non substituisse in nudâ ejus privatione, sed positivum quid subintellexisse. Et quamvis alibi dicat, *non esse rem positivam, imò nihil esse, nec habere causam efficientem*, sciendum est tamen, quod ex integrâ ejus tractatione patet, *primum* intelligi substantivè videlicet peccatum non pertinere ad prædicamentum substantiæ; *secundum* respectivè & collativè cum euntibus creatis; *tertium* effectivè, id est, de causâ efficiente, quæ per se operatur, quo respectu peccatum verè dicitur efficientem non habere causam, sed potius & accuratius loquendo *deficientem*, ut aliàs & alibi prolixius docetur & ostenditur. Generale hoc responsum confirmavit non ita pridem *Joh. Baptistæ Gonetus*, ordinis Prædicatorum, qui in *Clypeo Theologiae Thomisticae*, post tres Editiones Gallicanas in Germaniâ nuper reculo, de peccato Commissionis & omissionis agens, sequentia ad præsens Institutum inservientia habet. *Observandum est cum Salmanticensibus, quod dum sancti Patres & Ecclesiæ Doctores, qui post exortam Manichei hæresim scripserunt, ut Athanasius, Basilii, Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus & alii negant, malum esse rem aliquam intendunt potissimum refutare errorem illius Hæresiarche, qui duo ponebat principia, unum bonorum, alterum malorum; contendebatque res aliquas secundum substantiam & naturam suam esse malas, & quasdam bonas. Unde dum ajunt, malum nihil esse, sive nullam habere naturam, solum volunt, nullam substantiam sive essentiam ex natura sua esse malam; non verò negant, operationes à libero (vel potius servo) arbitrio procedentes esse posse (imò revera esse) moraliter malas, earumque deformitatem & malitiam esse aliquid positivum.* Ita Thomista hic contra novos sui Doctoris & Magistri, quem ex ordinis ratione tenetur omni modo defendere, impugnatores, Societati videlicet Ignatianæ adscriptos, à quorum non paucis post Augustinum Thomas quoque non raro patitur. Plura autem ibi leguntur, quæ Evangelicorum sententiæ magis illustrandæ possunt inservire, in loco melius legenda, quam prolixè huc exscribenda. Ad Bellarminum me confero, visurus & ostensus jam breviter, quid vel bonarum vel malarum mercium in hujus quæstionis ad Augustini mentem tractatione attulerit, & quid inde ad Evangelicorum orthodoxiam jure videatur pertinere. Et quidem in præmissis generalibus dum *primò* monet ex Augustino, Concupiscentiam abstractivè consideratam esse rem in se indifferentem, & ratione objecti, ad quod fertur atque movetur, vel bonam vel malam, bonam in homine primo ante peccatum, in Christo omnis peccati experte, & in electis post resurrectionem; velim respondeat aliquis Bellarmini hyperaspistes num huic Concupiscentiæ bonæ mera adscribi possit & debeat privatio mali illius, quod in homine successit post lapsum, & annon aliqua qualitas positiva fuisse & futura sit dicenda? Et si illud, quod nemo, qui verum à falso didicit discernere, vocabit in dubium, spero, aut omninò negare conabitur; cur non eadem ratio habeatur Concupiscentiæ illius pravæ, quæ successit in locum bonæ, non privativè solum, sed revera etiam posi-

vid. D. Meisn. Phil. Jos. S. Sect. 4. Qu. 5. p. m. 337. conf. Quæst. v. n. 4. §. 28. & seqq. adde D. H. M. Dial. Apol. p. 370. & seqq. & D. Calov. Harm. An. tit. p. 357. & seqq.

T. III. Tr. V. Disp. 3. §. 43. p. 379

tivè, utrem hanc accuratè ponderanti non potest esse obscurum & difficile. Hoc ad-
do, Bellarminum præter *Augustini* ductum confundere Concupiscentiam *indifferen-*
tem cum malâ, quia, ut jam monui, quæ dicitur indifferens, consideratur in abstracto si-
ne objecti respectu, demùm boni merens Elogium, quando laudabile habet objectum,
sicuti è contrario dicitur mala ratione objecti, si prohibitum illud est, & in se aliquam
habet malitiam, quam concupiscenti infert & postmodum facit inhaerere. Atque hoc
primum est, quo Bellarminus Evangelicorum sententiam non parum videtur confirma-
re, suamque & cæterorum Scholasticorum infirmare. *Alterum* sequitur, quod ipsi præ-
misit tractationi, videlicet, vitium Concupiscentiæ prævæ non solum in sensualitate, hoc
est, in facultatibus animæ inferioribus, sed superioribus etiam habere locum, idque ite-
rum ex *Augustini* autoritate; quod quomodo sine positiva qualitate possit vel debeat
intelligi, ego certè non video, & forsitan nemo, nisi qui invisibilia etiam videre se pro-
fiteretur, opticus antehac invisus & inauditus.

Ad ipsâ nunc progredior *Augustini testimonia*, quibus positivam originalis pec-
cati & Concupiscentiæ qualitatem subruere conatur Bellarminus, quæ idem magis
pro nostrâ, quam pro ejus stant sententia. Ea inter *primum* occupant locum, quibus ali-
qua inter hominem prævis Concupiscentiis additum & Belluas instituitur comparatio.
Atqui si Bellarminum latius hanc comparationem extendere dixerò, quam scopus ab
Augustino intentus permittit, non erit, de quo conqueratur hyperaspites Bellarmini,
modò mentem sancti Doctoris ritè attendat. Quin & ipse Bellarminus videtur non ob-
scure insinuare & concedere positivam Concupiscentiæ depravatam qualitatem, si ver-
ba ejus, quibus *Augustini* mentem explicat, prout jacent, sumamus & intelligamus. Si
enim nulla est in brutis corrupta qualitas (quod inter eâ conceditur, etiam non sit nihil,
quod huic possit opponi) sinamus esse & dici eam qualitatem integram & naturalem,
atque sic revera positivam, quæ positio manet in depravata hominum Concupiscentiâ,
cujus respectu ab *Augustino*, & scripturâ quidem duce, bestiis comparantur homines,
iis non raro, quod ocularis testatur experientia, & quidem multò peiores. Quæ *postero-*
re loco Bellarminus adducit ex *Augustino* testimonia, quibus Concupiscentiæ denega-
tur etymologia substantiæ, è generali responso sunt intelligenda & explicanda, quod
laudatus Ordinis Dominici scriptor suo & aliorum adprobavit calculo. Id tantum note-
tur, quod *Augustino* non præeunte hic de Concupiscentia Adamo conterà, freno autem
originalis justitiæ tanquam doni supernaturalis cohibita & impedita repetit iteratò
Bellarminus, supra jam sufficienter ex *Augustino* esse discussum. Et positò, ut non con-
cesso, statuatur talis aliqua in *puris naturalibus* (quæ inter figmenta Scholasticorum ab
Augustino damnata antequam nata fuerunt in antecedentibus relata) Concupiscentia
repugnans rationi, quæ te, quisquis Scholæ addictus accuratio trutinâ ponderas hanc
Controversiam, potesne eam sine positivâ qualitate in mente tuâ concipere? Si verò eam
putas fuisse positivam qualitatem, dono supernaturalis justitiæ impeditam, quò minus
erumperet in actum; cur non eodem consideretur positivæ qualitatis respectu, post-
quam hæc gratia supernaturalis per lapsum amissa recessit, atque hominem in primo
statu reliquit & quasi deseruit? Ad hominem hæc disputantur, ita tamen, ut, qui præfate
positivam originalis Concupiscentiæ & peccati qualitatem inficiantur, una cum aliis
videant, in quos semet laqueos per proprias injiciant hypotheses, quas tamen rigorosil-
simè defendunt, quamvis simul stare non possint.

Nunc ad rationes, quas *Augustini* testimoniis munivit Bellarminus, primam vide-
licet & ultimam. *Prima* responsum obtinet ex generali observatione, qua ostensum est,
quo sensu vocabulum positivi ab Evangelicis sumatur & intelligatur, ne vel Theologi
vel accuratiores Philosophi habeant, de quo tanquam absurdo & scandaloso dogmate
conquerantur. Pertinet autem huc, quod *Gerhardus* noster circa primæ rationis
huius analysia occupatus ex ipsomet *Augustino* responso loco dedit ad commodatissime
Quid querit *Iulianus* (& cum eo Bellarminus) latentem hujus corruptionis introducta ri-
mam, cum januam habeat apertissimam? Quæ in ultimâ ratione ex *Augustino* habet Bellar-
minus, iis factum est satis supra, ubi de Baptismi effectu fuit actum. Restant, quibus ad ea
Augustini testimonia respondere conatur Bellarminus, quæ positivam originalis peccati
& concupiscentiæ qualitatem non obscure, sed aperte satis inferunt & evincunt. *Tripliciter*
autem modo respondet. *Primus* petit principium, idque negat, quod *Augustinus* adfirmat
expressè. Si enim hoc concupiscentiæ ad originalis peccati malum pertinet ad prædictam
privationem potest referri; id quod *Thomas*, impertinenter & invidiosè à Bellarmino ad
partes

1. 2. de
Nupt. &
Con. c. 29.

partes tractus, cum *Cajetano* aliisque commentatoribus observavit, uti ex *Dorſcheo* in vindiciis *Anti-Thomisticis* est ostensum. *Secundus* novam exhibet absurditatem antehac inauditam, dum privationi adscribit effectum, qui non nisi à positivo quodam trahere potest originem. *Tertius* quia occupatur circa locum è dubio Augustini scripto, & de quo apud nostros æquè ac *Papæos* censors adhuc controversatur, nullam meretur observationem, idè etiam, quia ad ipsius causæ momentum nihil vel parum videtur conferre. Nunc addo consensum *Jansenii Iprensis*, qui de statu naturæ hominis lapsæ agens peculiare caput huic destinavit quæstioni, hoc lemmate præscripto, *Aliquid positivum esse concupiscentiam videtur sentire Augustinus*. Et quidem mox sub initium ad hujus rei confirmationem sequentia habet: *Quæ Augustinus concupiscentiæ passim tribuit, hujusmodi sunt, ut appetitui sensitivo, quatenus freno destitutus est, difficulter aptari queant, sed ita sonant, ac si esset qualitas, vitiosa quidem, sed tamen positiva, quæ actibus ex eâ profluentibus augetur, eoque modo, quo boni & mali habitus solent, oppositis verò minuitur. Ut enim nihil de ipso nomine dicam, quo concupiscentiam & cupiditatem vocat plerumq; quæ magis aliquem habitum quàm potentiam sonant; non nullis in locis expressè adfectionalem nuncupat qualitatem, quam ita explicat, ut non facile possit ad appetitum (merè sensitivum) ad commodari. Post aliqua, Hinc est, quod sicut consuetudo actibus acquisita & stabiliter inolitæ est quædam natura quasi secunda, ita è contrario S. Augustinus concupiscentiam, cum quæ nati sumus, consuetudinem carnalem, naturæ inolitam, naturalem, veram vocat naturam. Hinc est, quod eandem concupiscentiam tradit augeri consuetudine, eodem planè modo, quo violentia intenditur consuetudine, quam certum est esse habitum vitiosum. Hinc est, quod non solum concupiscentiam illam augeri, sed etiam contrariis actibus seu consuetudine non secus atq; ceteros habitus, minus tradit. Hoc autem decrementum incrementumq; cupiditatis non aliter putat Augustinus fieri, quàm sicut consuetudo aut habitus oppositæ consuetudine aut habitu decreſcente ac crescente decreſcit atq; crescit. Pluribus interpolitis, videntur Augustini phrasès eò semper tendere, ut concupiscentia sit quædam positiva & adfectionalis qualitas, quæ ex majoribus oriæ causis ita firmiter inherescit, ut quàmvis ex accidenti, quodam modo tamen (quem ad modum color æthiopicus) in naturam sit versa, quæ proinde instar qualitatum vitiosarum quodam operante contingit propagetur. Et postquam ad *Thomæ* & *Cajetani*, aliorumq; plurimum Philosophorum & Scholasticorum provocavit contentum, hæc subjungit: Cum igitur exercitissime S. Augustinus etiam tradat formale peccati originalis esse mortem animæ, quæ est privatio vitæ, esse averse non à Deo, quæ est privatio charitatis ejus, & hujusmodi concupiscentiam verò non esse, nisi materiale ipsius, quid absurdi fuerit, si intellexerit, concupiscentiam ita positivam esse qualitatem, sicut ægritudinem corporalem; qui (ægritudo) si licet innata fuerit actibus sibi consonantibus vel dissonantibus fieri potest major ac minor, quidni obsecro, & ista concupiscentia innata similibus actibus augetur aut minuitur, dum vires inferiores ordinatius aut inordinatius suos exerunt motus? Addit porro, Quid verò, si Augustinus diceret, qualitatem illam esse adfectionem aliquam totius temperamentis hominum ex quatuor qualitibus primis & quibusdam aliis occultis, quas Medici in cunctis hominibus ac brutis statuunt? Quid si diceret Augustinus, esse qualitatem, quæ tanquam amor quidam sensitivus sui ipsius in ipso appetitu Adami sensitivo ex vehementia primæ voluntatis semet ipsam amanti oriæ fuerit, quid adferret impossibile, quid non magnopere probabile? Quid si deniq; occultam qualitatem quandam esse sentiret, idèone statim est explodendum? Medicis nihil familiarius, quàm hujusmodi occultas inculcare qualitates, idq; in notissimis vulgatissimisque rebus, ipsaq; etiam peste, quæ tot millenis annis eorum exercuit industriam, nec adhuc ad intelligentiam per duci potuit. Si Augustinus igitur unam ex istis sententiam elegerit forsitan ac tenuerit, atq; eatenus concupiscentiam esse adferuerit qualitatem, adfectionalem; idèone tantos clamores adversus sententiam ejus excitari oportuit? Non quidquid præconceptis opinionibus nostris dissonat, statim ut erroneum est exhibendum, quando ab auctoritatis tantæ viri tam confidenter atq; tot sæculis fuit adfertum, quibus si liberet aut libuisset suæ sententiæ rationem reddere, forsitan hujusmodi Philosophis reclamantibus, qui in Aristotelis sui rutinâ ponderari volunt omnia, os obturassent, quemadmodum non semel Augustinus fecit, quando in similibus reprehensiones incurreret. Hæc tibi Jansenius pro qualitate peccati originalis positivæ ad mentem Augustini, contra quæ nondum legi ab ejus Antagonistis ea in medium producta, quæ sanctum Doctorem aliud sensisse possunt persuadere. Equidem è numero recentiorum nuper *Franciscus Macedo* à S. Augustino cognominatus, Lusitanus ordinis minorum, Professor Patavinus, Tomo Collationum Doctrinæ *Scoti* & *Thomæ* secundo, hanc quæstionem controversam prolixissimè ad mentem Doctoris sui subtilistractans, cui ex Juramenti obligatione cogitur adhærere, ejusve opiniones contra quosvis antinachos defendere Augustinum*

l. i. c. 18.

l. i. de Doctr. Christi c. 24. l. i. ad Simpl. qu. 1. & c.

stinum quoque ad has partes trahere, omnemque positivam qualitatem à concupiscentiâ & peccato originali removere, eidemque meram privationem & carentiam originalis Justitiæ & gratiæ eidem adjunctæ tanquam formale conatus est adscribere, aut certe videri voluit, plurima tamen hic & ibi intersperfit, quæ nō parum conducunt, ut ostendant, invitum quasi eum *Scoti* partes egisse & invitum quasi *Augustinum* ac contra voluntatem ad easdem traxisse. Et quia scriptoris hujus opera in pauciorum fortè manus perveniunt, juvat ex inde ea breviter excerptere, quæ ad *Augustini* consensum in hac etiam questione firmandum videbuntur pertinere, ita ut sine ulteriori contradictione noster potè sit & maneat. Igitur in expositione variarum de peccato originali sententiarum tertiam esse

Collat. 7.
Differ. 4.
Sect. 2. p.
389. & 199.

dicat eorum, qui in positiva quadam qualitate vitiosa in animam ex morbida carnis affectione traducta constituunt eamque *adfectionalem* dici *qualitatem* & *languorem* ab *Augustino*, & hanc sententiam tribui Magistro sententiarum *Lombardo*, esseque *Holcoti*, *Gregorii*, *Ariminensis*, *Gabrielis* & aliorum, & probari ex recentioribus *Driedoni*. Quamvis autem ob auctoritatem *Scoti* hanc sententiam rejiciat, coactus tamen fuit fateri, additum ei fuisse *Augustinum*, ut ut ejus mentem in sequentibus aliter explicare sit conatus, ut proximè docebitur. Ita autem hic *Scotista*: *Cum necessitas & virtus gratiæ Christi ex miseriâ & infirmitate naturæ humanæ per peccatum originale corrupta sit æstimanda*, *Augustinus*, qui post *Paulum* *Doctrinæ de gratiâ & originali peccato princeps auctor sit*, accuratissime de naturâ, ratione & effectu illius peccati egit, ac nemo melius illo rem exposuit. Igitur quæ illius fuerit sententia, eam prorsus veram & constantem esse oportet. Expensa autem quæ in variis libris, illis præcipuè, quos contra *Pelagium* & *cælestium* de naturâ & de gratiâ Christi, & ad *Valerium Comitem* de nuptiis & concupiscentiâ, & adversus *Julianum* de peccatorum meritis & remissione, & de origine Animæ scripsit, ratiocinatione, compertum est, *Augustinum* esse auctorem, peccatum originale esse reatum ex actuali peccato *Adami* per generationem ad posterum transfusum, qui omnibus insit & animas singulorum afficiat, quem reatum cum concupiscentiâ conjungit ita, ut sese comitentur ac forveant in natura ante gratiam *Baptismi*, post eam verò separantur extincto reatu manente concupiscentiâ. Quid sit

c. 25. & 26.

autem iste reatus, explicavit satis primo de Nuptiis & concupiscentiâ libro, ubi distinguit reatum & concupiscentiam, docetque reatum in *Baptismate* solvi manente concupiscentiâ, & comparat illum peccato habituali post actuale manenti, quem etiam adpellat reatum adducto adulterii exemplo. Unde per reatum constituitur cum & peccatorum futurum & parvulum & adultum, donec uterque originalis & habitualis dimittatur. Itaque semper docet, peccatum originale esse reatum relictum ex actuali peccato *Adami* per generationem cum concupiscentiâ ad nos transfusum, cujus nos rei sumus, dum ille per *Baptismi* regenerationem non remittitur. *Augustini* ergo sententia est, ex actuali peccato *Adami* habituale ad nos peccatum cum concupiscentiâ traductum, quod verè nos contrahimus, & rei sumus delicti. Reatus verò, non habitus nomine adpellavit, quia loquebatur de culpa, cum habitus naturæ sit. Quod autem in isto reatu propriam peccati

NB.

in Psal. 50.

1. 6. in Jul.

c. 4. & 1. 2.

de peccat.

mer. &

rem. c. 14.

rationem agnovit, constat ex eo, quod sæpe adpellat peccatum & iniquitatem, & labem, & parvulum per illum à DEO aversum dicit, quo propriam peccati rationem expressit, quæ consistit in inobedientia erga DEVM, cum conversione habituali ad creaturam & habituali aversione à DEO, qui reatus est *Augustinianus*. Et postquam hanc *Augustini* sententiam consensu *Thomæ* & interpretum ejus, diverso quamvis explicandi modo, confirmavit, de *Vasquezio*, quem acutum, doctum & satis in *Augustino* versatum scribit, notanter monet, eum in *Augustini* sententiâ & referenda parum esse fidum interpretem, & in fugilandâ acrem nimis censorem, quem ob id prolixè confutandum putavit, & calumniam *Augustino* impostam ab eo removen- dam. Integram tractationem huc adponere non licet, id tantum ex eâ noto, quod quem admodum *Augustini* sententiam *Vasquezius* existimavit incidere in errorem *Pelagii*, negantis originale peccatum, quod ipsis antehac *Pelagii* defensoribus, satis perspicacibus aliàs, nunquam fuit vitium, nec ullus ante *Vasquezium* observavit: ita è contrario rectissime censet hic *Macedo Augustinianus*, nullam magis, quam *Augustini* sententiam à *Pelagii* sensu abhorre- re, & eâ quam longissime à *Pelago* recedi, imò *Vasquium* cogi in errorem *Pelagii* incidere, sententiam *Augustini* repro- bantem. His accedit, quod idem Author idem argumentum iterato tractans ex

Collat. 9.

Differ. 1.

Sect. 1. pag.

471. & 199.

mente *Scoti*, quem non solum *Thomæ*, sed *Augustino* etiam ubique notum consiliare, mox sub initium agnovit, Si verum sit, quod *Scotista* vulgò de sententiâ *Scoti* hac in re jaçant, alienam esse illam ab *Augustini* doctrina, ut ut in sequentibus peccatum alios *Scotistas* nobiles oppositum docere & adfirmare, *Scotum* sensisse, originale peccatum esse

esse reatum ex Adami actu peccaminoso tractum, & ad posteros cum illa Iustitia originalis carentia transfusum, quæ tamen non sit ipsum formale peccatum, prout est præcisè carentia sive privatio, quæ sit ipsa Augustini sententia. Imò in uberiori deductione, ut ostendat, eandem esse Scoti & Augustini sententiam, eandemque veram, dum opiniones Doctorum de originali peccato varias ad duo refert capita, prius eorum numero dicit esse, quod in reatu ex Adami peccato illud statuit, addens, hoc videri aliquid positivum morale adstruere, hancque sententiam tueri Richardum, Magronem, Curielem, Lugonem, Granadum, Arriagam, Orviedum, Tolatum, Cornelium à Lapide, Aegidium Lusitanum, Cabreram, Fulpium, Pontium, & juxta mentem hujus eandem tradidisse Pighium & Catharinum, qui etsi communiter reprobentur, quasi alienum à Sacra tradiderint Doctrina, revera tamen catholicè videri eos tenuisse, quos ita etiam conetur exponere Arriaga citatus. Et ubi alterius etiam opinionis de privatione Authores nominavit, quamvis inter se non parum diversos & præter mentem forsitan attracta, quod prolixius ostendere non est hujus loci; subjungit, *Mihi videtur prima sententia vera, imò & judico, Authores secunde in eam, velint, nolint, revolvit, & cum privatione reatum conjungere, quem ad modum ad parer in Rada, qui sic illud in privatione constituit, ut in nobis permaneat habituale, quod in Adamo fuit actuale &c.* quæ uti in antecedentibus, ita etiam in consequentibus ex Augustino prolixissimè deducit, interspersis hic & ibi veritatis Evangelicæ radiis, qui ostendunt sufficienter, *Macedonem* hanc Augustinianum, uti jam in antecessum monui, invitum quasi & reluctantem à partibus Scoti contra qualitatem positivam ab Augustino non obscurè propositam steris, dum negare non potuit, sed agnoscere fuit coactus, originale peccatum ab Augustino dictum fuisse *adfectionalem qualitatem & languorem, reatum habituale, peccatum habituale conversionem & aversionem habitualem*, utpotè quæ satis demonstrant, solam privationem non exhaurire vim mali hujus originalis, sed accedere omnino aliquid positivum morale, & quæ alia sunt plura, quibus esse possunt contenti positiva qualitatis assertores, quidquid etiam videatur aliis, qui solo forsitan nomine differunt, & nolentes volentes tandem id ipsum cum prioribus docent utut verbis noniisdem. Contrigit hoc idem nostro etiam Bellarmino, ad quem nunc tandem redeo, utpotè qui suam de originali peccato sententiam exhibiturus, his usus est verbis, *Si accipiat pro eo, quod residet in homine post actionem, & unde idem homo non peccans, sed peccator nominatur, peccatum originale est carentia Doni Iustitie originalis, sive habitualis aversio & obliquitas voluntatis, quæ & macula mentem DEO inuisam reddens adpellari potest.* Et in hunc finem ipsius etiam Augustini consensum concessit, ad objecta quædam ex eo testimonia respondens post alia huc non pertinentia, *Augustinum non tenuisse, transiente peccati actu solum manere reatur, sed aversionem etiam habitualem sive iniquitatem & maculam, hoc est, reatum cum fundamento suo.* Ad quæ omnia nihil desiderari potest, quam sola vox positivæ, cujus curanti sint oïes Papistæ plerique ipsam rem agnoscentes, omnino nihil est causæ, nisi quis dicat, pertinere hoc etiam ad Pelagianismi femina, quæ non parè in Papatu latitare, dudum est, quod prudentiores & præ aliis moderatores inter ipsosmet agnoverunt.

LIBRI SEXTI,

CAPUT SECUNDUM & TERTIUM,

De

INFANTUM SINE BAPTISMO
MORIENTIVM POENA.

Bellarminus præmissâ diversarum quinque opinionum recensione, de quibus agit prolixè in sequentibus, quartam ex numero earum in se suscepit defendendam, his verbis expressam, *Fide Catholica tenendum est, parvulos sine Baptismo decedentes absolūtè damnatos esse, & non solà cælesti, sed naturali etiam beatitudine carituros perpetuò.* Prius membrum de beatitudine cælesti probat verbis Christi, *Nisi*

- Joh. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI.* Posteriore autem verbis ejusdem, *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et, *qui credit in Filium, habet vitam æternam; qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* Ad que verba Bellarminus hæc notat, *Cum parvuli non baptizati nullo modo respiciant in serpente, id est, non credant in Christum, neque per se, neque per alios; nec actum, nec habitum, quid sequitur, nisi ut non habeant vitam æternam, ut pereant in æternum, ut non videant vitam, ut ira DEI maneat super illos? Rectè enim animadvertit S. Augustinus, non esse dictum, ira DEI veniet super eos, sed, manet super eos; ut intelligeremus, Fidem in Christum esse necessariam, non solum, ne incidamus in iram DEI, sed etiam, ut liberemur ab illâ, in quam incidimus per inobedientiam primi hominis, de quâ dictum est ab Apostolo, Erasmus enim & nos naturâ filii iræ, sicut &c. His accedit illud ejusdem Apostoli, Per unius delictum &c.*

Sunt igitur parvuli sine Baptismo decedentes secundum scripturas à DEO condemnati, & iratum contra se DEVM habent, & non videbunt vitam beatam in æternum. Nam corporalem quidem vitam in communi resurrectione percipient, sed non dicentur resurgere ad vitam, sed ad mortem, qui idcirco resurgent, ut perpetuò sint miseri, & non est vera vita, nisi ubi vivitur feliciter, ut sanctus Augustinus docet. Post hæc provocat Bellarminus ad auctoritatem quorundam Conciliorum ab Augustino adprobatorum, quorum primum dictum Palæstinum, ipsomet Augustino teste, compulsi Pelagium anathematizare, infantes, etiam si non baptizentur, vitam habere æternam, Augustino de suo insuper adjiciente, Hæc autem negatâ, quid nisi mors æterna remanebit? Secundum Carthaginensè eodem Augustino præfidente statuit, quinque negat, parvulos liberari à perditione per Baptismum Christi, & salutem percipere sempiternam anathema sit.

Tertium eodem interessente Milevitanum de Pelagianis scripsit, quod parvulos, si nullis innoventur gratiæ Christianæ Sacramentis, vitam habituros æternam contendant præsumptione nequam. Præterea, ipsius Augustini propria adducit verba, diversis quatuor testimoniis. Primum hoc est, Faciebuntur, videlicet erroris Pelagiani sectatores, aliquando, parvulos non baptizatos vitam habere non posse, ac per hoc, quamlibet tolerabilius omnibus, qui propria etiam committunt peccata, morte tamen æternâ multari. Secundum, Non baptizatis nemo promittat inter damnationem regnumque Cælorum quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet medium quasi locum, hoc enim eis Pelagiana hæresis permittit. Tertium, Novellos hæreticos Pelagianos justissime Conciliorum Catholicorum & sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, eoque quod ausi fuerint parvulis non baptizatis dare quietis & salutis locum, etiam præter Regnum Cælorum. Quartum, Nulla salus æternâ præter Baptismum Christi promittatur infantibus, quam non promittit divina scriptura omnibus ingenis humanis proferenda. Aliâ præterea testimonia, quorum loca tantum citat Bellarminus, quia hæc ipsi visa sunt esse potiora. Succedunt tandem aliqua rationes auctoritate Augustini confirmatæ. Prima ratio ita se habet, Parvuli non baptizati tum in hac vitâ, tum in alia, sunt captivi & in potestate Diaboli; non igitur beati, ne naturali quidem Beatitudine, sed absolute miseri & infelices. Et quidem, quod infantuli, nisi baptizentur, sint captivi & in potestate Diaboli, est certissimum; nam Apostolus dicit, nos per Christum eripi de potestate tenebrarum.

Ex quo sequitur, ut ante Baptismum omnes simus sub potestate tenebrarum. Quare CHRISTUS ipse dicit, se Paulum mittere ad gentes & populos, ut aperiat oculos eorum, & convertantur de tenebris ad lucem, & de potestate Sathanae ad DEVM. Et alibi comparat Dominus Sathanam forti armato atrium suum custodienti. Et iterum inquit, Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras. Hanc autem Diaboli expulsionem in parvulis fieri per Baptismum, docent exorcismi & exsufflationes, quarum in Ecclesia semper fuit usus. Ita sanctus Augustinus inquit, Vellem aliquis istorum, qui sapiunt contraria, mihi parvulum adferrent baptizandum. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur? Et alibi, Ipsa sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant, parvulos à partu etiam recentissimos per gratiam Christi de Diaboli servitute liberari. Et ibi.

Et ibidem infra, Non, solum aetate maiores, sed pueros etiam eruit a potestate tenebrarum. Et iterum alibi, Verum est, quod antiquitus veraci fide Catholica praedicatur & creditur per Ecclesiam totam, quae filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & a principe mortis erueret &c. Et ibi, Hoc ergo generi humano inflicto vulnus a Diabolo, quidquid per aliud nascitur, cogit esse sub Diabolo. Denique, Non fides dubitat Christiana, quam novi oppugnare coeperunt haereticis, & eos, qui lavacro regenerationis abluntur, redimi de potestate Diaboli, & eos, qui nondum tali regeneratione sunt redempti, etiam parvulos redemptorum filios sub ejusdem potestate captivos esse, nisi & ipsi eadem Christi gratia redimantur. Ad omnes namque aetates pertinere non dubitamus illud, de quo loquitur Apostolus DEI beneficium, qui eruit nos de potestate tenebrarum &c. Et rursus, Accusat Ecclesiam, orbe toto diffusam, haereticus, in qua ubique omnes baptizandi non ob aliud exsufflantur, nisi ut ab iis principibus mundi mittatur foras, a quo necesse est irae vasa possideantur, cum in Adamo nascuntur, si in Christo non renascantur, & in eius regnum per gratiam facta misericordiae vasa transferantur. Quae praeter haec contra Catharini sententiam ex eodem Augustino subjungit, quia cum prioribus ejusdem ferè sunt tenoris, merito hic praetermittuntur. Secunda ratio sumitur ex loco, in quo parvuli degunt, & semper degent; liquidem locus & carcer inferni, locus horridus ac tenebrosus, in quoque degent, sine dubio beati esse non poterunt, cum beatitudo definiatur status omnium bonorum adgregatione perfectus. Locum autem talium infantium esse carcerem inferni, docent imprimis omnes ferè Theologi Scholastici &c. docent hoc ipsum denique sancti Patres, qui non incerta opinione, sed fide certissima contra haeresin Pelagianorum istam rem tenendam esse confirmant, nominatim S. Augustinus, scribens, *Non est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de malis credentium cordibus istam, nescio quam medietatem, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiae in vita sint aeterna, sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus; definitivam prout ad obstruenda haec ora sententiam, ubi ait, qui non est mecum, contra me est. Et alibi, Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis judicabitur, alii erunt ad dextram, alii ad sinistram; non novi aliud. Si ergo dextra erit & sinistra, & nullum medium locum in Evangelico novimus, cur, in dextra regnum caelorum est. Qui ibi non est, in sinistra est. Au-
thor item Hypognostici, qui vel est Augustinus, vel alius omnium consensu doctus & antiquus inquit, Primum locum fides catholicorum autoritate divina credidit esse regnum caelorum, unde non baptizatus excipitur. Secundum gehennam, ubi omnis apostata vel a Christi fide alienus aeterna experietur supplicia. Tertium penitus ignoramus, imò non esse in Scripturis S. invenimus. Finge locum, Pelagiane, ex officina perversi dogmatis tui, ubi alieni a gratia Christi vitam requies & gloriae parvuli possint possidere. Caetera, praefertim quae ad rationem quartam ex Augustino habet Bellarminus, quia contra paulò ante memoratam Catharini sententiam militant, quae cum Evangelicorum sententia non convenit, vitandae prolixitatis causa hic quoque omittuntur; paucis tantum subjunctis, quorum in refutatione objectionum ejus mentionem facit Bellarminus, quae videlicet ad communem causam infantem videntur pertinere. Tertia igitur obiectio haec est, si verum fuerit, quod Augustinus ad renatum scripsit, videlicet, his pueris medium adsignare locum inter gehennae supplicium & regnum caelorum haeresin esse Pelagianam, consequens est, ut omnis schola haeresin defendat Pelagianam. At, cur non potius fateamur, quod Augustinus humani aliquid passus est, & excessit in dogmate? Bellarminus respondet, S. Augustinum non dicere, haeresin esse Pelagianam, parvulis adsignare medium locum inter supplicium gehennae & regnum caelorum, sed inter damnationem regnumque caelorum &c. Sed esto, scripsisset Augustinus, non posse parvulis medium adsignare locum, nisi ex sententia Pelagianorum, inter supplicium gehennae & regnum caelorum, quod verè scripsit; non propterea consequens erit, ut omnis schola haeresin defendat Pelagianam. Nam tamen si in eo ferè conveniant scholastici, ut parvuli sine Baptismo decedentes non patiantur poenam sensibilem ignis corporalis; aperte tamen docent, eos esse in inferno, & poenam damni luere perpetuò. Ac per hoc non adsignant illis medium locum inter supplicium gehennae & regnum caelorum, sed in ipsa gehennâ mitiore poenâ quam caeteros puniendos esse adfirmant; a qua sententia ne ipse quidam Augustinus abhorret multum. Non igitur Augustinus aliquid humani passus esse, aut excessisse in hoc dogmate censendus est; sed illi planè humanum aliquid patiuntur & excedunt, qui parvulos in superiore parte terre, quasi in*

1. 7. in Jul.
c. 2.
& 8.1. 1. de Nupt
& Conc.
cap. 20.

1. 2. c. 18.

1. 1. de pecc.
mer. &
rem. c. 12.

Matth. 12.

Serm. 14.
de V. A.
post.1. 1. circa
med.1. 1. de oris
Anim. c. 9.Serm. 14.
de V. A.
post.

Para-

Paradiso terrestri collocant, eosque beatos dicunt & felices. *Ultima obiectio sequentia*
 1.3. de lib. ex Augustino verba suppediat. Quis novit, quid parvulis, quorum cruciatibus majorum duritia contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur; quis inquam novit ipsis parvulis in secreto Judiciorum suorum bonæ compensationis reservet DEUS.

Epist. 28. Respondet Bellarminus, Idem S. Augustinus alibi explicat sua hæc verba ac dicit, ea se protulisse pro infantibus baptizatis, non autem pro iis, qui sine peccati originalis remissione decedunt. *Capite sequenti quarto* contra penam lenius pro penâ damni alia duo loca profert ex Augustino, quorum prius ita habet, dicunt aliqui, qualis in Judicio futuro deputabitur cui nec inter Justos locus est, quoniam nihil rectè fecit; neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur, Ad universitatis complexum & totius creaturæ vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superfluo creari qualemcunque hominem, ubi nullum arboris folium superfluo creatur; sed sanè superfluo quæri de meritis ejus, qui nihil meruerit. Non enim metuendum esse ne vita potuerit esse media quædam inter rectè factum atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium atque supplicium. *Ad hæc Augustini verba Bellarminus ita*, Hanc Sanctum Augustinus sententiam, quod ego quidem legerim, retractavit nusquam, & tamen si hoc faciendum esse censisset, magnam habuit occasionem, tum primo retractationum libro, ubi deligenter hos examinavit libros, tum in Epistolâ post viciesimam octavâ ad Hieronymum, ubi disputat de parte quâdam hujus capituli. *Addit*, Neque verò in his verbis S. Augustinus tribuit parvulis medium locum inter Cælum & Infernum, sed mediam sententiam inter præmium, quod iis debetur, qui propriâ voluntate aliquid meruerunt boni, & supplicium, quod iis debetur, qui propria voluntate sibi met ipsis penam pepererunt. Quare parvuli sine Baptismo decedentes non carebunt supplicio communi peccato originali & actuali, quibus amittitur gratia DEI, quæ pena est carentia visionis divinæ; sed liberi erunt ab eâ penâ, quæ propria est actualis peccati, quæ pena ignis sive sensus adpellatur. *Posterior Augustini locus hic est*, Ego non dico, parvulos sine Christi Baptismo morientes tanta esse penâ plectendos, ut eis non nasci potius expediret. Et *ibidem*, Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos in damnatione omnium levissimâ futuros? Quæ, qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non audeo tamen dicere, quod eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potius expediret. *In idem Bellarminus duo colligit, multum ad rem pertinentia, ut putat.* Primo, sanctum Augustinum non ausum fuisse de parvulis morientibus sine Baptismo illam Domini sententiam pronuntiare, melius erat ei, si homo ille natus non fuisset; cum tamen ea sententia de illis omnibus pronuntiarî posse videatur, qui sempiterno igne in Gehenna cruciantur. *Deinde*, S. Augustinum nunquam adfirmare voluisse, parvulos illos in specie torqueri penâ sensus, sed tantum in genere aliquam sustinere penam. Non enim dicit solum, se definire non posse, quanta sit ea penâ, quod referri potuisset ad solam magnitudinem, sed ait, quæ, qualis & quanta sit, definire non possum. Quæ verba satis aperte indicant, de ipsa penæ specie Augustinum fuisse incertum. *Et hæcenus* ex Augustino pro penâ damni Bellarminus, quæ ideo aliis pluribus omissis libuit adducere, ne causam conquerendi habeat pars adversaria, quasi mens augustissimi Doctoris non rite fuerit proposita. De ipsa quæstione quoad Augustini autoritatem, ex *Cassandro* præsertim, supra est actum, ubi Controversia de ipsius Baptismi necessitate fuit discutienda. Nunc ante-quàm pauca, quæ restant, addam, notari debet, quando Evangelici ad ductum S. Scripturæ & Analogiæ Fidei exindè sufficienter deductæ infantibus Christianorum ante Baptismi perceptionem mortuis æternam beatitudinem adscribunt, non id eos facere, quasi modum aliquem ordinarium statuerent præter hoc regenerationis Sacramentum perveniendi ad DEUM, cum ingenuè & ultrò agnoscant libenterque fateantur, pertinere hoc ad vias DEI extraordinarias, nobisque hominibus in hoc imperfectionis statu impervias, olim verò penitus cognoscendas. Neque id etiam sit respectu sanctitatis ab eujus connatæ & fœderalis, vel ob absolutum DEI de eorum ad æternam vitam electione decretum, quam Doctores Calviniani causam solent adducere, suis insistentes hypothesibus hic non excutiendis. Multò minus, ut Pelagianismum hoc in capite introducant, statuendo, fidelium liberos nasci absque peccato originali, atque hinc sine reatu æternæ damnationis, quod ab Augustinæ Confessionis doctrinâ procul abesse nemini puto incognitum. Sed & fides parentum hic non venit in considerationem, cum in publico iterum constet, quæ de fide alienâ in negotio Justificationis & æternæ beatitudi-

nis Evangelicorum sit sententia constans & verbo Dei consentanea. *Verum*, quod hic in controversiam venit, est precipuum, annon probabilissimè credendum sit, Deum infantes fidelium (nam de gentiliū & extra Ecclesie gremium liberis exemplo Pauli minis solliciti sumus, ut nec de eorum cita morte abreptorem salute desperandum omnino videatur) vel in Matris utero, vel inter ipsos partus dolores, vel proximè post partum ante-quàm sacramenti regenerationis participes fieri potuerunt, mortuos, ob non contemptum, sed in extremo necessitatis casu inevitabilem sacramenti defectum, quia secundum communem regulam Theologorum *Gratia regnum presupponit Potentia*, modo quodam singulari & extraordinario, etsi nobis hic cum pluribus aliis incognito, à contracto per carnalem generationem originalis peccati reatu, pro infantia & universalis Misericordie erga totum genus humanum adfectu, propter universale Filii incarnati meritum, à quo nullus hominum absolute excluditur, liberare, eosdemque salutis æternæ cum cæteris fidelibus adscribere? Nemini quidquam hic præscribunt Doctores Evangelici, neque modestè dissentientes aut rem in dubio ponentes diro subiiciunt anathemati, sed quemvis suo sensu abundare sinunt. Hoc verò est, quod durius esse putant, & concoquere non possunt si de Fide, & Catholica quidem, præscribitur tenendum, hos infantes absolute damnatos esse, uti Bellarminum vidimus tristem & lugubrem sententiam supra ferentem. Fundamenta & rationes, quæ meliora jubent de horum infantum statu sperare, aibi prolixius leguntur, nobis hic de Augustini sententia tantum sollicitis; quam utut nostræ per omnia similem fuisse dici non potest, eæ tamen hypotheses hic & ibi in scriptis ejus leguntur, quæ per viam consequentiæ nulla vi adhibita ducunt ad eam, ubi *Cassander* loco supra citato prolixissimè ostendit. Et quia *Catharinus* citante Bellarmino in hac de pœna Infantum non baptizatorum quæstione *excessum* Augustino adscripsit, non præter rem est, docere, eum ita non solum neque primum statuisse, sed & ante & post illum fuisse & adhuc esse, qui idem de Augustino senserint & sentiant. Congessit plerorumque nomina & judicia recentissimus scriptor, *Henricus de Noris*, Veronensis, Augustinianus, in Vindiciis pro Augustini doctrina nuper editis, hanc etiam Quæstionem proponens, *An sanctus Augustinus, adserens, parvulos puniri minutissima pœna sensus, in infans, per excessum sit locutus?* In cujus Discussionem quamvis omni modo Doctorem aliàs augustissimum ab *excessu* liberare & defendere conatus est, ingenue tamen nos informavit, per quos Authores olim & nunc *excessus* hic sancto Patri sit imputatus, sequentia sub initium Quæstionis exhibens: *Nusquam novi censors Augustini titulo potiori excessus eidem videntur objicere, quàm ubi de pœnis puerorum sine Baptismo decedentium cum Pelagianis disputavit; etenim antiqui etiam Scholastici hoc ipsum de S. Doctore publicarunt. Hoc Scotus, hoc Richardus, hoc Major Capreolus, aliisque consensu unanimi tradidere. De hoc Augustini placito scripsit S. Bonaventura. Plus dixit, minus intelligi volens. Quam sententiam Annatus grandioribus exscripsit characteribus, sæpiusque ad elevandam Augustini auctoritatem obrudit. Nec desuere, qui rem politulo, ut ipsis quidem videtur, exemplo explicarunt, teste Hauserio, Anatom. August. Hinc, inquit, sicut Equites armati, dum invehuntur in hostes, eodem impetu solens obvios etiam pueros inerimes conculcare; ita & B. Augustinus persequendo Pelagianos videtur quibusdam quasi præ fervore pugnandi minus etiam illis pepercisse parvulis. Quinimò nec abstinere à scommate. Adfirmat enim Soto, illos, qui positam S. Augustini sententiam defendunt, ignominia causa nuncupari Tortores puerorum. Et noster Puteanus testatur, Gregorium Ariminensem, quod Augustino similia tradidit, adpellari, tortorem puerorum. Itaque Adamus (scriptor Germanis non ita cognitus, uti Gallis, quorum lingua etiam in libris suis est usus) in Calvino fuisset & Augustini armis destructo (cujus operis mentionem Vindex hic Augustinianus statim ab initio laudatarum pro Augustino vindiciarum, & post sæpius facit,) scribit, Augustinum in taxanda infantum pœnâ zeli excessu extra quæstionem, quam habebat cum Pelagianis, tractum fuisse ac locutum præter intentionem; additque, Patres, qui de Quæstione hac scripsere, omnes contrariam tradidisse sententiam. Idem habet Antoninus Moraines vel Johannes Martinonus in suo Anti-Jansenio, scribens, Quod Gregorius Magnus ac Fulgentius Ruspensis in ea doctrina cum S. Augustino concinere, non ex sensu Ecclesie, tanquam illius testes, sed ex suo id adseruisse. Hæc ex aliis Veronensis ille Augustinianus, qui etsi, ut dixi, sententiam Augustini quavis modo ab excessu liberare fatigit, cujus Disputationem prolixissimam readsumere & Examini subjicere nunc non vacat, neque etiam opus est; si sufficit tamen, nos ab illius iudicio habere*

bere nomina eorum, qui in ipsamet Ecclesia Romanensi auctoritatem Augustini in hoc, uti in pluribus aliis capitibus rejecerunt, adeoque nec Evangelicos ad eam in eodem rigore nimis obligare possunt. Accedunt ingenua Confessio Dominicani supra etiam laudati, *Ioh. Baptista Gonetii*, qui in *Clypeo Theologiae Thomisticae* citato, sicut opinionem Bellarmini de pœna damni cum dolore & tristitia interiori ob carentiam Visionis beatificæ, quam auctoritate Augustini confirmare studuit, ex professo refellit ac ostendit, non eam fuisse Augustini mentem, imo ejus sententiæ adversam; ita, quæ voluit videri apertissimâ sinceritate, sine omni circuitione agnovit,

l.c. Disp. 7.
art. 7. §. 4.
num. 190.

Epist. 28.

Augustinum valdè anxium fuisse & dubium in hac materia, & modo in unam partem, modo in alteram declinasse, quod patere putat inde, tum quia ad Hieronymum hac in re suam hesitationem & dubitationem manifestè declaravit his verbis. Cum ad pœnas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam profus invenio, &c. *tum quia etiam disputans contra Pelagianos virtualiter & per consequentiam adserit, se dicere non audere, quod parvuli non baptizati æterno puniantur igne, ad eum provocans Augustini ex opere contra Julianum scripto locum, quem ultimum ex citatione Bellarmini habemus.*

His ita breviter prænotatis, quæ in genere ad hanc Quæstionem controversam observasse, cum eis præsertim Monitis, quæ *Cassander* non semel commendatus graviter inculcavit, non erit nullius operæ pretium; pauca quædam insuper subjungam ad præcipua, quæ Bellarminus non sine rædiosa repetitione ex Augustino lectoribus obtulit. Certè quæ sub initium ad verba Christi & Apostoli ex Augustino notavit, ad eò sunt generalia, ut non nisi per plurimas consequentiarum consequentias ad specialem hunc casum possint applicari, quem quia Doctores Evangelici peculiarem & extraordinarium esse fatentur, non ægrè ferri potest aut debet, si præter universalem Dei gratiam, neminem absoluto quodam Decreto reprobantis, & universale Christi meritum, neminem sine prævio contemptu excludentis, ad extraordinariam hic confugiant salvandi viam, in scriptura sacra non usque ad eò insolitam, nec sine exemplo confictam. Concilia ab Augustino adprobata quod attinet, propriè Evangelicos non tangunt, utpotè contra Pelagium decernentia, quorum Evangelicis quoad salutem Infanzum non baptizatorum nullam esse respectu causæ moventis communionem, dictum est supra. Et posito, quamvis hoc in puncto idem sensisset olim Pelagius, quod hodiè Evangelici, nondum sequeretur tamen, hæreticam fuisse hanc doctrinam, nisi etiam hæretica fuerit, dum docuit Pelagius, *Regnum Cælorum in Veteri etiam Testamento promissum*, uti legitur capite quinto libri *de gestis Pelagii*, (rectius juxta *Gerardi Ioh. Vossii* observationem, *de gestis Palestinis*, id est, Synodi illius Palestinæ, quæ aliàs in plerisque Conciliorum Tomis à loco dicitur *Diospolitana*, in causâ Pelagii ab Episcopis in Palestinâ congregatæ) qui sub Augustini nomine primùm à *Marco VVelfero*, Augustianorum Duum Viro, memoriæ inter Eruditos celebratissimæ, post à *Claudio Menardo*, unâ cum duobus libris posterioribus contra *Julianum*, sententiæ Pelagii Adversorem pertinacissimum, non procul ab hujus seculi initio fuit editus, de quo pluribus alibi. Ut non prolixè excutiam censuras de hac Synodo antiquorum, quas ex aliis collegit *Coriolanus*, utpotè quod Hieronymus vocavit Synodum *miserabilem*, ipseque Romanus Pontifex Innocentius, cujus tempore fuit celebrata, *Baronio* teste, ejus Acta nequaquam probare ac confirmare voluit. Quæ ex *Carthaginensi* Synodo habet Bellarminus ad thesin suam contra Evangelicos defendendam, ex eodem fonte manant, adeoque Pelagianorum errori opposita ad Evangelicorum sententiam referri non debent. Ostendit hoc ipsum clarè Augustinus, mentem Synodi loco per Bellarminum citato sequentibus verbis exhibens: *Quicumque dogmatizat & adfirmat, humanam sibi ad vincenda peccata & mandata Dei faciendam posse sufficere Naturam, & eo modo Gratia Dei, qua evidentiùs declaratur orationibus sanctorum, adversarius invenitur; & quicumque negat, parvulos per Baptismum Christi à perditione liberari & salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Quid, quæso, hæc ad Evangelicos? Anne hæc contra Evangelicos militant, quorum Doctrina tamen, uti notum est, æquè sententiam Pelagianorum rejicit & damnat, nihilque cum eâ habet commune, ut ex ante notatis constat.

Mist. Pelag. l. 1. c. 13.

Epist. 79.
A. 415.
§. 9. & 20.

stat. Eadem planè ratio est Synodi *Milevitane*, quæ utramque sequuta est intervallo non magno, uti Augustinus iterum loco, quem Bellarminus indicavit, satis aperte docet.

Non enim de casu necessitatis & extraordinario sermone tunc fuisse, nec ex eodem fundamento, quo Evangelici nituntur hodie, Pelagianos parvulis ante Baptisimum morientibus salutem æternam adscripsisse, patet ex verbis Augustini proximè sequentibus, quibus ad duo refert capita Pelagianorum in hac *Questione*, & quæ ad eam pertinent, sententiam, *quibus omnino totum, quod Christiani sumus, nitantur evertere, quæ corda sustinent fidelia, nimirum, Deum non esse rogandum, ut contramalum peccati atque ad operandum justitiam sit adiutor noster; & non opitulari parvulis ad æternam vitam consequendam Gratiæ Christianæ sacramentum.* Plenius hæc cognoscantur, si ipsum Canonem Synodicum, numero & ordine secundum, accuratè ponderemus, qui ad verbum sic habet: *Placuit, ut, quicumque parvulos recentes ab utero Matrum baptizandos negat, aut dicit, in remissionem peccatorum eos quidem baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expicitur, unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis, in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit, quoniam non aliter intelligendum Rom. 8. est, quod Apostolus ait, Per unum hominem &c. nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit.* Propter hanc enim Fidei regulam parvuli etiam qui nihil peccatorum in semet ipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Judicet lector cuicumque etiam parti addictus, modo sincerà mente prædictus, & verum à falso discernere doctus, num hæc contra Evangelicorum sententiam possint infervere, & speratam Infantum Christianorum præpropera mortè interentorum salutem omnino & totaliter evertere? Tam procul enim remota est Pelagianorum sententia in hac Synodo justè damnata à sententia Evangelicorum, quam procul à terra distat Cælum; tamque parum commercii inter se habent, quam cum nigro album convenit vel convenire potest.

E numero testimoniortum, quæ Bellarminus ex non uno Augustini libro, ad suam trahit sententiam, *primum* videtur quidem sine omni exceptione ei favore; quod etsi non omnino negari possit, quatenus videlicet sententia Pelagianorum sese opposuit sanctus Doctor, ita libenter velim audire vel legere, quid Bellarmino hyperaspistes respondere possit ad id, quod Pater augustissimus ibidem, ubi Bellarminus consensum pro se invenisse putavit, eandem Eucharistiæ, quam Baptismi, necessitatem in parvulis urisse videtur, ita scribens: *Nullus, qui se meminit Catholicæ Fidei Christianum, negat aut dubitat, parvulos non accepta regenerationis gratia in Christo, sine Cibo carnis ejus & sanguinis potu, non habere in se vitam, ac per hoc pœna sempiternæ obnoxios.* Equidem quæ sit ipsius Bellarmini circa necessitatem Eucharistiæ parvulis quoque ab Augustino adscriptam sententia, & quomodo mentem Augustini in hac *Questione* conetur explicare, supra ostensum fuit in loco, ubi de sensu *capitis sexti Iohannis* Augustinum verba facientem habuimus, & simul indicatum, quam variè & insuper contradictoriè Bellarminus in hoc negotio sit versatus, & quanto opus sit subsidio, ut non tantum cum Augustino, sed & secum ipso consentire videatur; quam speratam, dubito, an aliquis hodiè sit suscepturus, huncque Ecclesiæ Romanensis promachum tam insolentem à tam turpi labe & ignominia, quæ alibi quoque sæpius in opere hoc prolixo occurrit, liberaturus. *Secundus & tertius* Augustini locus, quos ex opere de Anima & ejus origine desumpsit Bellarminus, quia iidem directè opponuntur Pelagianis, quorum vestigia nullatenus premunt Evangelici, meritò hic tanquam ad rem non pertinentes omittuntur. *Quartus* à Bellarmino mutilus & semiplenè est adductus, iis studiosè omisiss, quæ responsum sufficiens Evangelicis possunt præbere. Integer locus hic est: *Nulla ex nostro arbitrio præter Baptisimum Christi salus æterna promittatur Infantibus, quam non promittit Divina scriptura humanis omnibus ingenuis præferenda.* Conferat lector cum his verba à Bellarmino citata & observabit iterato, fraudem ab eo non piam hic commissam esse, dum verba Augusti-

NB.

ni, emphatica, ex nostro arbitrio, ipsius Quæstionis controversiæ statum attingentia, nequiter dissimulavit, malæ nimirum causæ indicio, quam hac etiam ratione, ut alias sæpe, satis manifestè prodidit. Videlicet, idem hic dixit & scripsit Doctor augustissimus, quod testimonio etiam *primò* proximè laudato docuit, parvulos non acceptâ regenerationis Gratia non habere *in se* vitam, quæ eadem est Evangelicorum sententia & doctrina. Adde, Patrem sanctum hic quoque eandem Eucharistiæ & Baptismi necessitatem urgere in Infantibus, de quâ re modo dictum. Insuper, tale quid in antecedentibus paulò habet Augustinus, quod Evangelicorum sententiâ confirmare potest non parum, ita scribens: *Quis audeat dicere, Christum non esse infantum Salvatorem nec redemptorem?* Atqui, quomodo dici poterit Infantum Salvator & redemptor, si eos possessione Beatitudinis æternæ excludit, qui culpâ non suâ, nullo contentu accedente, regenerationis gratiâ per mortis inevitabile Fatum privantur, nullaque aliâ ratione semet ipsos juvare possunt? Repeto, quod ante dictum, *regnum Gratia presupponit regnum Potentiæ*; quod si ullibi & unquam in Theologia, hic certè & quam-maximè quidem habere locum debet, ne ulla vis Benignitatis & Misericordiarum Dei non-nisi summæ, imò ipsimet etiam justitiæ, per damnatricem hanc sententiâ nimis rigorosam, contra commendatum utriusque in scripturâ S. temperamentum inferatur, habeantque parvuli, de quo non injustè conquerantur in æternum, quasi secum sine culpâ desertis actum sit contra fas & æquum; quod procul absit ab eo, qui omnis veri amoris fons, ipsa quin charitas, eaque fecundissima, in omnes se homines diffundens, & cur non infantes quoque? Nulla certè causa est sufficiens, quæ illos à dilectione hac verè catholicâ & universali excludat; plures autem, eademque prægnantes & satis graves, quæ de illorum salute non-nisi optimè jubet sperare, Augustino in eodem loco ansam præbentè, verbis admodò citata proximè referendis: *A peccato, ab aegritudine, ab ira Dei, cujus naturaliter filii sunt, qui, etiamsi per atatem non habeant proprium, trahunt tamen originale peccatum, non liberat, nisi Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi; non nisi Medicus, qui non venit propter sanos, sed propter ægrotos; non nisi Salvator, de quo dictum est generi humano, Natus est vobis hodie Salvator; non nisi redemptor, cujus sanguine nostrum deletur debitum.* Adde, lector, paulò ante laudatâ, & quod ad spem bonam de parvulis Christianorum sinè Baptismo decedentibus concipiendam possit pertinere, non desiderabis.

*Sequuntur rationes, quibus utitur Bellarminus ex Augustino ad confirmationem sententiæ de Infantibus non baptizatorum damnatione, quarum prima suam habet fundamentum in Exorcismo, quem ipse Bellarminus supra ceremoniis Baptismi adnumeravit, alii inter sacramentalia recenset. Atqui sicut Evangelici non negant, esse hunc ritum satis antiquum, & in Ecclesia olim, tempore etiam Augustini, usitatum, non tamen propriè operativum, sed significativum modò, occasione videlicet adultorum, qui dicebantur Catechumeni, ex libertate Christianâ, nullo Christi mandato, cum pluribus aliis ritibus & ceremoniis introductum; significativum dico, utpotè quo miseria hominis ante gratiam regenerationis spiritualis ob connatum originale peccatum & provenientia inde mala non unius generis indicabatur, non verò, quasi Infantes Christianorum vel corporaliter, vel spiritualiter essent obsessi, & quia dicuntur filii iræ, ideo etiam filii Satanæ diu possint & defleant, quod horrendum & deis, qui ad ipsum fœdus Gratia pertinent, minimè concedendum; ita illegitima est consequentia & illatio, si ab eo, quod Augustinus cum aliis Ecclesiæ Doctoribus de significatione Exorcismi in administratione Baptismi docuit, & nos Evangelici facillè admittimus, imò contra rigorosos hujus Ceremoniæ antagonistas tanquam rem *adiaphoram* & suos usus habentem, quantum res ipsa patitur, defendimus, fiat argumentum contra id, quod juxta Fidei analogiam Deus in Infantibus ordinario regenerationis medio absque culpâ suâ destitutus extra ordinem per Misericordiam facere & operari piè creditur, justitiâ ejus omni ex parte illæsa, cui per temperamentum supra laudatum è plenissimo satisfactionis Christi thesauro ex asse sit satis, ita, ut nihil sit super eorum, quæ Infantibus his certo respectu innocentibus circa æternæ beatitudinis impetrationem esse possent impedimento. Quoad rationem secundam & sequentis tertie objectionis responsum, Bellarmino utrobique contra Pelagianorum de medio quodam loco ex Augustini sententiâ opinionem disputante, præter id, quod repeti hic posset ex Controversiâ de *Ignis Purgatorio* per negationem *medii* alicujus loci ex hypothesi, quâ Augustinus hic utitur, omnimodè extin-*

vid. Vice-
Com. obs.
Eccles.
III. c. 29.
conf. D.
Mcisn.
Colleg.
Adiaph.
Disp. V.
p. t. adde
D. Dannh.
Theol.
Conf.
P. 275.

extinguendo, uti supra in loco fuit ostensum; hoc iterum debeturgeri, Evangelicos neque in hoc, sicut in cæteris, sentire cum Pelagianis, nihil planè *medii* post mortem inter cælum & infernum, æternam beatitudinem & damnationem agnoscentes, sed scripturâ duce non nisi inferno & æternæ damnationi adscribere, quibus in cælo & æternæ beatitudinis statu nullus ob Fidei salvificæ defectum est locus. Ubi simul admiratione digna est Bellarmini subtilitas, quâ ad describendam Pelagianorum, & liberandam ab eorum commercio Scholasticorum Opinionem, contra *Catharinum* Augustino excessum in hoc Dogmate adscribentem usus est, statuens, hæresin Pelagianam parvulis sine Baptismo decedentibus assignare medium locum non inter supplicium Gehennæ & regnum cælorum, sed *inter damnationem regnumque cælorum*, quasi verò ut de ipsius distinctionis nullitate nihil dicam, Scholastici in hoc adeo procul ab ipsis recedant pelagianis, & non idem ferè cum illis dicant & sentiant, quod ipsum nuper non obscure visus est agnovisse citatus supra *Macedo* Augustinianus, in *Collatione Doctrinae Scoti & Thomæ*, alteram, uti vocat, Catholicorum de hac Quæstione sententiam inter duas extremas sequentibus proponens verbis, *Medium quendam statum in alia vita inducit inter gloriam Beatorum & pœnam damnatorum, id est, felicitatis cujusdam naturalis, experitis quidem boni supernaturalis extra Gratiam & Gloriam, sed cumolata omnibus naturæ bonis, que intra illius spheram esse possunt, que amplectatur cognitionem Dei auctoris naturæ & rerum naturalium, integritatem mentis & corporis, & omnes que utramque deceant voluptates.* Addit, *Hac felicitate parvulos omnes donandos esse, qui cum originis peccato decedunt adfirmant* Petrus de Aquila apud Dionysium Carthusianum, Pighius, Savonarola & Catharinus. *Inclinat* Lessius & Martinus de Roa. *Favet* Suarezius & alii pii & misericordes Theologi. Si autem hi sunt pii & misericordes Theologi, qui de Infantibus sine Baptismo mortuis benè sperant, annon è contrario, qui ad alteram sententiam extremam declinant, parvulos nimirum hos in statu damnatorum fore statuentes, & qui eos cum pœnâ damni pœnam sensus quoque ab Igne Gehennali passuros docent, quorum aliquos idem *Macedo* nominat, videlicet *Ariminensis, Driedo, Sonnius, Poncius* &c. erunt, si loquar mitissimè, minus pii & immisericordes; à quorum censu neque omninò liberandi sunt, qui teste eodem *Macedone* duas alias amplectuntur sententias, quas vocat medias, & vel cum *Aquinatè, Bonaventurâ, Richardo, Lombardo, Alense, Alberto, Durando, Gabriele, Scoto, Vasquezio, &c.* solam adscribunt pœnam damni & carentiam visionis Dei, sine ulla exinde tristitia & interno dolore, atque sic etiam sine omni torturâ; vel cum *Abulensi, Bellarmino*, & ante eos *Innocentio* &c. pœnam damni cum animi dolore & tristitia inde ortâ, citra tamen pœnam sensus statuunt, utpotè utriusque id docentibus, quod, non dicam, cum Justitia, sed Misericordiâ Dei & Amore ejus catholico non convenire videtur, ut jam dictum est. *Accedit*, quod ex illo Augustini loco patet, qui secundus inter ea fuit testimonia, quibus pro se usus est Bellarminus, ex opere de *Anima & ejus origine* desumptus, merum esse postulatum & cerebri tantum Scholastici figmentem, statuere pœnam damni in inferno separam & distinctam à pœna sensus, utpotè cujus rei nullum è S. Literis ostendi potest fundamentum. *Restant* nunc duo adhuc Augustini testimonia, quibus pro sola pœnâ damni contra pœnam sensus militat Bellarminus; quorum examine etiamsi facilè possemus carere, propter ea, quæ jam sufficienter sunt ad præsens institutum adducta, tamen quia ex ipsorummet interpretum Papæorum explicatione diversa, quod prius præsertim concernit testimonium, aliquis potest esse ad Evangelicorum sententiam ex Augustini mente illustrandam usus, omnino non debent sine aliqua observatione prætermitti. Et quoad prius quidem ex augustissimo Doctore testimonium, quod in opere de *Libero Arbitrio* legitur, quæ ad ejus sensum Bellarminus pro sua notavit sententia contra alteram extremam, *Gregorii* nimirum *Ariminensis*, &c. non omnibus placent, qui post Bellarminum hanc Quæstionem controversam tractarunt, nominatim laudato proximè *Macedoni*, qui Augustinum aliter planè, quam Bellarmino fuit visum, intellexit, statuens, Augustinum in citato opere de hac Controversia agere ita, ut *spectatis tantum naturæ principis disputet contra Manicheos, ac proinde, quid futurum fuerit illis pueris; natura sua nec benè, nec malè agere valentibus, inquirere, nihilque tunc de peccato originali & natura in eo concepta disputare, atque sic juxta statum naturæ secundum se spectatum. Ratiocinari; & quamvis non retractaverit expresse animadvertisse*

Gggg 3.

tamen

T. II. Col-
lar. 8.
Differ. 4.
Sect. 3.
P. 459.vid. D.
Metaph.
Philos. S.
T. III.
Sect. II.
c. 6. qu. 4.

l. c. p. 464.

1. I. c. 9. tamen in retractationibus, se libros illos de libero arbitrio adversus Manichæos scripsisse, & eis abuti Pelagianos contra Doctrinam de Gratia à se traditam; & perspicue testari Patrem sanctum, se non loqui ex sensu scripturarum admissio originali peccato, neque de pœnis illius, sed secundum naturam ipsam, quomodo loquebantur Manichæi, ut eos ex suis impugnet principis. Hæc ille Macedo, quæ tamen itidem aliis non omnino probantur, & quidem recentissimo Vindici Augustiniano, Henrico de Noris, Veronensi, quem sub initium hujus responsi ad Bellarmini tractationem habuimus testem eorum, qui mitius judicant de Infantibus non baptizatis. Nam etiam si hujus Macedonis responsionem ad Augustini testimonium omnimodæ falsitatis accusare non audeat, meliorem illâ tamen se dare putat, dicens, *Semipelagianos olim testimonio eodem abusus fuisse, ut gradum facerent ad infringendum argumentum à parvulis ab Augustino deductum, ut gratiam ex meritis exploderent.* In hunc finem sequentia profert Hilarius Arelatensis, quem in Historia Pelagianâ præcipuum fuisse ex numero Semipelagianorum docet, ad Augustinum verba, *Parvulorum causam ad exemplum majorum non patiuntur adferri, quam & sanctitatem tuam eatenus dicunt attingisse, ut incertum esse volueris, ac potius de eorum pœnis dubitare malueris, quod in libro tertio de libero arbitrio ita posuisse meministi, ut hanc eis occasionem potuerit exhibere.* Subjungit, huic Massiliensum objectioni respondere Doctorem sanctum in libro de dono perseverantiæ, se olim Presbyterum libros de libero arbitrio, quos Rome Laicus inchoarat, perfecisse in Africa. Quare etiam si tunc de parvulorum pœnis dubitasset, nemo, ait, ut opinor, esset tam injustus atque invidus, qui me prohiberet perficere, atque in hac dubitatione remanendum esse mihi judicaret. Addit, non oportere credi, se ea de re dubitasse, sed quod Manichæi, quidquid de pœnis Infantum sentiretur, erant rejiciendi, ne naturarum duarum, nempe mali bonique permixtio crederetur, & concludit, Absit, ut parvulorum causam sic relinquamus, ut esse nobis incertum dicamus, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transcant in æternam salutem, non regenerati autem transcant in mortem secundam &c. Itaque sanctus Doctor ideò non retractavit, quod olim docuerat de pœnis parvulorum, quia de iisdem non dubitaverat. Imò in Epistolâ ad Hieronymum, cujus supra etiam mentio est facta, scribit de eodem libro tertio de libero arbitrio, *Non de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo, nempe Baptismo, ex hac migrant vita, tunc aliquid dicendum putavi, quia non, quod nunc agitur, agebatur.* Etenim Augustinus ibidem disputat tantum de pœnis, quas parvuli in hac patiuntur vitâ &c. Et hæc tamen ille etiam, quæ prolixius discutere & examini rigoroso subicere præsentis Instituti ratio non vacat. Satis autem constat exindè, quam variè Augustinus pro sententia minus pia & immisericordi à sectatoribus ejusdem trahatur & distrahatur, ita ut nec dum post omnem operam in hoc collocatam pateat, ad quas partes propriè referendus sit, nullo ferè non ad ejus auctoritatem provocante, ut notum est ex variarum opinionum collatione. Est nunc super adhuc ultimum sancti Doctoris testimonium, quod Bellarminus sumit illustrandum, ex opere contra Julianum; cujus verò tenor quia itidem merâ constat dubitatione, ad antecedentia merito pertinet. Nemo autem Bellarminianæ partis feret agrè, si cum pluribus Ecclesiæ Romanensis Doctoribus, uti Macedo supra vocavit, piis & misericordibus benè, quin & optimè de Infantibus Christianorum non baptizatis speremus, & Augustinum in certamine, contra Pelagianos unius extremi circa originale peccatum defensores, quod in fervore Disputationis, aliàs etiam solet evenire, ad aliud extremum per excessum esse delapsum, & aliquid humani passum dicamus; quod extra omnè dubium ipsemet agnosceret, si Evangelicorum & quorundam inter adversariæ partis scriptores pro pia & misericordi sententia videret & ponderaret rationes, atque ad ejus confirmationem hypotheses à propriis suismet libris desumptas, à Cassandro diligentissimè collectas & in ordinem debitum redactas.

Porro testibus Evangelicæ Veritatis pro salute infantum sine Baptismo decedentium adnumerari possunt aliquatenus etiam, qui eisdem liberant ad minimum à pœna sensus & doloris seu tristitiæ propter carentiam boni vel pœnam damni, cujus causa non pauci ad auctoritatem Augustini provocat. Inter hos testes nomen suum voluit extare laudatus ante Ioh. Baptistam Gonetus, ordinis Prædicatorum, qui in Chyepo Theologiæ, uti vocat, Thomistica, contra novos ejus impugnatores, hanc versans Quæstionem, ubi aliorum opiniones sibi contrarias rejecit, liberatricem verò sententiam elegit defendendam, post auctoritatem scripturæ & Doctorum quorundam

rundam Ecclesiasticorum, tertiam hanc adduxit rationem Augustini testimonio munitam. Illa culpa, quae non reddit vituperio & increpatione dignum, a fortiori non reddit dignum aliquâ penâ sensibili & positiva, cum hæc acerbior sit & durior. (NB. Ego non inconsequenter addo, etiam à privativâ.) Sed per originale peccatum nemo fit dignus reprehensione & vituperio, ergo nec penâ sensibili & positiva, seu cruciatu ignis æterni. Major patet, minor ex Augustino probatur, aperte in libro de duabus animabus docente, cum, qui non fecit, quod facere non poterat, non esse ullâ reprehensione dignum, addito, hoc ita esse cuilibet notum & pervium, ut illud decantent & in montibus Pastores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum. At, subsumit Gonetus, infantes ita contraxerunt originale peccatum, ut non potuerint contrahere. Ergo, concludit idem ex Augustino, nulla increpatione & reprehensione sunt digni. Unde, sic ulterius argumentatur, inauditum est in Ecclesia, quæquam argui, quod nascendo contraxerit originale peccatum. Post hæc inter objectiones secundam dicit esse à testimoniis Patrum, Augustini nominatim, adfirmantis, parvulus sine Baptismo decedentes in ignem æternum ituros; & Authoris libri Hypogosticæ, dicentis, quod decedentes sine Baptismo parvuli experiantur Gehennam ignis, quibus duo sequentia reponit, inquitens primo, juxta phrasin scripturæ & S. Patrum nomine ignis quamlibet penam significari, eodem Augustino docente. Unde quando idem, inquit Gonetus, & alii Patres docent, Pueros sine Baptismo decedentes torqueri, loquuntur metaphoricè, & ignis nomine penam damni significant. Ita adfirmare Thomam & Glossam Juris Canonici, non aliâ adsignantis penam infantibus sine Baptismo decedentibus, quàm tenebras, id est, privationem visionis DEI. Hanc verò interpretationem, subjungit Gonetus, esse legitimam, & S. Patrum menti consentaneam suaderi potest, quia in his locis agebant contra Pelagianos, adferentes, parvulos sine Baptismo decedentes esse quidem excludendos à Regno Cælorum, non tamen à vita æterna sed beatitudine donandos esse; unde intentum Augustini loco erat citato, suadere, parvulos sine Baptismo decedentes non pervenire ad æternam beatitudinem, sed ab eâ excludi, quod sufficienter convincitur, nomine ignis, combustionis & cruciatu æternum intelligendo supplicium seu penam damni æternam, cum quâ felicitas æterna nequit componi. Deinde, quod S. Patres adducti docent de penâ parvulorum sine Baptismo decedentium, id adferunt pertinere ad fidem. Nullus autem sine manifesto errore potest adferere, hoc esse fidei, quod parvuli æternum cruciabuntur penâ sensus sive ignis tormento, sed solum, quod damnati sint, & æternum puniendi penâ damni. Si insuper Augustinus accipiatur in rigore, scribit Gonetus porro, secum conciliari non poterit; nam aliis in locis aperte satis docet, parvulos nullam sensus penam sustinere. Secundo respondet Gonetus, quod supra jam monui, Augustinum valde anxium fuisse in hac materia & dubium, & modo in unam, modo in alteram declinasse partem; quod patet, tum quia suam hæc in re hæsitacionem & dubitationem manifestè his declarat verbis: Cum ad penas ventum est parvulorum, magis, mihi crede, (scribit autem hæc verba ad Hieronymum) coarctor angustus, nec quid respondeam, prorsus invenio; Tum etiam, quia disputans contra Pelagianos virtualiter & per consequentiam adferit, dicere, se non audere, quod parvuli non baptizati igne puniantur æterno, scribens, Non dico, parvulos sine Baptismo Christi morientes tant a plectendis esse penâ, ut eis non nasci potius expediret. Et iterum, quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatû, in damnatione omnium levissima futuros; quæ qualis & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli essent, quàm ut ibi essent, potius expediret. Quibus verbis non solum suam hæc in re dubitationem & anxietatem declarat, sed magis etiam propendet & in nostram inclinat sententiam. Docet enim, hanc Christi de proditore Judâ sententiam, Melius erat illi, si natus non fuisset, non posse parvulis accommodari; quod falsum esset, si penâ ignis torquerentur. Nam licet non esse secundum se non sit adpetibile, utpotè pura boni privatio; benè tamen, in quantum est adleviativum cruciatu & penæ, uti Thomas docet. Item subdit Augustinus, tales parvulos in damnatione, omnium levissima futuros; quod non esset verum, si aliquam sensus penam sustinerent. E contra verò, si à penâ sensus sint immunes, mitior procul dubio, & tolerabilior erit eorum damnatio. Addo, quod idem Doctor sanctus alibi scribit, quod sicuti vita potuit esse media inter recte factum atque peccatum, ita & potest dari sententia iudicis media inter præmium atque supplicium. Sed si parvuli paterentur penam damni & sensus, illorum sententia non esset media inter præ-

Tom. III.
Disp. 7. de
Peccat. orig. Act.
7. §. 178.

cap. II.

Serm. 14.
de Verb.
Apost.

Quæst. 9.
in Jos.

de Con-
secr. dist. 4.
c. Nulla.

Epist. 28

lib. V. con-
tra Jul. c. 8.

l. III. de lib.
arb. c. 23.

mium & supplicium, uti de se patet. Ergò, ex mente Augustini solà damni pœnâ puniuntur. Nec valet, si alias, sententiam parvulorum idèò *mediam* ab Augustino inter præmium constitui & supplicium, *quia mitiori pœna, quam adulti puniuntur.* Non valet, inquam; nam inter adultos etiam unus alio punitur mitius, & homines mitiori pœnâ quam Dæmones regulariter loquendo sunt puniendi, & tamen nemo dicit, adultum mitiori puniendum pœnâ, vel auditurum *mediam* inter præmium & supplicium pœnam. Ergò, si parvuli pœnam sensus & damni paterentur, malè adfereret Augustinus, *mediam* esse inter præmium & supplicium sententiam parvulorum. Ita *Gonetus* disputat contra rigidiores ex Augustino, contra Bellarminum verò, parvulis sine Baptismo morientibus ob carentiam visionis beatificæ *dolorem & tristitiam* cum aliis adscribentem, monet, Augustinum loco suprà citato adferere, *pœnam, qua punitur peccatum originale, omnium esse mitissimam*, quod esset falsum, si ratione beatitudinis amissæ parvuli dolorem & tristitiam sententiam interiorem. Addit confirmationem ex eo, quod ibidem profiteretur Augustinus, *adferere se non audere, parvulos sine Baptismo morientes tantâ plectendos esse pœnâ, ut eis non nasci potius expediret.* Nam si ex amissâ beatitudine dolorem & mœstitiam interiorem sentirent, melius ipsis esset omninò, non esse, cum talis dolor non possit non esse gravis. Sic etiam contra Bellarminum Augustini autoritate utentem *Gonetus*, de quibus antequam breviter censuram in gratiam lectoris adponam, merentur huc etiam excubiri, quæ legere licet apud Norisii, Professoris ante Patavini, post pisani Antimachum, *Fulgentium Rissbrochiam*, inter plures injurias, quas laudatum vindicem Augustino intulisse in se suscepit demonstrandum, hanc quoque referentem, atque sic contra eam scribentem: *Ad censuram voco propositionem istam, quia eam video à gravibus Theologis reprehendi & condemnari, quod sit contra communem Theologia Scholastica sensum, Scripsit contra illam Requiesenius, & audio quendam ex Carmelitanis adversus Norim scribere hæc de re.* Andreas Duvallius, *Parisiensis Doctor*, in *Tractatu de Peccato*, censet eam penè alienam esse à Fide; & *Brancatus de Laurea*, Tomo quarto, qui est de *Novissimis*, ubi tractat de pœnis parvulorum, negans eos ab igne torqueri, sic scribit: Ita nunc tota sentire videtur Ecclesia, nullo penitus excepto, nisi contentioso aliquo adfectante Augustini doctrinam mordicus secundum apicem sustinere. *Gravius hanc sententiam de ignis pœna suggillat Paulus Gryfaldus, ordinis Prædicatorum, in decisionibus fidei Catholice & Apostolice, cujus produco verba:* Infans sine Baptismo decedens igne punitur. Hæretica, videlicet & sententia. Contra hanc hæresin communis est opinio Sanctorum, quod infantes solo privati Baptismo & cum originali peccato non cruciantur pœnâ sensus vel igne. *Tamen Augustinus de fide ad Petrum dicit, infantes eadem cum dæmonibus cæterisque damnatis supplicii qualitate plecti; & in libro de Baptismo parvulorum, Quando confiteris parvulum non esse futurum in regno, fateris, futurum in igne æterno. Idem scribit in opere Hypognocticò. At quoad pœnæ quantitatem dicit esse levissimam. Interpretatur verò Augustinum cum Doctore Angelico (Thomâ) ad sensum congruentem communi sententia Scholasticorum. Idem facit suprà memoratus Laurea cujus hæc verba sunt,* Respondendum ad omnia Augustini loca, cum parvulis cum originali defunctis infernalem adsignasse locum, non autem ignis cruciatum; & quando ait, idem importare ignem ac ignis combustionem, intelligendum est in sensu accommodo juxta capacitatem subjecti in ignem mittendi. Eam verò Augustini mentem esse, ex suo (ejus) adparet contextu, cum pluries ait, *pœnam parvulorum fore mitissimam.* Atque hæc ille etiam cum pluribus, undè quamvis jam constet, non placere plerisque Doctoribus Papæ rigorem Augustini in hæc Controversia, adeoque eum vel omninò deleri, vel ejus sententiam qualitercunque emolliiri, non tamen veritas est evicta, dum ex ejusdem Augustini sententia parvulis sine Baptismo morientibus admininimùm *pœna damni* adscribitur, quam sine *pœna sensus* esse, nondum ita sufficienter demonstrarunt hujus discriminis defensores, ut nihil super amplius sit dubitationis quod ante observatum. Præterea, quam rationem contra *pœnam sensus* ex Augustino produxit suprà *Gonetus*, contra pœnam damni etiam militare, nemini consequentiarum perito esse potest incognitum. Et quæ de *media* inter præmium & cruciatum sententia ex opere de *libero arbitrio* ad-

pag. 279.
& seqq.

Quest. 4.
art. 3.

§. Infans.
p. 215.

cap. 27.

ducuntur, perpendant ulterius eruditi, annon opposita sint iis, quæ ex pluribus ejusdem scriptis contra hanc *medietatem* in Controversia de *Purgatorio* sunt vindicata; ut non dicam, melius omninò non esse, quàm vivere in æternum extra statum visionis beatificæ, quod per simile vel exemplum Absalom à facie Patris remoti, utut in gratiam recepti potest illustrari, quia de cætero, quâ libertate dicti scriptores gaudent in recedendo ab autoritate Augustini, Evangelicos etiam gaudere in dubium vocari non debet.



Tertia Controversia generalis.

De

REPARATIONE GRATIÆ,

& prima principalis,

De

GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, LIBRI PRIMI

CAPUT TERTIUM & seqq.

De *Questione*

An Gratia gratum faciens sit qualitas per modum habitus in homine permanens?



Bellarminus adfirmat, & quidem ex sententia communi Theologorum, de *Lombardo* monens, quod etsi charitatem non aliquem habitum, sed ipsum Spiritum S. esse videatur, docere tamen cum *S. Augustino*, Spiritum S. non solum eos in habitare, qui actu eum cognoscunt & diligunt, sed parvulos etiam baptizatos, qui eum actu neque cognoscunt neque diligunt, ex quo putat sequi, ut crediderit, *Spiritum S. per habitum aliquem habitare in parvulis.* Hoc ut demonstret, inter cætera scripturæ loco provocat ad per Christi verba, dicentis, *Aqua, quam ego dabo, fiet fons aquæ salientis in vitam æternam.* Addit, fons iste Spiritus Sanctus est per gratiam inhabitans, sive gratia Spiritu S. inhabitante diffusa, quod colligi putat tum ex loca parallelo, tum ex Patribus, nominatim *Cyrillo, Theophylacto, Hieronymo, Basilio, Ambrosio, Chrysostomo*, à quibus *Augustinum* & alios interpretes non dissentire scribit. Præter id sequentem quoque adducit Augustini locum: *Ille, in quo omnes vivificabuntur, præterquam, quod se ad iustitiam præbet imitantibus exemplum, dat etiam sui spiritus occultissimam gratiam, quam latenter etiam infundit & parvulis.* Subjungit Bellarminus illustrationis ergo, *Hic sanè negari non potest, quin S. Augustinus de gratia habituali loquatur, quæ & occultissima est, & cujus solius capaces sunt animi parvulorū.* Subjungit, eundem Doctorem sanctum dicere, *parvulos per Baptismū converti ad Deum, cum ante ea essent aversi;* quod existimat intelligi non posse, nisi de *Conversione habituali per infusum habitum* charitatis. Et quia pro sententia Evangelicorum non nescivit Bellarminus aliqua militare Augustini testimonia, ideo ad ea respondere conatus est pro viribus. Duas autem ex eo produxit objectiones, quarum priorem desumptam esse dixit ex illis Augustini verbis, quibus ita loquatur de gratia, ut videatur velle, *eam non esse habitum, quo nos utamur, sed ipsum potius Spiritum S. qui nos regat & moveat,* comparando liberum nostrum arbitrium jumento, & DEI gratiam fessori, à quo jumentum gubernetur & regatur; & scribendo, *in operibus gratia voluntatem nostram esse comitem, non ducem, pedissequam, non præviam.* Respondet Bellarminus, *S. Augustinum loqui de gratia simul creatâ & increatâ, id est, de DEO, qui per dona sua creata sedet in nobis, & variis modis nos ducit, regit, moderatur & gubernat, non secus ac fessor jumentum, quod existimat Apostolum illis admonuisse verbis, Qui Spiritu DEI aguntur, hi sunt filii DEI.* Addit, Hinc autem non tolluntur habitus creati & infusi, sed potius adferuntur &

Joh. 4.

1. de præca-
mer. &
tem. c. 9.

ibid. c. 34.

1.3. Hypog.
Epist. 100.

Rom. 8.

con-